Nivernum

Nevers

d. cap. Nivernois

Sde Epis.

SIC VOS NON VOBIS MELLIFICATIS APES

W.I.B.

BREVIARIUM INSIGNIS ECCLESIÆ NIVERNENSIS,

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI D.D. CAROLI *FONTAINE DES MONTE'ES* Episcopi Nivernensis autoritate, & ejusdem Ecclesiæ Capituli consensu editum.

PARS HIEMALIS.



AURELIANIS,
Apud NICOLAUM *LANQUEMENT*, Cleri Nivernensis Typographum.

M. DCCXXVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.



BODLEIANA



CAROLUS

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA EPISCOPUS NIVERNENSIS,

Comes Premeriaci, Regi ab omnibus Consiliis, in suprema Parisiensi Curia & in aliis Regni Curiis ex honore Senator; Clero Nivernensi Salutem & Benedictionem.



EMINEM vestrûm ignorare arbitror, Fratres dilectissimi, suo jure Nivernensem Ecclesiam à multis jam temporibus peculiari usam fuisse Breviario. Postremum quidem editum fuit ineunte superiori seculo sub autoritate Arnaldi Sorbini felicis memoriæ, cujus ministri cùm Religioni duxissent ritum ac modum Breviarii Romani in omnibus sequi, planè recessere à ritibus Ecclesiæ nostræ, quamvis antiquis, omnique veneratione dignis; utpote quos plusquàm quadringentorum annorum spatio jam videmus consecratos.

Quid quòd postremi illius Breviarii exemplaria omnia, viginti & ampliùs annorum supra centum spatio sic exhausta sunt, ut nusquam jam prostent venalia, immò nec ulla fere reperiantur nisi erosa ac vetustate confecta, quæ litteris evanescentibus ac foliis disruptis nulli possint esse usui, atque adeò necesse fuerit pluribus abhinc annis ad aliena confugere.

Quapropter divinâ providentiâ, licèt indigni, ad Sedem Ecclesie Nivernensis vix evecti, omni diligentiâ, totisque viribus novo cudendo Breviario incubuimus, adhibito Ecclesiæ nostræ Cathedralis Decani & Capituli consilio & consensu; insuper

adjuti consiliis ac studiis virorum in hocce genere versatissimorum. Quâ in re morem gessimus pluribus Conciliis (1) *Galliæ, immò & hujus provinciæ, quæ quidem præcipiunt* ut Diœcesani quàm citissimè & accuratissimè visitent Breviaria, Missalia, Antiphonalia, ac Sanctorum Legendas, & quæ deprehenderint in illis superflua, aut non satis pro Ecclesiæ dignitate convenientia, ipsi continuò tollant, resecent, & quæ viderint esse necessaria, subjiciant.

Eo igitur animo ducti, nihil non effecimus, ut divinis Officiis pristina restitueretur integritas, penitusque resecaretur quidquid mendosi vel hominum incuriâ vel temporum injuriâ irrepserat; Ex hoc enim utroque depravationis fonte plurima manarunt, quibus primævus purusque Ecclesiæ nostræ rituum atque usuum nitor non parum vitiatus ab iis deprehensus est, quos antiqua nostra Breviaria immò & Ordinaria evolvere non tæduit.

Et quo feliciùs ac tutiùs res succederet, hoc primum in mente habuimus, ut juxta Canonem sextum Concilii (2) *Coloniensis, solæ Scripturæ sacræ recitarentur, ex quibus tamquam ex purissimâ scaturigine derivavimus laudes quæ Dei majestatem omni laude majorem omnium maximè decent. Has laudes Deus gratissimè non potest non odorari ipsis Eloquii divini verbis expressas;* Amica enim, *ut ait* (3) *Cyprianus*, & familiaris oratio est, Deum de suo rogare, *hoc est de eo quod ipse nobis est impertitus, ita ut si quis veteris usûs studiosior justo, (ut olim Clerici Neocæsarienses) hanc mutationem nobis exprobret, quidni cum Basilio respondeamus*: Non humanis verbis, quemadmodum vos soletis; sed oraculis Spiritûs, Deum nostrum placamus.

Itaque in primâ Nocturnâ Vigiliâ Lectiones ex veteri Testamento collocavimus, quas aliquando omittere sit nefas, in secundâ verò ex novo, juxta antiquum Ecclesiæ nostræ ritum, saltem in diebus Dominicis, & in ceteris Solemnioribus Festis apposuimus. Atque hoc quidem fatemur, quàm amplissimam potuimus Scripturæ sacræ partem in his Lectionibus concinnandis insumpsimus, ut Viri Ecclesiastici sanctas Dei Leges edocti, promptiores sint ad docendum, ad arguendum, denique ad pascendos

(1) Senon. Paris. hab. an. 1528. can. 21.
Rotomag. an. 1581. can. 2.
Turon. 1583. can. 15.
(2) An. 1536.
(3) Init. Lib. de Orat. Dom.

greges divinâ providentiâ nobis sibique commissos.

Singulis hebdomadis universum recitabitur Psalterium; isque fuit, *inquit Concilium* (1) *Remense*, primævus Ecclesiæ ritus, *quem secuti sunt antiquissimi Religiosorum Ordinum Conditores. Series illa Psalmorum quam singulis Feriis assignavimus, eo modo quem maximè congruum duximus, nunquam intermittetur, qualiscumque occurrat festivitas, cùm ut æqualiter perdisci possit, quod æqualiter perdisci meretur, tum ut occurramus ei tædio quod ex repetitionibus necessariò nascitur. Censuimus enim cum Basilio*, diversitatem atque varietatem in precibus & in Psalmodia esse utilem, quòd in æquabilitate quidem torpescat nescio quomodo animus; mutatis verò ac variatis Psalmodiâ & cantu, renovetur ejus desiderium, & attentio instauretur.

Verùm exceptis Annualibus ac Solemnioribus Festis, quibus maximorum Religionis nostræ sacramentorum memoria celebratur, quæ quidem totam mentis attentionem meritò sibi vindicant, unamquamque Scripturæ sacræ Lectionem ipsi accommodatum excipit Responsorium, cujus pars ex ipsâ Lectione sæpissimè, residua verò ex aliis Scripturæ locis ad eam accedentibus desumpta, efficient ut Lectionibus Responsoria concordent, juxta illam quam refert (3) *Radulphus Tungrensis Decanus Regulam.*

Ut autem adjuvante intelligentiâ augeatur crescatque pietas, & ut adimpleatur quod jubet Propheta, Psallite sapienter, *id est, ut legit Augustinus* (4), psallite intelligenter; *nihil eorum omisimus quæ ad planiorem Psalmorum notitiam possunt conducere. Itaque interpunctiones, moras, seu quæ hactenus Psalmis sunt appositæ divisiones, quas magnam iis obscuritatem afferre nemo non fatetur; eas pluribus in locis immutando, effecimus ut quæ obscura erant, ne minimâ quidem factâ verborum mutatione, clariora evaserint.*

Atque utinam Fideles omnes ac maximè Viri Ecclesiastici possint induere vividos illos pietatis affectus quos in suis Psalmis Propheta Regius expressit; utinam corde docili motus à divino Spiritu ibi quasi delineatos possint persequi. Si orat Psalmus, (*inquiebat Augustinus*) orate; si gemit, gemite; si gratu-

(1) An. 560.

(2) Interrog. 37 Reg. fusiùs disput.

(3) De Can. observ. Propos. 11 & 12.

(4) In Psalm. 46.

latur, gaudete; si clamat unus, tamquam omnes, quia omnes in uno unus sunt. *Quòd si tantillum illius ardoris haberemus quo sanctus ille æstuabat, in nostras mentes ignem illum quo abundant transmitterent divina illa cantica, faciliusque nobis esset levare recitandi tædium ac fastidium, quàm impetum illum cohibere quem in nobis excitarent.*

Ceterùm cùm Antiphonæ ad Psalmos decantandos pertineant, earum cantum sic ordinandum curavimus, ut tonus ac modulatio notâ Arabicâ simul & certâ litterâ in nostro Breviario designentur; neque hoc nobis præsertim omittendum fuit, quòd Ecclesia Nivernensis omnium Galliæ Ecclesiarum prima hunc usum introduxerit, cujus ea est utilitas, ut absque aliùs libri ope servetur Psalmodiæ gravitas & symphonia.

Cùm autem exceptis Sanctorum historiis, omne nostrum Breviarium conflatum sit ex sacrorum Codicum Patrumque textibus, (felices nos, si rectè selegerimus;) Vos modò præmonendos habemus adversùs illas suspiciones quæ possent suboriri de Sanctorum Legendis, quarum ipsa scriptio & delectus ad nos pertinere maximè videbantur. Verùm cùm apprimè noscamus leges illas Ecclesiasticas quibus cavetur ne quid affirmetur incerti, nedum obtrudantur apocrypha: nobis sicut & Augustino, (1) religio non fuit in phantasmatis nostris; melius enim est, (*inquiebat*) qualecumque verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi potest.

Verùm Sanctos illos peculiari religione colimus, qui morum sanctitate atque doctrinæ præstantiâ, in utraque Ecclesiâ Orientali scilicet & Occidentali inprimis claruère, (2) ex omni tribu & linguâ & populo & natione *assumpsimus, sicut prolusum est in Apocalypsi: ita ut Breviarium nostrum verè catholicum & esse & dici meritò possit. Si quos autem sanctos aliunde celebres prætermisimus, hoc nos tueri ac deffendere possumus quòd de his nihil certi reperire contigerit, quodque cum Augustino duxerimus non debere ad colendum exhiberi, quod ad imitandum non possit proponi.*

Ut autem Sanctorum Domino sua in omnibus servetur reverentia, & pareamus antiquæ illi Synodo Laodicenæ cui succinunt aliæ complures, nullas alias in die Dominicâ Sanctorum Festivitates admittimus, nisi sanctissimæ Virginis, Titularium

(1) De vera Relig. c. 55. (2) Apoc. 5. v. 9.

seu Patronorum, *S. Joannis Baptistæ*, *& Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli. Quòd si zelus quidam erga alios sanctos præposterus, & qui non sit secundùm scientiam, litem aut querelam nobis moverit, dicemus cum Augustino*, (1) Dignetur stella obscurari à sole. De Domino potiùs loquamur; Gaudet bonus servus, quando laudatur Dominus: *quâ in re jucundum nobis perinde ac præclarum sit exemplum sequi vicinarum Ecclesiarum* (2), *& quod nobis præcipuum fuit, Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, quibus in hoc genere præierat Ecclesia Mediolanensis, cui accessit Ordo Cluniacensis.*

Cùm autem sint certa quædam ac selecta tempora quibus Ecclesia nonnulla Christi Domini Redemptionisque nostræ mysteria attentiore studio præcipit observari; alia quibus vult ut secum vel salubri pœnitentiâ doleamus, vel honesto pioque gaudio exsultemus, idcirco in Adventu, in Quadragesima, in Quatuor Temporibus, aliisque Jejuniis imperatis, sicut & in tempore Paschali, non alia celebramus festa, nisi majora ac precipua; cetera quæ occurrerent, vel in aliud tempus rejecimus, vel feriali Officio subjecimus, contenti simplici eorum Commemoratione.

Secundùm omnium sanctorum Dominum, proximos honores illi quam vocat Ecclesia sanctorum Reginam, tribuimus; unde omne illud tempus quod primam Dominicam Adventûs inter & Festum Purificationis intercedit, simul & omnia Sabbata ejus Officio aut saltem memoriæ consecravimus. Si quid autem in hoc videatur esse novitatis, detur nostræ constanti erga Beatissimam Dei Genitricem pietati.

Cùmque demptis sacris Codicibus, nihil habeamus venerabilius aut utilius quàm Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, quos nulli Sacerdotum ignorare permittitur, & ex quorum observatione pendere pacem & tranquillitatem, Ecclesiarum ordinem, salutemque singulorum, *sancti Pontifices* (3) *Cælestinus primus & Leo* (4) *prædicabant; nullum omittere Canonem conati sumus, qui fidei dogmata sanciret, aut precipua disciplinæ moralis capita: unde illos ex Conciliis generalibus, ac præsertim ex*

(1) Serm. 262. n. 2. p. 1070.
(2) Bituric. Aurel. Autissiod.
(3) Epist. ad Episc. Apul. & Calabr.
(4) Epist. 79 ad Pulch. Aug. & Epist. 92 ad Maxim. Antioch. Episc.

sacrosancta Synodo Tridentina, & ex iis quae in hac Provinciâ cum veteri tum novâ habita sunt Conciliis extraximus. Certos quosdam majoribus Solemnitatibus assignavimus; reliquos autem per rerum ordinem digessimus, ita ut si quis eos diligenter & attentè perlegerit, breve quoddam reperturus sit fidei disciplinaeque compendium.

Qualemcumque igitur fructum hunc laborum nostrorum excipite, Fratres dilectissimi, quem conscii tenuitatis nostrae, non sine aliqua verecundia vobis offerimus; justius enim quàm olim Bernardus ad Arremarenses Monachos, qui Officium sancti Victoris Patroni sui ab ipso impetraverant, dicere deberemus, (1) hujusce altitudinem negotii autorem desiderasse, cujùs autoritas potior, vita sanctior, stylus maturior, & opus illustret, & consonet sanctitati.

Liceat hîc intereà nosmetipsos, eosque qui ad recitationem Breviarii cùm Ordinibus tum Beneficiis sunt adstricti, iisdem verbis objurgare, quibus Augustinus seipsum universosque Fideles commonebat: [2] Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potiùs frigida & pene nulla, immò omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in vobis cum dolore advertamus, quia si vel hoc dolemus, jam oramus.

Atque in hoc magis mirabatur Dei indulgentiam pius Doctor, Tolerat Deus, *inquiebat*, corda precantium & diversas res cogitantium, omitto dicere & noxias, aliquando perversas, & inimicas Deo; ipsas superfluas cogitare, injuria est ejus cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum.

Neque verò ad precum vim & efficaciam satis est attentio, nisi & comitem habeat morum integritatem & vitae sanctimoniam. Grande piaculum, labiis honorare Deum, corde autem ab eo longè abesse; enarrare justitias ejus, odisse verò disciplinam, & projicere sermones retrorsum.

Obsecramus igitur vos, Fratres dilectissimi, per nomen Domini nostri Jesu Christi ut idipsum dicatis omnes, ut unanimes, fraternitatis amatores, modesti, humiles, uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Beatos nos, si possemus vos iisdem verbis compellare, quibus olim Ignatius (3) *Ephesinae Ecclesiae Presbyteros*: Memorabile ve-

(1) Epist. 398. [2] Lib. ad Simpl. q. 2. n. 22. (3) Epist. ad Ephes.

ftrum presbyterium dignum Deo ita coaptatum est episcopo, ut chordæ citharæ, propter hoc in consensu vestro, & concordi caritate Jesus Christus canitur; sed & vos singuli chorus estote, ut consoni per concordiam, melos Dei recipientes in unitate, cantetis unâ voce per Jesum Christum Patri, quò & vos audiat & agnoscat ex iis quæ operamini, membra esse vos Filii ipsius.

Denique Mandamus ac præcipimus Ecclesiis, Collegiis, Monasteriis, omnibusque Pastoribus & aliis Clericis nobis subditis, ad Divinum, sive publicè, sive privatim adstrictis Officium, ut in posterum hoc Breviario nostrâ autoritate recèns edito utantur; prohibemusque ne aliud quodvis Breviarium sive publicè in Choro, sive privatim extra Chorum recitare præsumant. Datum Niverni in Palatio nostro Episcopali, tertio Nonas mensis Augusti, anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo septimo.

† CAROLUS, Episc. Nivernensis.

De Mandato Illustrissimi
& Reverendissimi D.D. mei
Episcopi Nivernensis.
ALGOT.

TABULA TEMPORARIA

Anni Domini	*Aur. num*	*Epacta*	*Indictio*	*Litt. Dominic.*	*Litt. Martyrol.*	*Dom. post Epip.*	*Dñica in Septuagesima*	*Die Ciner*
1727	18	vij	5	e	g	4	9 Febr.	26 Fe
1728	19	xviij	6	d c	t	2	25 Janu.	11 Fe
1729	1	xxx	7	b	p	5	13 Febr.	2 M.
1730	2	xj	8	A	l	4	5 Febr.	22 Fe
1731	3	xxij	9	g	C	2	21 Janu	7 Fe
1732	4	iij	10	f e	c	4	10 Febr	27 Fe
1733	5	xiv	11	d	p	3	1 Febr.	18 Fe
1734	6	xxv	12	c	F	6	21 Febr.	10 M.
1735	7	vj	13	b	t	4	6 Febr	23 Fe
1736	8	xvij	14	A g	ſ	3	29 Janu.	15 Fe
1737	9	xxviij	15	f	M	5	17 Febr.	6 Ma
1738	10	ix	1	e	i	3	2 Febr.	19 Fe
1739	11	xx	2	d	A	2	25 Janu.	11 Fe
1740	12	j	3	c b	a	5	14 Febr.	2 Ma
1741	13	xij	4	A	m	3	29 Janu.	15 Fe
1742	14	xxiij	5	g	D	2	21 Janu.	7 Fe
1743	15	iv	6	f	d	4	10 Febr.	27 Fe
1744	16	xv	7	e d	q	3	2 Febr.	19 Fe
1745	17	xxvj	8	c	G	5	14 Febr.	3 Ma
1746	18	vij	9	b	g	4	6 Febr.	23 Fe
1747	19	xviij	10	A	t	3	29 Janu.	15 Fe
1748	1	xxx	11	g f	p	5	11 Febr.	28 Fe
1749	2	xj	12	e	l	3	2 Febr.	19 Fe
1750	3	xxij	13	d	C	2	25 Janu.	11 Fe
1751	4	iij	14	c	c	4	7 Febr.	24 Fe
1752	5	xiv	15	b A	p	3	30 Janu.	16 Fe
1753	6	xxv	1	g	F	6	18 Febr.	7 Ma
1754	7	vj	2	f	f	4	10 Febr.	27 Fe
1755	8	xvij	3	e	ſ	2	26 Janu.	12 Fe
1756	9	xxviij	4	d c	M	5	15 Febr.	3 Ma
1757	10	ix	5	b	i	4	6 Febr.	23 Fe
1758	11	xx	6	A	A	2	22 Janu.	8 Fe

FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini	PASCHA.	Ascensio Domini.	Pentecostes.	Solemnitas S. Eucharistiæ.	Dñicæ post Pente.	Dñica I. Adventus.
1727	13 April.	22 Maii.	1 Jun.	12 Jun.	25	30 Nov.
1728	28 Mart.	6 Maii.	16 Mai.	27 Mai.	27	28 Nov.
1729	17 April.	26 Maii.	5 Jun.	16 Jun.	24	27 Nov.
1730	9 Apr.	18 Maii.	28 Mai.	8 Jun.	26	3 Dec.
1731	25 Mart.	3 Maii.	13 Mai.	24 Mai.	28	2 Dec.
1732	13 Apr.	22 Mai.	1 Jun.	12 Jun.	25	30 Nov.
1733	5 Apr.	14 Mai.	24 Mai.	4 Jun.	26	29 Nov.
1734	25 Apr.	3 Jun.	13 Jun.	24 Jun.	23	28 Nov.
1735	10 Apr.	19 Mai.	29 Mai.	9 Jun.	25	27 Nov.
1736	1 Apr.	10 Mai.	20 Mai.	31 Mai.	27	2 Dec.
1737	21 Apr.	30 Mai.	9 Jun.	20 Jun.	24	1 Dec.
1738	6 Apr.	15 Mai.	25 Mai.	5 Jun.	26	30 Nov.
1739	29 Mart.	7 Mai.	17 Mai	28 Mai.	27	29 Nov.
1740	17 Apr.	26 Mai.	5 Jun.	16 Jun.	24	27 Nov
1741	2 Apr.	11 Mai.	21 Mai.	1 Jun.	27	3 Dec
1742	25 Mart.	3 Mai.	13 Mai.	24 Mai.	28	2 Dec.
1743	14 Apr.	23 Mai.	2 Jun.	13 Jun.	25	1 Dec.
1744	5 Apr.	14 Mai.	24 Mai.	4 Jun.	26	29 Nov.
1745	18 Apr.	27 Mai.	6 Jun.	17 Jun.	24	28 Nov
1746	10 Apr.	19 Mai.	29 Mai.	9 Jun.	25	27 Nov.
1747	2 Apr.	11 Mai.	21 Mai.	1 Jun.	27	3 Dec.
1748	14 Apr.	23 Mai.	2 Jun.	13 Jun.	25	1 Dec.
1749	6 Apr.	15 Mai.	25 Mai.	5 Jun.	26	30 Nov.
1750	29 Mart.	7 Mai.	17 Mai.	28 Mai.	27	29 Nov.
1751	11 Apr.	20 Mai.	30 Mai.	10 Jun.	25	28 Nov.
1752	2 Apr.	11 Mai.	21 Mai.	1 Jun.	27	3 Dec.
1753	22 Apr.	31 Mai.	10 Jun.	21 Jun.	24	2 Dec.
1754	14 Apr.	23 Mai.	2 Jun.	13 Jun.	25	1 Dec.
1755	30 Mart.	8 Mai.	18 Mai.	29 Mai.	27	30 Nov.
1756	18 Apr.	27 Mai.	6 Jun.	17 Jun.	24	28 Nov.
1757	10 Apr.	19 Mai.	29 Mai.	9 Jun.	25	27 Nov.
1758	29 Mart.	4 Mai.	14 Mai.	25 Mai.	28	3 Dec.

In sequenti Kalendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit. Ob. *significat, Obiit.* an. *anno.* c. an. *circa annum.* f. *fortè.* Sec. *Seculo, vel Seculi.* init. *initio.* med. *medio.* fin. *fine vel finem.*

Festa quæ majori vel Italico notantur caractere, feriantur apud populum.

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Mensis*		
*	A	*Kal.*	1	CIRCUMCISIO D. N. JESU CHRISTI, & Octava Nativitatis ejus, *Solemne minus*; cum *Commemoratione* S. Fulgentii Ruspensis Episcopi. Obiit anno 533.
xxix	b	iv	2	S. Basilii magni Cæsariensis Episc. & Doctoris *Festum Semiduplex*. Obiit 1. Januarii an. 379. cum *Commemor.* SS. Martyrum propter sanctos libros occisorum an. 303.
xxviii	c	iii	3	Genovefæ Virginis, *Simplex*. an. 512.
xxvii	d	*Prid*	4	Titi discipuli S. Pauli, & Episcopi Cretensis, *Semiduplex*. an. Chr. 66.
xxvi	e	*Non.*	5	Vigilia Epiphaniæ Domini sine jejunio, cum *Commemor.* S. Symeonis Stylitæ circa an. 461.
25.xxv	f	viii	6	EPIPHANIA D. N. JESU CHRISTI, *Solemne majus.*
xxiv	g	vii	7	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex*, cum *Commemor.* S. Luciani Antioch. Presb. & Mart. an. 312.
xxiii	A	vi	8	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex*, cum *Commemor.* S. Apollinaris Hierapolit. Episc. c. an. 180.
xxii	b	v	9	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex.*
xxi	c	iv	10	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex*, cum *Commemor.* S. Pauli primi Eremitæ, c. an. 341.
xx	d	iii	11	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex*, cum *Commemor.* S. Paulini Aquil. Episc. an. 802.
xix	e	*Prid.*	12	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex*, cum

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		
				cum *Commemor.* S. Guillelmi Bituricensis Episcopi, an. 1208.
xviii	f	*Idib.*	13	Octava Epiphaniæ, & Baptismus Domini; *Duplex majus.*
xvii	g	xix	14	SS. Nominis Jesu *Duplex majus*; cum *Commem.* S. Felicis, Presb. Nol. c. an. 265.
xvi	A	xviii	15	Hilarii Episc. Pictav. & Doct. *Semiduplex*; c. an. 368.
xv	b	xvii	16	
xiv	c	xvi	17	Antonii Abbatis, *Duplex.* an. 356. cum *commemor.* S. Sulpicii Bituric. Episc. an. 644.
xiii	d	xv	18	Pontificatus seu Cathedra S. Petri Apostoli, *Duplex.* *Prima Septuagesima.*
xii	e	xiv	19	Athanasii Episc. Alexandr. & Doct. *Semiduplex*, [è 18. Januar.] Obiit. c. an. 373.
xi	f	xiii	20	Sebastiani Martyris *Semiduplex*; an. 288. cum *commemor.* S. Fabiani Papæ & Mart. an. 250.
x	g	xii	21	Agnetis Virg. & Mart. *Semiduplex*; c. an. 304.
ix	A	xi	22	Vincentii Diaconi & Mart. *Semiduplex*; an. 304.
viii	b	x	23	Hildefonsi Episc. Tolet. *Simplex*; an. 667.
vii	c	ix	24	Timothei Episc. Ephes. discip. S. Pauli. *Semiduplex*; c. an. Chr. 97. cum *com.* S. Babylæ Episc. Antioch. & Sociorum Mart. c. an. 250.
vi	d	viii	25	Conversio S. Pauli Apostoli, *Duplex*; an. Chr. 34.
v	e	vii	26	Polycarpi Smyrn. Episc. & Mart. *Semiduplex*; c. an. 166.
iv	f	vi	27	Joannis Chrysostomi Episc. Constantinopolitani & Doctoris *Semiduplex.* Obiit 14. Septemb. an. 407.

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		
iii	g	v	28	Thomæ Aquinatis Doct. *Semiduplex.* Obiit 7. Martii, an. 1274. cum *Commemor.* S. Cyrilli Alexandr. Episcopi & Doct. an. 444.
ii	A	iv	29	Francisci Salesii Episc. Genev. *Semiduplex*; obiit 28. Decemb. 1622.
i	b	iij	30	Gregorii Nazianzeni, Episc. Constantinop. & Doct. *Semiduplex.* an. 389. cum *commemor.* sanctæ Bathildis Francorum Reginæ c. an. 680.
*	c	*Prid.*	31	Marcellæ Viduæ, *Simplex.* an. 410. cum *commemor.* S. Petri à Nolasco Monachi: Obiit 25. Decemb. an. 1256.

FEBRUARIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		
xxix	d	*Kal.*	1	Ignatii Antioch. Episc. & Mart. *Semiduplex.* Obiit 20. Decemb. an. Chr. 107.
xxviii	e	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI, & PURIFICATIO B. VIRG. MARIÆ, *Solemne majus.*
xxvii	f	iij	3	Phileæ & Philoromi Mart. *Simplex*; c. an. 309.
xxvi	g	*Prid.*	4	Isidori Pelusiotæ Monachi, *Simplex*; c. an. 450. *Prima dies Cinerum.*
25.xxiv	A	*Non.*	5	Agathæ Virginis & Mart. *Semiduplex*; *Commemoratio tantùm in Quadragesima*; c. an. 251.
xxiii	b	viij	6	Vedasti Atrebat. Episc. *Simplex*; c. an. 539. cum *Commemor.* S. Amandi Traject. Episc. c. an. 679. vel. 684.
xxij	c	vij	7	SS. Martyrum incolarum omnium unius urbis in Phrygia, *Semiduplex*; *Commemoratio tantùm in Quadragesima.* an. 304.
xxj	d	vj	8	Stephani Institutoris Ordinis Grandimontensium, *Simplex*; an. 1124.
xx	e	v	9	Apolloniæ Virg. & Mart. *Simplex*; an. 249.

FEBRUARIUS.

Litt. Dom.		Dies Mensis	
f	iv	10	Scholasticæ Virginis, *Simplex*; c. an. 543.
g	iij	11	Severini Abbatis Agaunensis, *Simplex*; an. 507.
A	*Prid.*	12	Benedicti Abbatis Anian. *Simplex*. an. 821.
b	*Idib.*	13	
c	xvj	14	
d	xv	15	
e	xiv	16	
f	xiij	17	
g	xij	18	Symeonis Jerosolymit. Episc. & Mart. *Simplex*; an. Chr. 107.
A	xj	19	
b	x	20	
c	ix	21	Flaviani Antioch. Episc. *Commemoratio*. an. 404. *Ultima Septuagesima.*
d	viij	22	
e	vij	23	Vigilia. S. Matthiæ Apostoli *sine Jejunio. De ea nihil fit in Quadragesima.* * *Dies intercalaris addendus in anno bissextili, & in eo fit de Vigilia. S. Matthiæ.*
f	vj	24	} *Matthiæ Apostoli*, Duplex majus. I. Sec. *in anno Bissextili.*
g	v	25	}
A	iv	26	
b	iij	27	
c	*Prid.*	28	

In anno Bissextili Februarius est dierum 29. & festum S. Matthiæ celebratur 25 Februarii, & bis dicitur *sexto Calendas*, id est die 24. & die 25. Et littera Dominicalis quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem: si in Januario littera Dominicalis fuerit A, mutatur in præcedentem quæ est G, & littera F bis servit 24. & 25.

MARTIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		
*	d	*Kal.*	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
25. xxv	b	*Prid.*	6	
xxiv	c	*Non.*	7	Perpetuæ & Felicitatis Martyrum *Commemoratio*; Ob. c. an. 205.
xxiij	d	viij	8	Joannis de Deo, *Commemoratio*; an. 1550.
xxij	e	vij	9	Quadraginta Martyrum *Commemoratio*; c. an. 320.
xxj	f	vj	10	*Ultima dies Cinerum.*
xx	g	v	11	Eulogii Cordubensis Presb. & Mart. *commemoratio*; an. 859.
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	Vincentii Presbyteri de Magniaco Diœc. Nivern. *Commem.* c. 7. Sec.
xvij	c	*Prid.*	14	
xvj	d	*Idib.*	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	
xiij	g	xv	18	Cyrilli Jerosolymit. Episc. *Commemor.* an. 386.
xij	A	xiv	19	
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	
ix	d	xj	22	*Primum Pascha.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO & INCARNATIO DOMINI, *Solemne majus.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	*Prid.*	31	

APRILIS.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
xxix	g	*Kal.*	1	Mariæ Ægyptiæ *Commemor.* Ob. c. an. 430.
xxviij	A	iv	2	Francisci de Paula Institutoris Ord. Minimorum *Commemor.* an. 1507.
xxvij	b	iij	3	
25.xxvj	c	*Prid.*	4	Isidori Hispalensis Episc. *Commemor.* an. 636.
25.xxiv	d	*Non.*	5	Vincentii Ferrerii Ord. Prædicatorum *Commemor.* an. 1419.
xxiij	e	viij	6	Prudentii Trecensis Episc. *Commemor.* an. 861.
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	
xvij	d	*Prid.*	12	Julii Papæ *Commemor.* an. 352.
xvj	e	*Idib.*	13	Justini Martyris *Commemor.* c. an. 167.
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anselmi Cantuar. Episc. *Commemor.* an. 1109.
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	Marci Evangelistæ *Duplex majus*; an. 68 *Ultimum Pascha.*
iij	d	vj	26	Cleti, seu Anacleti, Papæ & Mart. *Commemorat.* an. Chr. 91. vel 93.
ij	e	v	27	Phebadii Aginnensis Episc. *Commemor.* c. an. 398.
j	f	iv	28	
*	g	iij	29	
xxix	A	*Prid.*	30	

MAIUS.

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Mensis*		
xxviij	b	*Kal.*	1	*Philippi* c. an. Chr. 85. & *Jacobi* an. 62. Apostolorum, *Duplex majus.*
xxvij	c	vj	2	
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis, *Duplex majus*; an. 326.
25. xxv	e	iv	4	Monnicæ Viduæ *Commemoratio*; Ob. an. 387.
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	*Prid.*	6	Joannis Apost. & Evang. ante portam Latinam *Commemor.* an. Chr. 95.
xxij	A	*Non.*	7	Joannis Damasceni Monachi *Commem.* post med. 8. Sec.
xxj	b	viij	8	
xx	c	vij	9	
xix	d	vj	10	*Prima Pentecoste.*
xviij	e	v	11	Mamerti Episc. Vien. *Commemor.* c. an. 475.
xvij	f	iv	12	Epiphanii Episc. Salaminæ, *Commem.* an. 402. vel 403.
xvj	g	iij	13	
xv	A	*Prid.*	14	Pachomii Abbatis *commemor.* an. 348. *vel* 349.
xiv	b	*Idib.*	15	
xiij	c	xvij	16	Francovei Monachi in Dioec. Nivern. [vulgò *S. Franchis*] *commemor.* c. 7. Sec.
xij	d	xvj	17	Possidii Calamensis Episc. *Commemor.* c. med. V. Sec.
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Petri Cœlestini Papæ *Simplex*; an. 1296.
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	22	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	
iij	f	vij	26	Augustini Cantuar. Episc. *Simplex*; c. an. 607.
ij	g	vj	27	

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies	Mensis	
j	A	v	28	
*	b	iv	29	Maximini Trevir. Episc. *Simplex*; an. 349.
xxix	c	iij	30	
xxviii	d	*Prid.*	31	

J U N I U S.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies	Mensis	
xxvii	e	*Kal.*	1	
25.xxvi	f	iv	2	
25.xxiv	g	iii	3	Clothildis Reginæ Francorum, *Simplex*. Ob. c. an. 537.
xxiii	A	*Prid.*	4	
xxii	b	*Non.*	5	Bonifacii Moguntini Episc. & Mart. *Simplex*, an. 754.
xxi	c	viii	6	Norberti Episc. Magdeburg. *Simplex*; an. 1134.
xx	d	vii	7	Pauli Constantinop. Episc. & Mart. *Simplex*; an. 351.
xix	e	vi	8	Medardi Noviom. Episc. *Simplex*; c. an. 546. cum *commemor.* S. Gildardi Episc. Rotomag. c. an. 527. vel 529.
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iii	11	Barnabæ Gentium Apostoli, *Duplex majus*; post med. I. Sec.
xv	b	*Prid.*	12	
xiv	c	*Idib.*	13	*Ultima Pentecoste*
xiij	d	xviij	14	
xij	e	xvij	15	Vigilia SS. Ciryci & Julittæ Mart. *sine Jejunio.*
xj	f	xvj	16	CIRYCI & JULITTÆ Martyrum, *Annuale*; c. an. 305.
x	g	xv	17	De Octava, *Semiduplex.*
ix	A	xiv	18	De Octava, *Semiduplex.*
viij	b	xiij	19	Gervasii & Protasii Martyrum *Duplex majus*, I. Sec. cum *commemor.* Octavæ & S. Romualdi Abbatis Camaldulensium Institutoris, c. an. 1027.
vij	c	xij	20	Deodati Episc. Nivern. [vulgò *S. Dié*]

JUNIUS.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
				Duplex, c. an. 679. cum *commemorat.* Octavæ.
vj	d	xj	21	De Octava, *Semiduplex*, cum *commemor.* S. Eusebii Samosateni Episc. & Mart. an. 380.
v	e	x	22	De Octava *Semiduplex*, cum *Commemor.* S. Paulini Nolani Episc. an. 431.
iv	f	ix	23	Octava SS. Cyrici & Julittæ Mart. *Duplex majus* cum *commemor.* Vigiliæ Nativit. S. Joannis Baptistæ, *cum Jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS-BAPTISTÆ, *Solemne minus.*
ij	A	vij	25	
j	b	vj	26	Ambrosii Mediolan. Episc. & Doct. *Duplex*; obiit 4. April. an. 397.
*	c	v	27	
xxix	d	iv	28	Vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli *cum Jejunio.*
xxviij	e	iij	29	PETRI & PAULI Apostolorum, *Solemne minus*, c. an. Chr. 66. 29. Jun.
xxvij	f	*Prid.*	30	

JULIUS.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
xxvj	g	*Kal.*	1	
25. xxv	A	vj	2	Visitatio. B. V. Mariæ, *Duplex majus.*
xxiv	b	v	3	S. Agricolæ Episc. Nivern. *Duplex*; Ob. c. an. 594.
xxiij	c	iv	4	
xxij	d	iij	5	Pothini Episc. Lugdun. & Socior. Mart. *Semiduplex*; an. 177. aut 180.
xxj	e	*Prid.*	6	Irenæi Episc. Lugdun. & Socior. Mart. *Semiduplex.* c. an. 202.
xx	f	*Non.*	7	Pantæni Alexandr. Doctoris, *Simplex*; c. an. 215.
xix	g	viij	8	Itherii Nivern. Episc. [vulgò *S. Ithier*,] *Duplex*; c. an. 695.
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum Mart. & S. Felicitatis

JULIUS.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
				matris eorum, *Simplex*; c. an. 164.
xvj	c	v	11	Benedicti Abbatis Cassinensis *Semiduplex*. Ob. mense Martio c. an. 543. Translat. c. an. 653.
xv	d	iv	12	
xiv	e	iij	13	
xiij	f	*Prid.*	14	Bonaventuræ Episc. Alban. & Doctoris, *Semiduplex*. an. 1274.
xij	g	*Idib.*	15	Jacobi Episcopi Nisibeni, *Simplex*. c. an. 350.
xj	A	xvij	16	
x	b	xvj	17	Sperati & Sociorum Martyrum Scillitanorum, *Simplex*, an. 200.
ix	c	xv	18	Ivonis Presbyteri *Duplex*, an. 1303.
viij	d	xiv	19	Arsenii Anachoretæ *Simplex*; c. an. 445.
vij	e	xiij	20	Joseph Sponsi B. V. Mariæ *Duplex majus*. I. Sec.
vj	f	xij	21	Victoris Martyris Massil. *Semiduplex*. an. 290. vel 303.
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenes, *Duplex*; I. Sec.
iv	A	x	23	Apollinaris Raven. Episc. & Conf. *Simplex*, c. an. Chr. 100.
iij	b	ix	24	Vigilia S. Jacobi Apostoli, *sine Jejunio*.
ij	c	viij	25	*Jacobi Apostoli*, Duplex majus; c. an. Chr. 44.
j	d	vij	26	Annæ matris B. V. Mariæ; *Duplex*.
*	e	vj	27	
xxix	f	v	28	
xxviij	g	iv	29	Lupi Trec. Episc. *Semiduplex*; an. 478.
xxvij	A	iij	30	
xxvj	b	*Prid.*	31	Germani Episc. Autissiodor. *Semiduplex*, c. an. 448. cum *commemor.* S. Ignatii de Loyola Presb. an. 1556.

AUGUSTUS.

25. xxiv	c	*Kal.*	1	Petri ad vincula, è carcere liberati an. Chr. 44. *Semiduplex*, cum *Commem.* SS. Machabæorum; c. an. 167. ante Chr. natum.

AUGUSTUS.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
xxiij	d	iv	2	Stephani Papæ & Martyris *Simplex.* Ob. c. an 257.
xxij	e	iij	3	Revelatio seu Inventio Corporis S. Stephani protomartyris, *Semiduplex*; an. 415. mense Decembri.
xxj	f	*Prid.*	4	Dominici Institutoris Ordinis Prædicatorum *Semiduplex*; an. 1221.
xx	g	*Non.*	5	
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *Duplex majus*, cum *Commemor.* S. Xysti Papæ & Mart. an. 258.
xviij	b	vij	7	
xvij	c	vj	8	
xvj	d	v	9	Vigilia S. Laurentii Mart. *cum Jejunio.*
xv	e	iv	10	*Laurentii Diaconi & Martyris*, Duplex majus; an. 258
xiv	f	iij	11	Susceptio sanctæ Coronæ Spineæ Domini, *Duplex*; an. 1239.
xiij	g	*Prid.*	12	Claræ Virginis, *Simplex*; an. Chr. 1253.
xij	A	*Idib.*	13	Maximi Abbatis & Martyris, *Simplex*; an. 662. vel 663.
xj	b	xix	14	Vigilia Assumptionis B. V. Mariæ, *cum Jejunio.*
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. V. MARIÆ, *Annuale.* I. Sec.
ix	d	xvij	16	Arigii Episc. Nivern. *Duplex.* [vulgò *S. Aré*;] c. an. 558. cum *Commemorat.* Octavæ, & S. Rochi, Sec 14.
viij	e	xvj	17	De Octava Assumpt. *Semiduplex.*
vij	f	xv	18	De Octava Assumpt. *Semiduplex.*
vj	g	xiv	19	De Octava Assumpt. *Semiduplex.*
v	A	xiij	20	Bernardi Abbatis *Duplex*; an. 1153. cum *Commemor.* Octavæ, & S. Filiberti Abbatis Gemetic. an 684.
iv	b	xij	21	De Octava Assumpt. *Semiduplex.*
iij	c	xj	22	Octava Assumptionis B. V. Mariæ, *Duplex majus.*
ij	d	x	23	Vigilia S. Bartholomæi *sine Jejunio.*

AUGUSTUS

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
j	e	ix	24	*Bartholomæi Apostoli*, Duplex majus I. Sec. cum *Commemor.* S. Patricii Abbatis in Diœc. Nivern. [vulgò *S. Parrize*,] c. med. Sec. VI.
	f	viij	25	*Ludovici Francorum Regis* Duplex majus. an. 1270. cum *Commemor.* SS. Genesiorum Martyrum Rom. an. 285. vel 286. Arelat. c. an. 308.
xxix	g	vij	26	Euladii Episc. Nivern. *Duplex*; initio VI. Seculi.
xxviij	A	vj	27	Cæsarii Arelat. Episc. *Simplex*; an. 542.
xxvij	b	v	28	Augustini Hippon. Episc. & Doct. *Duplex*; an. 430.
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptistæ, *Duplex*; an. Christi 32.
xxv	d	iij	30	
25 xxiv	e	*Prid.*	31	Gildardi Presbyteri in Diœc. Nivern. *Semiduplex*; c. VII. Sec. cum *Commem.* S. Paulini Trevir. Episc. an. 358. [In Eccl. Cathed. S. Patricii Abb. *Dup.* (G) cum *Commem.* S. Gildardi, & S. Paulini.

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
xxiij	f	*Kal.*	1	Lupi Episc. Senon. *Simpl.* Ob. c. an. 623
xxij	g	iv	2	Lazari à Christo suscitati, *Semiduplex*, an. Christi 33. *Commemor.* SS. Mariæ & Marthæ sororum ejus.
xxj	A	iij	3	Gregorii magni Papæ & Doct. *Duplex*; 12. Martii an. 604.
xx	b	*Prid.*	4	Marcelli Martyris *Semiduplex*, an. 177.
xix	c	*Non.*	5	
xviij	d	viij	6	Himberti Abbatis in Diœc. Nivern. *Semiduplex*; f. c. fin. X. Sec.
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. VIRG. MARIÆ, *Solemne majus.*
xv	g	v	9	De Octava Nativitatis B. V. M. *Semiduplex*; cum *Commemor.* SS. Dorothei & Gorgonii Mart. an. 303.

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis.		
xiv	A	iv	10	Joachim Patris B. V. M. *Duplex*, cum *Commemor.* Octavæ Nativ.
xiij	b	iij	11	De Octava Nativ. *Semiduplex.*
xij	c	*Prid.*	12	De Octava Nativ. *Semiduplex.*
xj	d	*Idib.*	13	De Octava Nativ. *Semiduplex.*
x	e	xviij	14	Exaltatio sanctæ Crucis, *Duplex majus*, [in Ecclesia Cathedr. *Solemne minus*,] cum *Commemor.* Octavæ Nativitatis, & S. Cornelii Papæ & Mart. an. 252.
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis B. V. Mariæ, *Duplex.*
viij	g	xvj	16	Cypriani Carthag. Episc. & Mart. *Semiduplex*; obiit 14. Septemb. an. 258.
vij	A	xv	17	
vj	b	xiv	18	
v	c	xiij	19	
iv	d	xij	20	Vigilia S. Matthæi Apost. *cum jejunio.*
iij	e	xj	21	*Matthæi Apost. & Evangelistæ*, Duplex majus, I. Sec.
ij	f	x	22	Mauricii & Sociorum Martyrum *Semiduplex*; c. an. 286.
j	g	ix	23	Lini Papæ & Martyris *Simplex*; c. fin. an. Christi 78.
— *	A	viij	24	Theclæ Virg. & Proto-mart. *Semid.* I. Sec.
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Cosmæ & Damiani Martyrum *Semiduplex*, c. an. 303.
25. xxvj	e	iv	28	Exuperii Tolosani Episc. *Simplex*; c. an. 416. cum *Commemor.* sanctæ Eustochii Virg. c. an. 419.
25. xxiv	f	iij	29	Michaëlis Archangeli & omnium Angelorum, *Duplex majus.*
xxiij	g	*Prid.*	30	Hieronymi Presbyteri & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex*, an. 420. cum *Commemor.* S. Ephræm Monachi, an. 378.

OCTOBER.

xxij	A	*Kal.*	1	Remigii Episc. Remensis, *Semiduplex.* Obiit 13. Januar. c. an. 533.

Leodegarii

OCTOBER.

Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
[illegible]	b	vj	2	Leodegarii Augustodun. Episc. & Mart. *Semiduplex*, an. 678.
xx	c	v	3	Angelorum Custodum *Duplex*; cum *Commemor.* S. Dionysii Areopagitæ primi Athen. Episc. & Mart. c. an. æræ Christi 95.
[illegible]	d	iv	4	Francisci Assisinatis, *Semiduplex*; an. 1226.
xviij	e	iij	5	Hieronymi Nivern. Episc. *Duplex*, c. an. 815.
xvij	f	*Prid.*	6	Brunonis Institutoris Ordinis Cartusianorum *Semiduplex*, an. 1101.
xvj	g	Non.	7	
xv	A	viij	8	
xiv	b	vij	9	Dionysii Episc. Paris. & Sociorum Mart. *Duplex*; post med. III. Sec.
xiij	c	vj	10	
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	
ix	g	*Prid.*	14	
viij	A	*Idib.*	15	Theresiæ Virginis, *Semiduplex*; [4. aliàs 14. Octob.] an. 1582.
vij	b	xvij	16	Salvii Monachi in Diœc. Nivern. [vulgò *S. Sauge*,] *Semiduplex*; c. an. 540.
vj	c	xvj	17	Troësii Abbatis Nivern. *Semiduplex*, [vulgò *S. Troès.*] ante IX. Sec. [¶ *Dominicâ penultimâ Octobris fit Festum Anniversarii* DEDICATIONIS ECCLESIÆ NIVERNENSIS, & aliarum totius Diœcesis, *Solemne majus*, cum Octava.]
	d	xv	18	Lucæ Evangelistæ *Duplex majus*; I. Sec.
	e	xiv	19	Saviniani Episc. & Potentiani Martyrum *Semiduplex*; 31. Decembr. post med. III. Sec.
[illegible]	f	xiij	20	Aderaldi Presbyteri, Canonici & Archidiaconi Trecensis. *Semiduplex*, an. 1004.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies	Mensis	# OCTOBER.
ij	g	xij	21	Hilarionis Abbatis *Simplex*, an. 371.
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	
xxvij	e	vij	26	
xxvj	f	vj	27	Susceptio Brachii S. Ciryci, & Veneratio Reliquiarum quæ sunt in Ecclesia, *Duplex majus*, cum *Commemor.* Vigiliæ SS. Simonis & Judæ, *cum Jejunio.*
25. xxv	g	v	28	*Simonis & Judæ Apostolorum*, Duplex majus. I. Sec.
xxiv	A	iv	29	
xxiij	b	iij	30	Quintini Martyris *Simplex*; c. an. 287.
xxij	c	*Prid.*	31	Vigilia omnium Sanctorum *cum Jejunio.*
				NOVEMBER.
xxj	d	*Kal.*	1	OMNIUM SANCTORUM *Festum Annuale*, institutum à Gregorio IV. circa annum 835.
xx	e	iv	2	*Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum*, Solemne minus.
xix	f	iij	3	De Octava omn. Sanctorum, *Semiduplex.*
xviij	g	*Prid.*	4	De Octava, *Semiduplex.*
xvij	A	*Non.*	5	De Octava, *Semiduplex.*
xvj	b	viij	6	De Octava, *Semiduplex.*
xv	c	vij	7	De Octava, *Semiduplex.*
xiv	d	vj	8	Octava omnium Sanctorum, *Duplex majus.*
xiij	e	v	9	Caroli Mediolan. Episc. *Duplex.* Ob. 3. Novemb. an. 1584. cum *Commemor.* S. Theodori Mart. c. an. 306.
xij	f	iv	10	Leonis magni Papæ, *Duplex*, an. 461.
xj	g	iij	11	Martini Turon. Episc; *Duplex*, an. 397. aut 400. cum *Commemor.* S. Honorati Monachi in Diœc. Nivern.
x	A	*Prid.*	12	Petrusii Mart. in Diœc. Nivern. [vulgò *S. Perreuse.*] *Semiduplex.*
ix	b	*Idib.*	31	Maurini Diaconi Nivern. *Semiduplex.*

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	Dionysii Alexandrini Episc. & Confess. *Semiduplex*; an, 264.
v	f	xv	17	Romani Diac. Cæsariensis, & Mart. Antioch. *Semiduplex*. 17. Novemb. an. 303. cum *Commemor.* S. Gregorii Thaumaturgi Neocæsar. Episc. c. an. 270.
iv	g	xiv	18	Aniani Episc. Aurelianensis, *Simplex*; an. 453. cum *Commemor.* S. Gregorii Turon. Episc. (è 17. Novemb.) an. 595.
iij	A	xiij	19	
ij	b	xij	20	
j	c	xj	21	Præsentatio B. V. Mariæ, *Duplex majus*, cum *Commemor.* S. Columbani primi Abbatis Bobiensis, an. 615.
*	d	x	22	Cæciliæ Virg. & Mart. *Semiduplex*.
xxix	e	ix	23	Clementis Papæ & Mart. *Duplex*; an. 100.
xxviij	f	viij	24	
xxvij	g	vij	25	Petri Alexandr. Episc. & Mart. *Simplex*; an. 311. [In Eccl. Cathedr. S. Catharinæ Virg. & Mart. *Duplex*, cum *Commem.* S. Petri Alexandrini.
25. xxvj	A	vj	26	
25. xxiv	b	v	27	*Prima sedes Adventûs.*
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vigilia S. Andreæ Apost. *cum jejunio*, & *Commemor.* S. Saturnini Tolos. Episc. post med. III. Sec.
xxj	e	*Prid.*	30	*Andreæ Apost.* Duplex majus, post med. I. Sec.

DECEMBER.

xx	f	*Kal.*	1	Eligii Episc. Noviom. *Semiduplex*; *in Adventu Commem. tantùm*; Ob. c. an. 659.
xix	g	iv	2	Francisci Xaverii *Semiduplex*; *in Adventu Commemor. tantùm*; an. 1552.
xviij	A	iij	3	*Ultima sedes Adventûs.*
xvij	b	*Prid.*	4	Sigiranni primi Abbatis Longoretensis *Commemor.* c. an. 655.

DECEMBER.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies	Mensis	
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	Nicolai Mirensis Episc. *Commemoratio*, c. an. 336.
xiv	e	vij	7	
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. VIRG. MARIÆ, *Solemne minus*.
xij	g	v	9	[In Ecclesia Cathedr. S. Valeriæ Virginis & Mart. *Commemoratio*.]
xj	A	iv	10	
x	b	iij	11	
ix	c	*Prid.*	12	
viij	d	*Idib.*	13	Luciæ Virg. & Mart. *Comm.* c. an. 304.
vij	e	xix	14	
vj	f	xviij	15	Eusebii Vercell. Episc. & Conf. *Commemor.* c. an. 370. 1. Augusti.
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
*	e	xij	21	*Thomæ Apostoli* Duplex majus, post med. I. Seculi.
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	Ivonis Carnotensis Episc. *Commemoratio*, an. 1115.
xxvij	A	ix	24	Vigilia *cum jejunio*.
xxvj	b	viij	25	NATIVITAS D. N. JESU CHRISTI, *Annuale*.
25. xxv	c	vij	26	*Stephani Diaconi & Protomartyris* Duplex majus; an. Christi 33.
xxiv	d	vj	27	*Joannis Apostoli & Evang.* Duplex majus, c. an. Chr. 100.
xxiij	e	v	28	Innocentium Mart. *Duplex*; an. Christi 1.
xxij	f	iv	29	De Octava Nativitatis, *Semiduplex*, cum *Commemor.* S. Thomæ Cantuar. Episc. & Mart. an. 1170.
xxj	g	iij	30	De Octava Nativit. *Semiduplex*.
19. xx	A	*Prid.*	31	De Octava Nativit. *Semiduplex*, cum *Commem.* S. Silvestri Papæ; c. an. 335.

Hæc Epacta 19. nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum aureo Numero xix.

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY.

PAr Lettres Patentes données à Paris le 25. jour du mois de Janvier 1725. signées par le Roy en son Conseil, NOBLET, & scellées du grand Sceau de cire jaune, Sa Majesté a permis à l'Illustrissime & Reverendissime Seigneur Messire CHARLES FONTAINE DES MONTE'ES Evêque de Nevers, Conseiller en ses Conseils, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choisir les *Breviaire*, *Diurnal*, *Messel*, *Ritnel*, *Antiphonier*, *Graduel*, *Processionnal*, *Epistolier*, *Pfaultier*, *Heures*, *Statuts Synodaux*, *Catechismes*, & autres livres pour l'instruction & l'usage de son Diocese autant de fois que bon lui semblera, & de les faire vendre & debiter par tout son Royaume pendant le temps & espace de dix années consecutives à compter du jour de la date des presentes. Avec défenses à tous Libraires, Imprimeurs & autres, que celui que ledit Sieur Evêque aura choisi, d'imprimer ou faire imprimer lesdits Livres ci-dessus énoncez en tout ni en partie, ni en faire aucuns extraits, sous quelque prétexte que ce soit, sans le consentement par écrit dudit Sieur Evêque, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, & de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hotel Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Sieur Evêque, ou à ceux qui auront droit de luy; & de tous dépens, dommages, & interests; comme il est plus amplement porté par lesdites Lettres.

Registré sur le Registre VI. de la Chambre Syndicale de la Librairie & Imprimerie de Paris N. 159. fol. 134. à Paris le 6. Fevrier 1725. signé Brunet Syndic.

Et ledit Seigneur Evêque a cedé & transporté son droit de Privilege pour ledit Breviaire à Messieurs les Deputez de la Chambre Ecclesiastique du Diocese de Nevers, pour en jouir suivant les conditions faites entr'eux : lesquels ont choisi pour l'impression dudit Breviaire NICOLAS LANQUEMENT Imprimeur Libraire à Orleans le 23. May 1725.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 30. Aoust 1727.

Les Exemplaires ont été fournis, suivant le Privilege.

RUBRICÆ
SEU REGULÆ GENERALE[S]
BREVIARII NIVERNENSIS.

I.



Dicentur secretò *Pater*, *Ave*, & *Credo* initio Officii cujuslibet diei; & concludetur Officium per Antiphonam beatæ Mariæ Virginis pro tempore occurrentem; simul & per *Pater*, *Ave*, & *Credo*.

2. Festa Annualia & Solemnia majora in quacumque die occurrant celebrabuntur; [præterquàm à Dominica in Ramis palmarum ad Dominicam in Albis depositis inclusivè, & à Vigilia Pentecostes ad Festum SS. Trinitatis inclusivè: sed transferentur post Octavas in primam diem simili aut superiori Festo non impeditam.] Si autem in Dominicam inciderint, de ea fiet sola Commemoratio in utrisque Vesperis, Noct. Laudibus Matutinis, & in Missa. In his non fit publicè, sed privatim tantùm, Commemoratio de Festis Semiduplicibus & Simplicibus.

3. Ubi in Breviario erit una Lectio de Sancto aliquo Patrono alicujus Ecclesiæ in Diœcesi: tunc in illa Eccl[e]sia Festum erit Annuale, cu[m] Octava extra Quadragesima[m] & Adventum: tuncque in [I] Nocturno Lectiones erunt d[e] Scriptura occurrente cum su[is] Responsoriis. Prima Lecti[o] de II. Nocturno erit ut in Pr[o]prio: cetera de Communi.

4. In die Octava Festoru[m] Annualium Officium est Du[]plex majus.

5. In Annualibus tertium cu[]juslibet Nocturni ℟. repetitu[r] ab initio usque ad Versum; i[n] Solemnibus & Duplicibus ulti[]mum tantùm, & in Vesperis

6. In Dominicis Adventûs & Quadragesimæ non fit Officium de Festis Solemnibus minoribus: sed Officium trans[]fertur in proximam diem abs[]que feriatione; excepto ta[]men Conceptionis B. Mariæ Virginis Festo, quod transla[]tum feriabitur in populo.

7. Festa Semiduplicia nunq[uam] transferentur, & cedent no[n] tantùm Dominicis & Festis Duplicibus; sive sint transla[ta] illa Festa Duplicia, sive non; sed & Octavis, etiamque Feriis privilegiatis Adventûs,

Quadragesimæ, Temporis Paschalis, Quatuor Temporum, Vigiliarum, & trium dierum Rogationum: de his autem Semiduplicibus fiet Commemoratio in ultimo Nocturno, in Laudibus & in Missa, sed & in utrisque Vesperis: De Simplicibus autem in I. Vesperis, in Noct. in Laudibus, & in Missa tantùm. Et quando de Simplicibus fit Officium, incipit à Capitulo primarum Vesperarum, & finitur ad Nonam.

8. Non fit Octava, nisi Annualium & Solemnium majorum. Intra Octavam Festivitatis Omnium Sanctorum non fit Festum alicujus Sancti, nisi sit Patronus Ecclesiæ.

9. Fiet semper Officium integrum de Dominica, nisi in illam incidat Festum Domini, B. Mariæ Virginis, Patroni Ecclesiæ, B. Joannis Bapt. & Apost. Petri & Pauli. Cetera Sanctorum Festa, etiam feriata in populo, in proximam diem simili vel superiori Festo non impeditam transferentur.

10. Si Festum feriatum incidat in Sabbatum, secundæ Vesperæ erunt de Sabbato, cum Commemoratione Festi feriati. Si autem Festum feriatum incidat in Feriam secundam, primæ Vesperæ erunt integræ de Festo, cum Commemoratione Dominicæ. Secundæ enim Vesperæ semper cedunt primis, nisi sint secundæ Vesperæ Festivitatis Domini, B. Mariæ Virginis, Patroni, B. Joannis Bapt. sicut & beatorum Apost. Petri & Pauli.

11. Quando Festum Duplex incidit in Dominicam, tunc transfertur in diem sequentem simili vel superiori Festo non impeditam, & concurret cum Semiduplici vel Simplici Festo, de quibus fiet in ultima vel penultima Lectione, cum eorum Lectionibus & Responsoriis in ultimo Nocturno.

12. Nunquam in Dominicis dicentur Preces, nec Suffragia seu Commemorationes communes, sed tantùm de Sanctis occurrentibus, de quibus erit nona Lectio cum suo Responsorio.

13. Festa Simplicia cedent Officio B. Mariæ Virginis in Sabbato: in Festis autem majoribus vel in Feriis privilegiatis, ubi de ea non poterit fieri Officium, fiet de B. Virgine Commemoratio in Vesperis, Laudibus, & Missa, exceptis Sabbatis Paschæ & Pentecostes, vel nisi concurrant Festa Annualia aut Solemnia majora.

14. In quibuscumque Festis Psalmi semper dicuntur juxta Feriam, ut totum Psalterium absolvatur in qualibet hebdo-

mada, excepto tempore Paschali, in quo tres tantùm Psalmi dicentur alternatim ad Nocturnum per singulas hebdomadas.

15. In Festis novem Lectionum, ad Vigilias primæ tres Lectiones sunt de Scriptura occurrente cum suis Responsoriis, nisi aliter notetur.

16. In festis trium Lectionum, & in Feriis per annũ, ex novem Psalmis dicuntur tres singuli Psalmi, seu ternarius Psalmorum numerus sub una dumtaxat Antiphonâ juxta Feriam; & si sint duæ Lectiones de Sanctis, fit una ex tribus Scripturæ occurrentis Lectionibus, quæ nunquam privatim omittentur: Sed earum prima tantùm legitur in Choro cum suo Responsorio j. Si sit una dumtaxat de Sancto, ex duabus ultimis Scripturæ occurrentis Lectionibus fiet secunda cum suo ℟. iij. sine *Gloria Patri*; tertia erit de Sancto cum suo Responsorio.

17. Si in Vigiliis vel in Feriis cum jejunio, occurrant duæ Lectiones de Sanctis, Lectio prima fiet ex tribus Scripturæ occurrentis Lectionibus una, cum tertio Responsorio. Lectio secunda erit Evang. & Homil. de jejunio vel Vigiliâ cum suo Responsorio; tertia de Sancto, omissâ Lectione de Sancto cujus tantùm esset Commemoratio.

18. Nunquam anticipabitur Vigilia; de quâ fiet in quamcumque diem incidat: sed tantùm Jejunium anticipabitur, & fiet de Feria occurrente cum Precibus etiam flexis genibus.

19. Canticum *Te Deum* dicitur in omnibus Festis etiam Simplicibus, & in Feriis Temporis Paschalis.

20. In diebus Stationum seu Jejuniorũ, quæ in Nivernensis Ecclesiæ Ordinario vocantur *dies Afflictionis*, scilicet Vigiliarum, & Quatuor Temporum (exceptis illis quæ sunt intra Octavam Pentecostes) dicuntur Preces & quidem flexis genibus ad Matutinas Laudes & Horas; non autem ad Vesperas, quia jam solutum est Jejunium post Nonam quæ dicitur ante comestionem. Dicuntur etiam ad Vesperas flexis genibus Feriâ quartâ Cinerum, & duobus sequentibus diebus ut in Psalterio ad Laudes Feriæ II. in aliis autem Feriis Quadragesimæ, ut in Proprio de Tempore ad Laudes Feriæ II. Hebdom. I. Quadrages. In Completorio dicuntur consuetæ in Feriis Preces, sed non flexis genibus, quia solutum est Jejunium.

21. In utrisque Vesperis Annualium, triphonatur Antiphona ad *Magnificat*, sicut & majores *O* ante Natale Domini.

PSALMORUM INDEX.

BENEDICTIONES

DICENDÆ ANTE LECTIONES.

In I. Noct.

Et in Officio trium Lectionum, ante Lectiones de Scriptura occurrente,

Hebdomadarius dicit, Pater noster, *&c. secretò; sed altâ voce* ℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera, *&c.*

Tum Lector dicit, Jube domne benedícere.

[*Qui solus recitat Officium, non dicit* Jube domne, *nec Benedictiones sequentes.*]

Hebdomadarius,

1 Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ & revelatiónis. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5. ℟. Amen.

3. Cáritas Dei diffundátur in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis. *Rom.* 5. *&* 8. ℟. Amen.

In II. Noct.

4 Pater fáciat nos eum adoráre in spíritu & veritáte. *Joan.* 4. ℟. Amen.

5. Dóminus noster Jesus Christus exhortétur corda nostra, & confírmet in omni ópere & sermóne bono. 2. *Thess.* 2. ℟. Amen.

6. Unctio quam à Deo accépimus máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2. ℟. Amen.

In III. Noct.

7. Evangélium non fit in sermóne tantùm, sed & in virtúte, & in Spíritu sancto, & in plenitúdine multa. 1. *Thess.* 1. ℟. Amen.

8. Induat te Deus virtúte ex alto, ut annúnties regnum Dei, & opus fácias Evangelístæ. *Luc.* 24. *&* 9. 1. *Tim.* 4. ℟. Amen.

9. Detur tibi sermo in apertióne oris tui cum fidúcia notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes.* 6. ℟. Amen.

[¶ *Si Lectio viij. est de Sancto, Benedictio erit* : Ponat Deus verba in ore tuo, ut dicas quómodo glorificétur in Sanctis suis, & admirábilis fiat in ómnibus qui credidérunt in eum. 2. *Thess.* 1. 10. ℟. Amen.]

[¶ *Si Lectio ix. est de Sancto, Benedictio:* Deus det nobis sortem inter Sanctos, ut possímus

comprehéndere quæ sit cláritas Christi. *Act.* 26. 13. *Ephes.* 3. 18. ℟. Amen.

[¶ *Quando Dominus Episcopus dicit ix. Lectionem, dicto ab eo*, Jube Domne benedícere, *respondet qui primus est in Choro*, Ora pro nobis Pater.

Tuncque Dominus Episcopus dicit: Oro ut Dóminus multíplicet & abundáre fáciat caritátem vestram in ínvicem & in omnes, quemádmodum & nos in vobis. 1. *Thess.* 3.

In Festo 9 Lectionum *de B. Maria, dicuntur in II. Noct. sequentes Benedictiones.*

4. Benedícat nos Dóminus Deus noster, qui in ancílla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël. *Judith.* 13. ℟. Amen.

5. Dóceat nos de viis suis, qui per féminam ad níhilum redégit inimícos nostros. *Mich.* 4. *Judith.* 13. ℟. Amen.

6. Deus det nobis illumináros óculos cordis, ut sciámus quómodo exáltet húmiles. *Ephes.* 1. *Luc.* 1. ℟. Amen.

In Officio trium Lectionum de B. Maria ante ejus Lectionem dicitur Benedictio, Benedicat nos. *&c. ut suprà.*

In Festo 9 Lectionum *de Sanctis dicuntur in II. Noct. sequentes Benedictiones.*

4. Deus det nobis illumináros óculos cordis, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hereditátis ejus in Sanctis. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

5. Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis suis admirábilis fíeri. 2. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

6. Dignos nos fáciat in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Coloss.* 1. ℟. Amen.

In Officio trium Lectionum, ante Lectionem de Sancto, Benedictio erit Deus det nobis. *suprà; Et si duæ sunt Lectiones de sanctis, ante ultimam Benedictio*, Dignos nos faciat, *ut suprà.*

Si autem pro prima Lectione legatur Evangelium cum Homilia, Benedictio erit, Evangelium, *&c. ut suprà in III. Noct.*

Ubi sunt duo Evangelia cum Homiliis, prima Benedictio erit, Evangelium. *&c. secunda erit*, Detur tibi *&c. ut suprà in tertio Nocturno.*

In Feriis,

Benedictiones sunt ut suprà in primo Nocturno.

PSALTERIUM DISPOSITUM PER HEBDOMADAM.

PARS HIEMALIS.

DOMINICA,

AD VIGILIAS.



OMINE lábia mea apéries ; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

℣. Deus in adjutórium meum inténde ; ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, & Filio, & Spirítui sancto, sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. Allelúia.

Sic dicitur Allelúia *(etiam ad alias Horas) præterquàm à Septuagesima ad Pascha : & tunc ejus loco dicitur*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Invitatorium per annum : Sedéntem in throno & vivéntem in sécula seculórum* Veníte adorémus. *Apocal.* 4. *v.* 10. *Repetitur à choro.*

¶ *Si quæ ponenda sunt alia Invitatoria, tam de Tempore quàm de Sanctis, cum Hymnis propriis reperientur in suis locis.*

Psalmus 94.

VEníte exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro : præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.

Sedéntem in throno & vivéntem in sécula seculórum Veníte adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & rex magnus super omnes deos, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipsius sunt.

* Veníte adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & siccam manus ejus formavérunt : veníte adorémus, & procidámus, & plorémus ante Dóminum qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster,

& nos pópulus páscuæ ejus, & oves manûs ejus.

Sedéntem in throno & viventem in sécula seculórum Veníte adorémus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in irritatióne secúndùm diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt me, & vidérunt ópera mea. * Veníte adorémus.

Quadragínta annis offénsus fui generatióni illi, & dixi: Semper hi errant corde; & isti non cognovérunt vias meas: ut jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meã.

Sedéntem in throno & vivéntem in sécula seculórum Veníte adorémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spíritui sancto: sicut erat in princípio, & nunc & semper, & in sécula seculórum. Amen. * Veníte adorémus.

Repetitur, Sedéntem in throno & vivéntem in sécula seculórum Veníte adorémus.

Ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ, & à Dominica tertia post Pentecosten usque ad Adventum dicitur sequens

Hymnus. *S. Gregor.*

PRimo diérum ómnium
Quo mundus extat cónditus,
Vel quo resúrgens Cónditor
Nos morte victâ líberat.
Pulsis procul torpóribus
Surgámus omnes ócyus,
Et nocte quærámus Pium,
Sicut Prophétam nóvimus.
Nostras preces ut áudiat;
Suámque dextram pórrigat,
Et expiátos sórdibus
Reddat polórum sédibus;
Ut quique sacratíssimo
Hujus diéi témpore
Horis quiétis psállimus,
Donis beátis múneret.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar únice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. *toni g.* Audi Israël.

*Asteriscus * notat mediationem & pausam cantûs in Choro.*

Psalmus 1.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit;

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo;

Et fólium ejus non défluet; * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum;

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * & iter impiórum peribit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto;

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen.

Hi Versus, Glória Patri *&* Sicut erat, *semper dicuntur in fine Psalmorum & Canticorum, nisi aliter notetur.*

Ant. Audi Israël; Dóminus Deus noster, Dóminus unus est. *Deuteron.* 6.

Ant. 7. *toni* d. * Excélsus.

Psalmus. 2.

QUare fremuérunt Gentes,* & pópuli meditáti sunt inánia?

Adstitérunt Reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum & advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum,* & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos, * & Dóminus subsannábit eos:

Tunc loquétur ad eos in ira sua,* & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo * super Sion montem sanctum ejus.

Prædicans præcéptum ejus;* Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * & possessiónem tuam, términos terræ:

Reges eos in virga férrea,* & tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram;

Servíte Dómino in timóre; * & exultáte ei cum tremóre:

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus,* & pereátis de via justa,

Cùm exárserit in brevi ira ejus: * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Excélsus & sublímis hábitans æternitátem, & sanctum nomen ejus in excélso. *Isai.* 57.

Ant. 3. *toni* a. Ante me.

Psalmus. 3.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es;* glória mea,& exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi; * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum :* & exsúrrexi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : *exsúrge Dómine, salvum me facDeus meus;

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa, * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Ante me non est formátus Deus, & post me non erit. *Is.* 43.

℣. *Per annum*, Potens es Dómine, ℟. Et véritas tua in circúitu tuo. *Ps.* 88.

Post Versiculum cujuslibet Noct. dicitur secretò Pater noster. *sed altâ voce* ℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera.

Benedictiones habentur ante Psalterium. Tres Lectiones ut in Proprio de Tempore. Post quamlibet dicitur

℟. *j.* Iste dies observábilis est Dómini. Buccináte tubâ in insigni die solemnitátis vestræ, quia præcéptum in Israël est : constitúite diem solémnem in condénsis usque ad cornu altáris; * Gaudéte, & exultáte. ℣. Resurréxit Christus vita vestra; & vos resurgétis,& apparébitis cu[m] ipso in glória.* Gaudéte. *Ex[od.]* 12. *Ps.* 80. & 117. *Matth.* [...] 1. *Cor.* 15. *Coloss.* 3.

Istud Responsorium & [...] sequentia dicuntur singulis [Do]minicis per annum, nisi ali[ter] notetur.

℟. *ij.* Dies sanctificátus [est] Dómino Deo nostro; no[líte] lugére, & nolíte contristá[ri]; * Gaúdium étenim Dóm[ini] est fortitúdo nostra. ℣. H[æc] dies quam fecit Dóminu[s] exultémus,& lætémur in [ea.] Gaúdium. 2. *Esdr.* 8. *Ps.* [...]

℟. *iij.* Pascha nostrum i[m]molátus est Christus; ítaq[ue] epulémur non in ferme[nto] véteri, neque in fermé[nto] malítiæ & nequítiæ, sed * [in] ázymis sinceritátis & veri[tá]tis. ℣. Exúltent justi in co[n]spéctu Dei, delecténtur in [læ]títia, & epuléntur * In. Gl[ó]ria.* In. 1. *Cor.* 5. *Ps.* 67.

IN II. NOCT.

Ant. 4. *toni* A. Ego D[ó]minus.

Psalmus 15.

Consérva me Dómin[e] * quóniam sperávi [in] te,

Dixi Dómino: Deus meus e[s] tu,* quóniam bonórum me[o]rum non eges.

Sanctis, qui sunt in ter[ra] ejus, * mirificávit omnes vo[]luntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmi[tátes]

rum eórum: * pósteà accelleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, & cálicis mei: * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tribuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam à dextris est mihi, ne commóveas.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea: * ínsuper & caro mea requiéscet in spe;

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem:

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo; * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Ego Dóminus sanctus vester, creáns Israël, Rex vester. *Isai.* 43.

Ant. 5. C. Ego sum.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tua lætábitur rex: * & super salutáre tuum exultábit vehementer.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum:

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis; * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, * & tribuísti ei longitúdinem diérum in séculum, & in séculum séculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum;

Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi, * lætificábis eum in gaúdio cum vultu tuo;

Quóniam rex sperat in Dómino, * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis, * déxtera tua invéniat omnes qui se odérunt;

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & semen eórum à fíliis hóminum;

Quóniam declinavérunt in

te mala ; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre ;

Quóniam pones eos dorsum, * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua,* cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Ant. Ego sum, ego sum Dóminus, & non est absque me salvátor. *Is.* 43.

Ant. 6. F. Ego sum.

Psalmus. 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus ; * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo :

Quia ipse super mária fundávit eum ; * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino ; * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles ; * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ ? * Dóminus fortis & potens ; Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles ; * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Ego sum, ego sum ipse qui déleo iniquitátes tuas propter me. *Is.* 43.

℣. Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi ℟. Super judícia justificatiónis tuæ. *Ps.* 118.

Pater noster. Et ne nos.

Benedictiones, ante Psalterium.

Lectiones & Respons. in Propria.

IN III. NOCT.

Ant. anni 7. 2. Tu Deus noster.

Psalmus 49.

DEus deórum Dóminus locútus est ; * & vocávit terram à solis ortu usque ad occásum.

Ex Sion * spécies decóris ejus.

Deus manifésté véniet ; * Deus noster & non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet, * & in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cælum desúrsum & terram * discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus ; * qui órdinant testa-

méntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cæli justítiam ejus : * quóniam Deus judex est.

Audi pópulus meus, & loquar ; Isráël, & testificábor tibi : * Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te : * holocaústa autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos :

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cæli ; * & pulcritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi : * meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum ? * aut sánguinem hircórum potábo ?

Immola Deo sacrifícium laudis, * & redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis ; * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus : * Quare tu enárras justítias meas, & assúmis testaméntum meum per os tuum.

Tu verò odísti disciplínam ; * & projecísti sermónes meos retrórsum.

Si vidébas furem, currébas cum eo ; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum lòquebáris, * & advérsùs filium matris tuæ ponébas scándalum.

Hæc fecísti, & tácui ; existimásti iníquè quòd ero tuî símilis : * árguam te, & státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc qui obliviscímini Deum : * nequándo rápiat, & non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * & illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Ant. Tu Deus noster, suávis & verus es, pátiens, & in misericórdia dispónens ómnia. *Sap.* 15.

Ant. 9. *to.* G. Nosse te.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum ; * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus, * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus :

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis ; * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulcritúdo in conspéctu ejus ; * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem: *afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus,* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur ; * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra ; * commoveátur mare, & plenitúdo ejus ;

Gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt : * tunc exultábunt ómnia ligna silvárum,

A fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram;

Judicábit orbem terræ in æquitáte,* & pópulos in veritáte sua.

Ant. Nosse te, consummáta justítia est ; & scire justítiam & virtútem tuam, radix est immortalitátis. *Sap.* 15

Ant. 4. *to.* E. Non gloriétur sápiens.

Psalmus 29.

EXaltábo te Dómine quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te,* & sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam ; * salvásti me à descendéntibus in lacũ.

Psállite Dómino sancti ejus, *& confitémini memóriæ sanctitátis ejus :

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus,*& ad matutínũ lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua * præstitísti decóri meo virtútẽ:

Avertísti fáciem tuam à me, * & factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, & misértus est meî : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gaúdium mihi ; * conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ ;

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar: * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Non gloriétur sápiens in sapiéntia sua; sed in hoc gloriétur, qui gloriátur, scire & nosse me, dicit Dóminus. *Jerem.* 9.

℣. Quis loquétur poténtias Dómini? ℟. Audítas fáciet omnes laudes ejus? *Psal.* 105.

Pater noster. Et ne nos. *Benedictiones ut ante Psalteriū.*

Lectiones & Responsoria in Proprio.

Si fit Commemoratio de Sancto, legitur ultimo loco ejus Lectio cum suo ℟.

Finito ultimo Responsorio dicitur (nisi aliter notetur,)

Canticum.

TE Deum laudámus, * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cæli, & univérsæ potestátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia

Patrem * immensæ majestátis.

Venerándum tuum verum * & únicum Fílium.

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius.

Tu ad liberándum susceptúrus hóminem * non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, fámulis tuis súbveni, * [*Hic genuflectitur usque ad, extolle*] quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérnâ fac cum sanctis tuis * glóriâ munerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, * & bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos, * [*Hic surgunt omnes,*] & extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in séculum * & in séculum séculi.

Dignáre Dómine die isto *

ſine peccáto nos cuſtodíre.

Miſerére noſtri Dómine, * miſerére noſtri.

Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos, * quemádmodùm ſperávimus in te.

In te Dómine ſperávi: * non confúndar in ætérnum.

Si non continuò ſequantur Laudes, hîc dicitur Oratio diei.

AD LAUDES MATUTINAS.

Verſus Sacerdotalis per annum, Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli, ℟. Et laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſécula. *Daniel.* 3.

℣. Deus in adjutórium meũ inténde, ℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69.

℣. Glória Patri & Fílio & Spirítui ſancto, ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſécula ſeculórum. Amen. Allelúia; *vel* Laus tibi, Dómine, *&c.*

Ant. 3. *to.* g. Ego Dóminus.

Pſalmus 92.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt: * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc * à ſéculo tu es.

Elevavérunt flúmina Dómine: * elevavérunt flúmina vocem ſuam.

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris, * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo Dómine in longitúdinem diérum.

Ant. Ego Dóminus formans lucem & ténebras. *Iſ.* 45

Ant. 1. *to.* a. In ipſo vívimus.

Pſalmus 99.

JUbiláte Deo omnis terra, *ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus: * ipſe fecit nos, & non ipſi nos:

Pópulus ejus & oves páſcuæ ejus introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus, in ætérnum miſericórdia ejus, * & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. In ipſo vívimus, & movémur, & ſumus: ipsíus enim & genus ſumus. *Act.* 17

Ant. 2. *to.* Nobis unus Deus.

Pſalmus 62.

DEus Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, quàm multiplíciter tibi caro mea * in terra deſérta, & in-

via, & inaquósa.

Sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas, * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, * in matutínis meditábor in te.

Quia fuísti adjútor meus, * & in velaménto alárum tuárum exultábo;

Adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, * introíbunt in inferióra terræ,

Tradéntur in manus gládii, * partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Ant. Nobis unus Deus Pater, ex quo ómnia, & nos in illum; & unus Dóminus Jesus Christus, per quem ómnia, & nos per ipsum. 1. *Cor.* 8.

Ant. 6. *to.* F. Benedicéntes Dóminum.

Canticum. *Dan.* 3.

BEnedícite ómnia ópera Dómini Dómino, * laudáte & superexaltáte eum in sǽcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino, * benedícite cæli Dómino.

Benedícite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino, * benedícite ómnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol & luna Dómino, * benedícite stellæ cæli Dómino.

Benedícite omnis imber & ros Dómino, * benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis & æstus Dómino, * benedícite frigus & æstus Dómino.

Benedícite rores, & pruína Dómino, * benedícite gelu & frigus Dómino.

Benedícite glácies & nives Dómino, * benedícite noctes & dies Dómino.

Benedícite lux & ténebræ Dómino, * benedícite fúlgura & nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum, * laudet & superexáltet eum in sǽcula.

Benedícite montes & colles Dómino, * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino, * benedícite mária & flúmina Dómino.

Benedícite cete, & ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino, * benedícite omnes vólucres cæli Dómino.

Benedícite omnes béstiæ & pécora Dómino, * benedícite fílii hóminum Dómino.

Benedícat Israël Dóminum, * laudet & superexáltet eum in sécula.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino, * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus & ánimæ justórum Dómino, * benedícite sancti & húmiles corde Dómino.

Benedícite Anánia, Azária, Mísaël Dómino, * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

Hìc loco Gloria Patri dicitur

Benedicámus Patrem & Fílium cum sancto Spíritu, * laudémus & superexaltémus eum in sécula.

Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli, * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

Ant. Benedicéntes Dóminum, exaltáte illum quantum potéstis; major enim est omni laude. *Eccli.* 43.

Ant. 7. *to. d.* * Sanctus.

Psalmus 148.

LAudáte Dóminum de cælis, * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus, * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol & luna: * laudáte eum omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum cæli cælórum; * & aquæ omnes quæ super cælos sunt:

Laudent nomen Dómini, * quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, & in séculum séculi; * præcéptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes & omnes abyssi;

Ignis, grando, nix, glácies, * spíritus procellárum, quæ fáciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles, * ligna fructífera & omnes cedri;

Béstiæ & univérsa pécora, * serpéntes, & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli, * príncipes, & omnes júdices terræ.

Júvenes, & vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini, * quia exaltátum est nomen ejus solíus:

Conféssio ejus super cælum & terram, * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus: * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Ant. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omní-

potens, qui erat, & qui est, & qui ventúrus est. *Apoc. 4.*

Capitulum. Deut. 5.

SCito hódie & cogitáto in corde tuo quòd Dóminus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deórsum; & non sit álius. Custódi præcépta ejus atque mandáta, quæ ego præcípio tibi.

℟. Deo grátias. *Sic respondetur in fine omnium Capitul.*

Hymnus. S. Ambros.

ÆTérne rerum Cónditor,
Noctem diémque qui regis,
Et témporum das témpora,
Ut álleves fastídium.
Præco diéi jam sonat,
Noctis profúndæ pérvigil,
Noctúrna lux viántibus,
A nocte noctem ségregans.
Surgámus ergo strénuè,
Gallus jacéntes éxcitat,
Et somnoléntos íncrepat,
Gallus negántes árguit.
Jesu labántes réspice,
Et nos vidéndo córrige:
Si réspicis, lapsus cadunt,
Fletúque culpa sólvitur.
Tu lux refúlge sénsibus,
Mentísque somnum díscute:
Te nostra vox primum sonet,
Et vota solvámus tibi.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu.
Nunc & per omne séculum.
Amen.

℣. Notas mihi fecísti vias vitæ, ℟. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo. *Ps. 15.*

Antiphona ut in Proprio.

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Israël; * quia visitávit, & fecit redemptiónẽ plebis suæ,

Et eréxit cornu salútis nobis * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos.

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * & memorári testaménti sui sancti:

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis;

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi in sanctitáte & justítia coram ipso ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, prophéta Altíssimi vocáberis, * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos óriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis se-

dent, * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto,

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen.

Dicitur Antiphona conveniens cum Oratione ut in Proprio.: [deinde Commemoratio, si quae occurrat, fit per Ant. ℣. & Orationem;] quâ finitâ Sacerdos dicit ℣. Dóminus vobíscum; (*Ruth.* 2.) ℟. Et cum spíritu tuo. *vel si solus sit*, ℣. Dómine exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Benedicámus Dómino; ℟. Deo grátias. 1. *Cor.* 15.

Post quamlibet Horam, si aliud Officium non sequatur, dicitur secretò, Et ánimæ ómnium fidélium defunctórum per misericórdiam Dei requiéscant in pace. Amen.

AD PRIMAM,

Deus in adjutórium *&c.*

Hymnus.

JAm lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet à nocéntibus.

Linguam refrænans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat & vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potûs cibíque párcitas.

Ut cùm dies abscésserit,
Noctémque sors redúxerit;
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu
In sempitérna sécula. Amen.

In Dominicis per annum Ant. toni 7. d *. Hæc est vita.

Psalmus 117.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aáron, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor, * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor, * & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in prin-

cipibus.

Omnes gentes circuiérunt me, * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me: * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis, * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Impúlsus, evérsus sum ut cáderem, * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis & salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam, * & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus, * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ, * ingréssus in eas, confitébor Dómino.

Hæc porta Dómini, * justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud, * & est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dóminus, * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine salvum me fac, ô Dómine bene prosperáre, * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini, * Deus Dóminus & illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi, * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in sǽculum misericórdia ejus.

Psalmus 118.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutántur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum;

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ * ad custodiéndas justificatiónes tuas!

Tunc non confúndar,* cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis,* in eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam,* non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam?* in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te,* ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua,*ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine,* doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum,* sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor,* & considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor,* non obliviscar sermónes tuos.

Ex eodem Psalmo 118.

Retríbue servo tuo, vivífica me;* & custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos,* & considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra,* non abscóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpásti supérbos,* maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum,* quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur:* servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis,

Nam & testimónia tua meditátio mea est,* & consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea,* vivífica me secúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudísti me,* doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me,* & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio,* confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me,* & de lege tua miserére meî.

Viam veritátis elégi,* judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis Dómine,* noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri,* cùm dilatásti cor meum.

Symbolum.

QUicúmque vult salvus esse, * ante ómnia opus est, ut téneat cathólicam fidem.

Quam nisi quisque íntegram inviolatámque serváverit, * absque dúbio in ætérnum peribit.

Fides autem cathólica hæc est, * ut unum Deum in Trinitáte & Trinitátem in Unitáte venerémur,

Neque confundéntes persónas, * neque substántiam separántes.

Aliá est enim persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs sancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti una est divínitas, * æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius, * imménsus Spíritus sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius,* ætérnus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres ætérni,* sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi; * sed unus increátus, & unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus.

Et tamen non tres omnipoténtes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres dii:* sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres Dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquámque persónam, Deum ac Dóminum confitéri Christiânâ veritáte compéllimur,* ita tres Deos, aut Dóminos dícere, cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est;*non factus, nec creátus; sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre & Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus; sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Fílius, non tres Fílii; * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus, aut minus: * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam

suprà dictum est, * & Unitas in Trinitáte, & Trínitas in Unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat;

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus & homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sécula génitus, * & homo est ex substántia matris in século natus.

Perféctus Deus, perféctus homo, * ex ánima rationáli & humána carne subsístens.

Æquális Patri secúndùm divinitátem, * minor Patre secúndum humanitátem.

Qui licèt Deus sit & homo; * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo, * ita Deus & homo unus est Christus.,

Qui passus est pro salúte nostra, descéndit ad ínferos, * tértiâ die resurréxit à mortuis;

Ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis, * inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * & redditúri sunt de factis própriis ratiónem:

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam; * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc est fides cathólica, * quam nisi quisque fidéliter, firmitérque credidérit, salvus esse non póterit.

Glória Patri.

Quod Symbolum dicitur semper in omnibus Dominicis.

Ant. Hæc est vita ætérna; ut cognóscant te solum Deum verum, & quem misísti Jesum Christum. *Joan.* 17.

Capitulum. *Deut.* 6. 5.

Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota fortitúdine tua. Erúntque verba hæc, quæ ego præcípio tibi hódie, in corde tuo.

℟. Deo grátias.

℣. Exsúrge Dómine, ádjuva nos,

℟. Et líbera nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DOmine Deus omnípotens qui nos ad princípium hujus diéi pervenire fecísti, tuâ nos serva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum: sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur corda, cogitatiónes & ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum:

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino;

℟. Deo grátias.

Deinde qui lecturus est Martyrologium dicit: Jube domne benedícere.

Presbyter Hebdomadarius: Dic quómodo Deus glorificétur & admirábilis fiat in Sanctis suis. 2. *Tessal.* 1. ℟. Amen.

Finitâ lectione Martyrologii, Hebdomadarius dicit: ℣. Pretiósa est in conspéctu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus.

Hebdomadarius: Sancta María mater Dómini nostri Jesu Christi, isti Sancti, & omnes álii intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári & salvári, qui in Trinitáte perfécta vivit & regnat in sécula seculórum.

℟. Amen.

Deinde fit lectio Canonum, prout qualibet die ordinantur in Breviario: quâ finitâ cum Tu autem Dómine miserére nostri; *respondetur,* Deo grátias.

Hebdomadarius dicit: Gaúdium cum pace & emendatiónem vitæ tríbuat nobis omnípotens Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

Additur secretò.

Et ánimæ ómnium fidélium defunctórum per misericórdiam Dei requiéscant in pace. Amen.

AD TERTIAM.

Deus in adjutórium.

Hymnus.

NUnc sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessiónem pérsonent;
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

Ant. 3. *to.* 2. Dómine Deus.

Ex Psalmo 118.

LEgem pone mihi Dómine viam justificatiónum tuárum, * & exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum &

ſcrutábor legem tuam, * & cuſtódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum, * quia ipſam vólui.

Inclína cor meum in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem, * in via tua vivífica me.

Státue ſervo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Ámputa oppróbrium meum quod ſuſpicátus ſum, * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua, * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine, * ſalutáre tuum ſecúndùm elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum, * quia ſperávi in ſermónibus tuis;

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque, * quia in judíciis tuis ſuperſpéravi.

Et cuſtódiam legem tuam ſemper, * in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Et ambulábam in latitúdine, * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi, * & exercébar in juſtificatiónibus tuis.

Ex eodem Pſalmo 118.

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dedíſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea, * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant uſquequáque, * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à ſéculo Dómine, * & conſolátus ſum.

Deféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant juſtificatiónes tuæ * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui Dómine, * & cuſtodívi legem tuam;

Hæc facta eſt mihi, * quia juſtificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea Dómine, * dixi; cuſtodíre legem tuam.

Deprecátus ſum fáciem tuam in toto corde meo, * miſerére meî ſecúndùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * & convérti pedes meos in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum

[illegible]tus,* ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumplexi sunt me,* & legem tuam non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te,* & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ Dómine plena est terra,* justificatiónes tuas doce me.

Ex eodem Psalmo 118.

BOnitátem fecísti cum servo tuo, Dómine,* secúndùm verbum tuum.

Bonitátem & disciplínam, & sciéntiam doce me,* quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquàm humiliárer, ego delíqui,* proptéreà elóquiũ tuum custodívi.

Bonus es tu,* & in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum,* ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum,* ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me,* ut díscam justificatiónes tuas;

Bonum mihi lex oris tui * super míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me:* da mihi intelléctum, & díscam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur,* quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua,* & in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me * secúndùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam,* quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te,* & qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Ant. Dómine Deus, magnificétur nomen tuum usque in sempitérnum. 2. *Reg.* 7.

Capitulum. 1. *Thessal.* 5. 17

SIne intermissióne oráte: in ómnibus grátias ágite: hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere.

℟. *breve.* Ne projícias me Dómine * A fácie tua. *Et repetitur à Choro*, Ne projícias me Dómine à fácie tua. ℣. Spíritum sanctum tuum ne áu-

feras à me; * A fácie tua. Glória. ℟. Ne projícias *&c.*

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui, ℟. Et Spíritu principáli confírma me. *Ps.* 50

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio conveniens.*

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Et sic ad alias Horas.

AD SEXTAM.

Deus in adjutórium.

Hymnus.

RECtor potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre manè ínstruis,
Et ígnibus merídiem;

Extíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu,
Regnans per omne séculum.
Amen.

Ant. 8. c. Dóminum exercítuum.

Ex Psalmo 118.

DEfécit in salutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum supersperávi

Defecérunt | óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes: Quando consoláberis me.

Quia factus sum sicut uter in pruína, * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes, * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas, * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minus consummavérunt me in terra, * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm misericórdiam tuam vivífica me, * & custódiam testimónia oris tui.

In ætérnum Dómine, * verbum tuum pérmanet in cælo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundásti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies, * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditátio mea est, * tunc fortè periíssem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíscar justificatiónes tuas, * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac, * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me exspectáverunt peccatóres ut pérderent me, * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem, * latum mandátum tuum nimis.

Ex eodem Psalmo 118.

QUómodo diléxi legem tuam Dómine, * totâ die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo, * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi, * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi, * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem posuísti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

A mandátis tuis intelléxi, * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi & státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque Dómine, * vivífica me secúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac Dómine, * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper, * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hereditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum, * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum * propter retributiónem.

Ex eodem Psalmo 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam diléxi.

Adjútor & suscéptor meus es tu, * & in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me malígni, * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndùm elóquium tuum, & vivam, * & non confúndas me ab exspectatióne mea.

Adjuva me, & salvus ero, * & meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes à judíciis tuis, * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ, * ídeò diléxi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas, * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & justítiam, * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum, * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in sa-

lutáre tuum,* & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndùm misericórdiam tuam,* & justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego,* da mihi intelléctum ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua * super aurum & topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar, * omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Dóminum exercítuum sanctificáte; ipse pavor vester, & terror vester; & erit vobis in sanctificatiónem. *Is.* 8

Capitulum. Galat. 6. 9.

BOnum faciéntes, non deficiámus, témpore enim súo metémus non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum.

℟. *breve.* Inclína cor meũ Deus,* In testimónia tua. ℟. Inclína. ℣. Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem; in via tua vivífica me, * In testimónia. Glória. ℟. Inclína.

℣. Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ℟. Ut non moveántur vestígia mea. *Ps.* 118 *&* 16. *Oratio conveniens.*

AD NONAM.

Deus in adjutórium.

Hymnus.

RErum Deus tenax vigor,
Immótus in te pérmanẽs,
Lucis diúrnæ témpora
Successíbus detérminans.
Largíre clarum véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed præmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum
Amen.

Ant. 8. *to.* G. Exaltátum est.

Ex Psalmo 118.

MIrabília testimónia tua: *ideo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat,*& intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi spíritum, * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, & miserére mei, * secúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndùm elóquium tuum,* & non dominétur meî omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum, * & doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei, * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es Dómine, * & rectum

ctum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus, * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter, * & servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, & contémptus, * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum, * & lex tua véritas.

Tribulátio & angústia invenérunt me, * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum, * intelléctum da mihi, & vivam.

Ex eodem Psalmo 118.

CLamávi in toto corde meo, exáudi me Dómine, * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac, * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi, * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi, secúndùm misericórdiam tuam Dómine, * & secúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti, * à lege autem tua longè facti sunt

Propè es tu Dómine, * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis, * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meàm, & éripe me, * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me, * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus salus, * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ Dómine, * secúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, & tríbulant me, * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabescébam, * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine, * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas, * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

Ex eodem Psalmo 118.

PRíncipes persecúti sunt me gratìs, * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui & abominátus sum, * legem

autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum Dómine, * & mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua, * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo Dómine, * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo, * secúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua, ut sálvet me, * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine, * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te, * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit, quære servum tuum, * quia mandáta tua non sum oblítus.

Ant. Exaltátum est nomen ejus solíus: conféssio ejus super cælum & terram. *Ps.* 148.

Capitulum. Ephes. 5. 15.

VIdéte fratres, quómodo cautè ambulétis: non quasi insipiéntes, sed ut sapiéntes; rediméntes tempus, quóniam dies mali sunt: loquéntes vobismetípsis in psalmis, & hymnis, & cánticis spirituálibus.

℟. *br.* Exultábunt lábia mea, * Cùm cantávero tibi. ℟. Exultábunt. ℣. Et ánima mea quam redemísti, * Cùm. Glória Patri. ℟. Exultábunt.

℣. Lingua mea meditábitur justítiam tuam, ℟. Totâ die laudem tuam. *Ps.* 70. & 34.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutórium.

Ant. 1. *toni* a. Ad quem Angelórum.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * dominàre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lu-

cíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, * Tu es sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedec.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet, * proptéreà exaltábit caput.

Ant. Ad quem Angelórum dixit aliquándo: Sede à dextris meis, quoadúsque ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? *Hebr.* 13.

Ant. 2. *toni*, Thronus tuus.

Psalmus 110.

CОnfitébor tibi Dómine, in toto corde meo, * in concílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus, * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo.

Ut det illis hereditátem géntium, * ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo, * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus; * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum, * laudátio ejus manet in séculum séculi.

Ant. Thronus tuus, Deus, in séculum séculi: virga æquitátis, virga regni tui. *Hebr.* 1. *v.* 7.

Ant. 3. *toni* 2. * Tu in princípio.

Psalmus 111.

BEátus vir, qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus, * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus, * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis, * miséricors, & miserátor & justus.

Jucúndus homo qui miserétur & cómmodat, dispónet sermónes suos in judício, * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus, * ab auditióne mala non

timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus, * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in séculum séculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur, déntibus suis fremet & tabéscet, * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Tu in princípio Dómine terram fundásti, * & ópera mánuum tuárum sunt cæli. *Hebr.* 1. 10.

Ant. 4. *toni*, E. Ipsi períbunt.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum * ex hoc nunc & usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cælo & in terra?

Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui;

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Ipsi períbunt, tu autem permanébis, & omnes ut vestiméntum veteráscent. *Hebr.* 1. *v.* 11.

Ant. 5. *to.* F. Soli Deo.

Psalmus 113.

IN éxitu Israël de Ægypto, * domus Jacob de pópulo bárbaro,

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israël potéstas ejus.

Mare vidit & fugit, * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles sicut agni óvium.

Quid est tibi mare, quòd fugísti? * & tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes exultástis sicut aríetes, * & colles sicut agni óvium.

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob,

Qui convértit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis Dómine, non nobis, * sed nómini tuo da glóriam super misericórdia tua & veritáte tua;

Nequándo dicant gentes, * Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cælo;* ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium, argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur;* óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non aúdient,* nares habent, & non odorábunt.

Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea,* & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino,* adjútor eórum & protéctor eórum est.

Domus Aáron sperávit in Dómino,* adjútor eórum & protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino;* adjútor eórum & protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostrî,* & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Israël,* benedíxit dómui Aáron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum,* pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos,* super vos, & super fílios vestros.

Benedícti vos à Dómino,* qui fecit cælum & terram.

Cælum cæli Dómino,*terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine,* neque omnes qui descéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino * ex hoc nunc, & usque in séculum.

Ant. Soli Deo per Jesum Christum honor & glória. *Rom.* 16.

Capitul. 2. *Cor.* 13. 13.

GRátia Dómini nostri Jesu Christi,& cáritas Dei, & communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis; Amen.

Hymnus. *S. Ambros.*

O Lux beáta Trínitas,
Et principális Unitas,
Jam sol recédit ígneus;
Infúnde lumen córdibus.

Te manè laudum cármine,
Te deprecámur véspere:
Te nostra supplex glória
Per cuncta laudet sécula.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu
In sempitérna sécula. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea, ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo. *Ps.* 140.

Antiphona in Proprio.

Canticum B. Mariæ V. *Luc.* 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum,

Et exultávit spíritus meus*

in Deo salutári meo,

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:

Quia fecit mihi magna qui potens est, * & sanctum nomen ejus;

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo;* dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * & exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis, *& dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, & sémini ejus in sécula.

Dicitur Antiphona, & Oratio conveniens ut in Proprio; deindeCommemorationes, si quæ occurrant, fiunt per Ant. ℣. & Orationem.

AD COMPLETORIUM.

COnvérte nos Deus salutáris noster,

℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

℣. Deus in adjutórium meum inténde,

℟. Dómine ad adjuvándum me festína, *&c.*

Ant. 8. G. In die mandávit.

Psalmus 4.

CUm invocárem, ex[...] dívit me Deus justi[...] meæ: * in tribulati[...] dilatásti mihi.

Miserére mei, * & exa[...] oratiónem meam.

Fílii hóminum úsque[...] gravi corde? * ut quid dil[...] tis vanitátem, & quær[...] mendácium?

Et scitóte quóniam mi[...] cávit Dóminus sanctum su[...] * Dóminus exaúdiet me, c[...] clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte pec[...] re: * quæ dícitis in córdi[...] vestris, in cubílibus ve[...] compungímini:

Sacrificáte sacrifícium [...] stítiæ, & speráte in Dómi[...] *Multi dicunt, Quis os[...] dit nobis bona?

Signátum est super nos [...] men vultûs tui, Dómin[...] dedísti lætítiam in corde m[...]

A fructu fruménti, vin[...] ólei sui, * multiplicáti s[...]

In pace in idípsum dórm[...] *;& requiéscam.

Quóniam tu Dómine * [...] gulárìter in spe constitu[...] me.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi, [...] confúndar in ætérnu[...] in justítia tua líbera me;

Inclína ad me aurem tu[...] * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum prot[...]

ctórem, & in domum refúgii, * ut salvum me fácias:

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi, * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commméndo spíritum meum: * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, & refúgiũ meum; * Deus meus: sperábo in eum,

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi, * & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus, * non timébis à timóre noctúrno,

A sagítta volánte in die, à negótio perambulánte in tenebris, * ab incúrsu & dæmónio meridiáno

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis, * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam, Tu es Dómine spes mea; * Altíssimum posuísti refúgium tuum,

Non accédet ad te malum, * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis;

In mánibus portábunt te, * ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis, * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum; * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exaúdiam eum; * cum ipso sum in tribulatióne, erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & osténdam illi salutáre meum.

Psalmus 133.

ECce nunc benedícite Dóminum * omnes servi Dómini,

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri:

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cælum & terram.

Ant. In die mandávit Dó-

minus miſericórdiam ſuam, & nocte cánticum ejus. *Pſ.* 41.

Hymnus.

TE lucis ante términum
Rerum Creátor póſcimus,
Ut ſólitâ cleméntiâ
Sis præſul ac cuſtódia.
Procul recédant ſómnia,
Et nóctium phantáſmata,
Hoſtémque noſtrum cómprime
Ne polluántur córpora.
Præſta Pater omnípotens
Per Jeſum Chriſtum Dóminum,
Qui tecum in perpétuum
Regnat cum ſancto Spíritu.
Amen.

A Vigilia Natalis Dñi ad Purific. incluſivè [exceptâ Octavâ Epiphaniæ,] & in Officio de Beata, vel quando facta fuerit ejus Commemoratio, niſi hac die ſit Feſtum habens Proprias Añas ad Completorium, Hymnus, Virgo Dei génitrix *in Officio parvo B. Mariæ Virginis.*

Quando Añæ fuerint ex Pſalterio, dicitur

Capitulum. Deut. 11. 22.

SI cuſtodiéritis mandáta quæ ego præcípio vobis, & fecéritis ea, ut diligátis Dóminum Deum veſtrum, & ambulétis in ómnibus viis ejus, adhæréntes ei; nullus ſtabit contra vos: terrórem veſtrum & formídinem dabit Dóminus Deus veſter.

Si verò Añæ non fuerint ex Pſalterio, dicitur

Capitulum. 1. *Petr.* 5. 8.

SObrii eſtóte, & vigiláte; quia adverſárius veſter diábolus, tamquam leo rúgiens círcuit quærens quem dévoret: cúi resíſtite fortes in fide. ℞. Deo grátias.

℣. Cuſtódi nos Dómine ut pupíllam óculi; ℞. Sub umbra alárum tuárum prótege nos. *Pſ.* 16.

Quando Officium ſit de Dominica, dicitur ad Nunc dimíttis, *Ant.* 3. c. Cuſtódi legem. *ut infrà.*

Quando non ſit de Dominica, dicitur ad Nunc dimíttis *Ant.* 3. *a.* Sive vigilémus.

Canticum Symeonis. Luc. 2.

NUnc dimíttis ſervum tuum Dómine, * ſecúndùm verbum tuum in pace,
Quia vidérunt óculi mei * ſalutáre tuum,
Quod paráſti * ante fáciem ómnium populórum,
Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis t[illegible] Iſraël. Glória Patri.

Ant. Cuſtódi legem atque consílium; & erit vita ánimæ tuæ: ſi dormíeris, non timébis; quiéſces, & ſuávis erit ſomnus tuus. *Prov.* 3.

In Feſtis feriatis Ant. Sive vigilémus, ſive dormiámus, ſimul cum Chriſto vivámus. 1. *Theſſ.* 5.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus. *Oratio.*

ILlúmina Dómine ténebras nostras, & totíus noctis insídias tu propítius repélle; Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo gratias.

Submissâ voce dicitur: Benedícat & custódiat nos omnípotens & miséricors Dóminus Pater, & Fílius, & Spíritus sanctus. ℟. Amen.

Et ánimæ ómnium fidélium defunctórum per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

Et dicitur una ex Antiphonis de B. Maria, proüt assignatur in fine Psalterii post Completorium Sabbati.



FERIA SECUNDA,
AD VIGILIAS.

℣. Dómine lábia, *&c. ut suprà pag. 1.*

Invitatorium, Dóminum qui ex níhilo fecit ómnia, * Veníte adorémus, 2. *Mac.* 7.

Psalmus, 94. Veníte exultémus. *suprà pag. 1.*

Hymnus. *S. Ambros.*

SOmno reféctis ártubus,
Spreto cubíli súrgimus:
Nobis, Pater, canéntibus
Adésse te depóscimus.

Te lingua primum cóncinat,
Te mentis ardor ámbiat,
Ut áctuum sequéntium
Tu, Sancte, sis exórdium.

Cedant tenébræ lúmini,
Et nox diúrno síderi:
Ut culpa quam nox íntulit,
Lucis labáscat múnere.

Precámur iídem súpplices,
Noxas ut omnes ámputes,
Ut ore te canéntium,
Laudéris in perpétuum.

Præsta Pater piíssime,
Patríque compar únice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

In Festis Aña sunt in Proprio vel in Communi Sanctorum.

Ad Vigilias in Festis ix. Lectionum unaquæque Aña dicitur post quem ibet Psalmum ac Glória Patri; *in Festis verò iij Lectionum & in Feriis per annum ex 9 Psalmis dicuntur tres singuli Psalmi sub una dumtaxat Glorificatione & Aña.*

¶ *At tempore Paschali tres tantùm dicuntur Psalmi alternatim per hebdomadas cum tribus Añis.*

In Feriis per annum, Ant. 1. *to.* 2. In sudóre vultûs tui.

Psalmus 72.

QUàm bonus Israël Deus * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes, * penè effúsi sunt gressus mei,

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns;

Quia non est respéctus morti eórum, * & firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt,* & cùm homínibus non flagellabúntur.

Ideo ténuit eos supérbia, * opérti sunt iniquitáte, & impietáte suâ.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum, * transiérunt in afféctum cordis;

Ex eodem Psalmo 72.

COgitavérunt, & locúti sunt nequítiam, * iniquitátem in excélso locúti sunt;

Posuérunt in cælum os

suum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hic, * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt : Quómodo scit Deus, * & Si est sciéntia in Excélso ?

Ecce ipsi peccatóres & abundántes in século * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas?

Et fui flagellátus totâ die;* & castigátio mea in matutínis.

Si dicébam, Narrábo sic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc : * labor est ante me,

Donec intrem in Sanctuárium Dei, * & intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis, * dejecísti eos dum allevaréntur.

Ex eodem Psalmo 72.

QUómodo facti sunt in desolatiónem, súbitò defecérunt ? * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium Dómine,* in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt; * & ego ad níhilum redáctus sum, & nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te; * & ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxísti me, * & cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cælo? * & à te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, & cor meum : * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant se à te, períbunt; * perdidísti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam,

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion.

Ant. In sudóre vultûs tui vescéris pane, donec revertáris in terram de qua sumptus es. *Genes.* 3. 19.

Ant. 2. Sex diebus.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quoniam ecce Reges terræ congregáti sunt, * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, * conturbáti sunt, commóti sunt.

Tremor apprehéndit eos: * ibi dolóres ut parturiéntis.

In spíritu veheménti * cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exultent filiæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, & compleĉtímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtûte ejus, & distribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera:

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in séculum séculi; * ipse reget nos in sécula.

Psalmus 75.

NOtus in Judæa Deus; * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace lo[illegible] ejus, * & habitátio eju[illegible] Sion.

Ibi confrégit poténtias [illegible] arcum, scutum, gládium [illegible] bellum.

Illúminans tu mirabílit[illegible] móntibus ætérnis: * tur[illegible] sunt omnes insipiéntes co[illegible]

Dormiérunt somnum su[illegible] * & nihil invenérunt om[illegible] viri divitiárum in máni[illegible] suis.

Ab increpatióne tua, D[illegible] Jacob, * dormitavérunt [illegible] ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis [illegible] sístet tibi? * ex tunc ira t[illegible]

De cælo audítum fecísti [illegible] dícium; * terra trémuit, [illegible] quiévit,

Cum exsúrgeret in judíci[illegible] Deus, * ut salvos fáceret om[illegible] nes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera;

Terríbili, & ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúi-

ra ejus; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum * omnes Angeli ejus.

Audívit, & lætáta est Sion: * & exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Sex diébus operáberis, & fácies ómnia ópera tua. *Deut.* 5.

Ant. 4. d. Reddam eis.

Psalmus 7.

DOmine Deus meus, in te sperávi; * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me,

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis;

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge Dómine in ira tua, * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti: * & synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc * in altum regrédere.

Dóminus júdicat pópulos: * júdica me Dómine secúndùm justítiam meam, & secúndùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, * & díriges justum, scrutans corda & renes Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis &

pátiens * numquid irascitur per singulos dies ?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit, * arcum suum teténdit, & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam ; * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum, * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus, * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus, * & psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus 32.

EXultáte justi in Dómino :* rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cántate ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne ;

Quia rectum est verbum Dómini, * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam, & judícium : * misericórdiâ Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt, * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris, * ponens in thesaúris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem ;

Quóniam ipse dixit, & facta sunt ; * ipse mandávit, & creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium ; * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus, in generatiónem & generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus ; * pópulus quem elégit in hereditátem sibi.

Ex eodem Psalmo 32.

DE cælo respéxit Dóminus, * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum, * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur Rex per multam virtútem, * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem ; * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum, * & in eis qui spe-

ram super misericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum, * quóniam adjútor & protéctor noster est:

Quia in eo lætábitur cor nostrum, * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

Ant. Reddam eis secúndùm ópera eórum, & secúndùm facta mánuum suárum. *Jer.* 25

℣. Labóres mánuum tuárum quia manducábis, ℟. Beátus es, & bene tibi erit. *Ps.* 127

Pater noster, *secretò.* Et ne nos, *altâ voce.*

Benedictiones, ut ante Psalt.

Lectiones cum ℟.℟. ℟. *ut in Proprio de Tempore.*

Non dicitur Te Deum *in Feriis nisi tempore Paschali.*

Ad Laudes Matutinas.

℣. *Sacerdotalis,* Pérfice gressus meos in sémitis tuis, Dómine, ℟. Ut non moveántur vestígia mea. *Ps.* 16.

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Ant. 8. to. c. Scitis.

Psalmus 89.

Domine refúgium factus es nobis * à generatióne in generatiónem.

Priúsquàm montes fierent, aut formarétur terra, & orbis: * à século & usque in séculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem; * & dixísti, Convertímini filii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna, quæ prætériit, & custódia in nocte:

Quæ pro níhilo hábentur, * eórum anni erunt.

Manè sicut herba tránseat, manè flóreat, & tránseat: * véspere décidat, indúret, & aréscat:

Quia defécimus in ira tua; * & in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo: * séculum nostrum in illuminatióne vultûs tui;

Quóniam omnes dies nostri defecérunt, & in ira tua defécimus: * anni nostri sicut aránea meditabúntur.

Dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni: * si autem in potentátibus, octogínta anni;

Et ampliùs eórum, * labor & dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac, * & erudítos corde in sapiéntia.

Convértere Dómine úsquequo? * & deprecábilis esto

super servos suos.

Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ:* & exultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, & in ópera tua, * & dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, * & opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Scitis quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. *Act.* 20.

Ant. 7. *to.* a. Scitis.

Canticum. *Tob.* 13.

JErúsalem, cívitas Dei, luce spléndidâ fulgébis, *& omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient, & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum : *& terram tuam in sanctificatiónem habébunt.

Nomen enim magnum * invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpserint te, & condemnáti erunt omnes qui blasphemáverint te:*benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis : * quóniam omnes benedicéntur, & congregabúntur ad Dóminum.

Beáti omnes qui díligunt te : * & qui gaudent super pace tua.

Anima mea bénedic Dóminum; * quóniam liberávit Jerúsalem civitátem suam à cunctis tribulatiónibus ejus Dóminus Deus noster.

Beátus ero, si fúerint relíquiæ séminis mei,* ad vidéndam claritátem Jerúsalem.

Portæ Jerúsalem ex sapphíro & smarágdo ædificabúntur, * & ex lápide pretióso omnis circúitus murórum ejus.

Et lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus sternéntur: * & per vicos ejus Allelúia cantábitur.

Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam: * & sit regnum ejus in sécula seculórum super eam ; Amen.

Glória Patri.

Ant. Scitis quóniam gratis panem non manducávimus ab áliquo, sed in labóre & in fatigatióne, nocte & die operántes, ne quem vestrûm gravarémus. 2. *Thess.* 3. 8.

Ant. 1. a. Nam & cùm essémus apud vos.

Canticum Isaïæ 12.

COnfitébor tibi Dómine, quóniam irátus es mihi;* convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus;* fiduciáliter agam, & non ti-

mebo,

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus ; * & factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris ; * & dicétis in illa die : Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus, * mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Cántate Dómino, quóniam magnífice fecit ; * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exsúlta & lauda habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî sanctus Israël.

Glória Patri.

Ant. Nam & cùm essémus apud vos, hoc denuntiabámus vobis ; quóniam si quis non vult operári, nec mandúcet. 2. *Thessal.* 3. 11.

Ant. 4. A. Audívimus.

Canticum. *Isaï.* 59.

Timébunt qui ab occidénte, nomen Dómini ; * & qui ab ortu solis, glóriam ejus.

Cùm vénerit quasi flúvius violéntus ; * quem Spíritus Dómini cogit.

Et vénerit Sion Redémptor ; * & eis qui rédeunt ab iniquitáte in Jacob, dicit Dóminus.

Hoc fœdus meum cum eis : * dicit Dóminus.

Spíritus meus qui est in te, & verba mea quæ pósui in ore tuo : * non recédent de ore tuo, & de ore séminis tui ;

Et de ore séminis séminis tui, dicit Dóminus, * ámodò & usque in sempitérnum.

Glória Patri.

Ant. Audívimus inter vos quosdam ambuláre inquiétè, nihil operántes, sed curiósè agéntes. 2. *Tess.* 3. 11.

Ant. 7. *f.* Iis qui ejúsmodi sunt.

Psalmus 150.

Laudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis bene sonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Iis qui ejúsmodi sunt denuntiámus, & obsecrámus in Dómino Jesu Christo, ut cum siléntio operántes suum panem mandúcent. 2. *Thess.* 3. 12.

Capitulum. 1. *Thess.* 4.

Rogámus vos fratres ut abundétis magis, & óperam detis ut quiéti sitis, & ut

vestrum negótium agátis, & operémini mánibus vestris, sicut præcípimus vobis, ut & honéstè ambulétis ad eos qui foris sunt, & nullíus áliquid desiderétis.

Hymnus. S. Ambros.

AUróra cursus próvehit,
Auróra totus pródeat,
In Patre totus Fílius,
Et totus in Verbo Pater.

Lætus dies hic tránseat:
Pudor sit ut dilúculum,
Fides velut merídies,
Crepúsculum mens nésciat.

Christúsque nobis sit cibus,
Potúsque noster sit fides:
Læti bibámus sóbriam
Ebrietátem Spíritûs.

Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

℣. Revéla Dómino ópera tua, ℟. Et dirigéntur cogitatiónes tuæ. *Prov.* 16.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. c. Utinam dirigántur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas. *Ps.* 118.

In Feriis Adventûs, Quatuor Temporum, & Vigiliis quibus jejunatur, dicuntur flexis genibus & submissâ voce sequentes

Preces.

KYrie eléison, Christe eléison, Kyrie eléison.

Pater noster, *secretò. Sed clarâ voce.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi, Dómine miserére mei: ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40

℣. Convértere Dómine úsquequò: ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam, ℟. Et sancti tui exúltent. *Ps.* 131.

Orémus pro Pastóre nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum & vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. Meménto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73.

℣. Dómine salvum fac Regem nostrum N. ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Salvum fac pópulum tuũ Dómine, & bénedic hereditáti tuæ; ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. *Ps.* 27.

℣. Fiat pax in virtúte tua; ℟. Et abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus: ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. *Ps.* 85.

℣. Pro infirmis, afflíctis & captívis: ℟. Líbera eos, Deus

Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto, ℟. Et de Sion tuére eos *Ps.* 19.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Deinde dicitur Psalmus De profúndis, *qui infrà habetur in Vesp. Feriæ IV. & in fine* Glória Patri.

Finito Psalmo, dicitur ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos; ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exsúrge Domine, ádjuva nos, ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde dicitur Oratio conveniens: quando propria non assignatur, dicitur de Dominica praecedenti.

Si facienda sit Commemoratio alicujus Festi, fit in hoc loco.

SUFFRAGIA AD LAUDES MAT.

Dicuntur tantùm in Festis Simplicibus, & in Feriis [præter Adventum, à Nativitate ad Purificationem, tempus Passionis, & tempus Paschale.]

De S. Cruce, Ant. 7. Adspiciámus in autórem fidei & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gaúdio sustínuit Crucem confusióne contémptâ. *Hebr.* 12.

℣. Apud Dóminum misericórdia, ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 119.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui unigéniti Filii tui pretióso sánguine vivíficæ Crucis vexíllum sanctificáre voluísti; concéde quæsumus eos qui ejúsdem sanctæ Crucis gaudent honóre, tuâ quoque ubíque protectióne gaudére; Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

[*Si dicatur Officium parvum B. Mariæ, non dicetur sequens*]

De S. Maria, Ant. 7. Benedicéntur in te & in sémine tuo omnes tribus terræ. *Gen.* 28.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131

Orémus. *Oratio.*

DEus qui beátæ Mariæ virginálem úterum, in quo habitáres, elígere dignátus es; præsta, quæsumus, ut cujus commemoratiónem fácimus, ejus apud te patrocínia sentiámus.

De Patronis Ecclesiæ, & omnibus Sanctis, Ant. 2. Hi sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in temp-

plo ejus ; & qui sedet in throno, hábitat super illos. *Apoc.* 7.

℣. In ætérnum exultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5

Orémus. *Oratio.*

BEatórum Mártyrum tuórum Ciryci & Julíttæ matris ejus, atque Gervásii & Protásii, omniúmque Sanctórum, nos quæsumus Dómine, beáta mérita prosequántur, & tuam nobis indulgéntiam semper implórent; Per *&c.*

Pro Pace, Ant. 6. Convertat Dóminus vultum suum ad nos, & det nobis pacem. *Num.* 6.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem ℟. In plebem suam. *Ps.* 84. 9.

Orémus. *Oratio.*

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera; da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquílla; Per Dóminum, *&c.* ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino, ℟. Deo grátias.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutórium *&c.*

Hymnus, Jam lucis orto sídere *ut suprà in Dominicâ p.* 14

Ant. 2. Maledíctus homo

Psalmus 103.

BEnedic ánima mea Dómino :* Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem & decórem induísti, * amíctus lúmine sicut vestiménto;

Extendens cælum sicut pellem ;* qui tegis aquis superióra ejus;

Qui ponis nubem ascénsum tuum,* qui ámbulas super pennas ventórum;

Qui fácis Angelos tuos, spíritus ;* & minístros tuos, ignem uréntem;

Qui fundásti terram super stabilitátem suam,* non inclinábitur in séculum séculi.

Abyssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus,* super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient :* à voce tonitrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes, & descéndunt campi,* in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur ;* neque converténtur operíre terram.

Ex eodem Psalmo 103.

QUi emíttis fontes in convállibus :* inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri : * exspectábunt ónagri

in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt, * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis, * de fructu óperum tuórum satiábitur terra:

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam servitúti hóminum,

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis;

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confirmet.

Saturabúntur ligna campi, * & cedri Líbani quas plantávit.

Illic pásseres nidificábunt: * heródii domus dux est eórũ.

Montes excélsi cervis, * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, & facta est nox; * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ;

Cátuli leónum rugiéntes ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, & congregáti sunt, * & in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum, * & ad operatiónem suam usque ad vésperam.

Ex eodem Psalmo 103.

QUàm magnificáta sunt ópera tua Dómine! ómnia in sapiéntia fecísti: * impléta est terra possessióne tuâ.

Hoc mare magnum & spatiósum mánibus; * illic reptília quorum non est númerus, animália pusílla cùm magnis.

Illic naves pertransíbunt: * draco iste quem formásti ad illudéndum ei.

Omnia à te exspéctant, * ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent; * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte:

Averténte autem te fáciem, turbabúntur; * aúferes spíritum eórum, & defícient, & in púlverem suũ reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, & creabúntur, * & renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sǽculum, * lætábitur Dóminus in opéribus suis,

Qui réspicit terram, & facit eam trémere, * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea, * psallam Deo meo quándiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum, * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iníqui, ita ut non sint: * bénedic, ánima mea Dómino.

Ant. Maledíctus homo qui confídit in hómine, & ponit

carnem brachium suum, & à Dómino recédit cor ejus. *Jerem.* 17. 5.

Capitul. *Philip.* 4. 8.

QUæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque justa, quæcúmque sancta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℣. Exsúrge Dómine ádjuva nos, ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

PRECES

¶ [*Omittuntur in Annualibus, in Duplicibus, & intra Octavas; tunc dicto Versu, dicitur* Dóminus vobíscum; *& Oratio,* Dómine Deus omnípotens. *ut infrà.*]

In Festis Semiduplic. ac Simpl. & in Feriali Officio dicuntur [*flexis etiam genibus quando Preces dictæ sunt ad Laudes.*]

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Secretò.

PAter noster qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum; advéniat regnum tuum; fiat volúntas tua, sicut in cælo & in terra: panem nostrum quotidiánum da nobis hódie; & dimítte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris:

Altâ voce,

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Secretò.

CRedo in Deum, P[atrem] omnipoténtem, [Creató]rem cæli & terræ: & in [Jesum] Christum Fílium ejus ú[nicum,] Dóminum nostrum, q[ui con]céptus est de Spíritu [Sancto,] natus ex María Vírgine, [pas]sus sub Póntio Piláto, [cruci]fixus, mórtuus, & sep[últus:] descéndit ad ínferos, [tértia] die resurréxit à mórtuis, [as]céndit ad cælos; sedet [ad déx]teram Dei Patris omnip[oténtis:] inde ventúrus est ju[dicá]re vivos & mórtuos. Cre[do in] Spíritum sanctum, san[ctam] Ecclésiam Cathólicam, [san]ctórum communiónem, [remis]siónem peccatórum;

Altâ voce, ℣. Carnis re[sur]rectiónem. ℣. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi, ℟. Et manè o[rátio] mea prævéniet te. *Ps.* 87.

℣. Repleátur os meum [lau]de, ℟. Ut cantem gló[riam] tuam totâ die magnitúdi[nem] tuam. *Ps.* 70.

℣. Dómine avérte fá[ciem] tuam à peccátis meis, ℟. [Et] omnes iniquitátes meas d[ele.] *Ps.* 50.

℣. Cor mundum crea [in] me, Deus; ℟. Et spíri[tum] rectum ínnova in viscéri[bus] meis. *Ibid.*

℟. Ne projícias me à fá[cie]

℟. Et spíritum sanctum ne aúferas à me. *Ibid.*

Redde mihi lætítiam salutis tui, ℟. Et spíritu principali confírma me. *Ibid.*

Adjutórium, *&c. ut in-*

...

Quando Preces dicuntur ...flexibus, ante ℣. Adjutorium, adduntur sequentes

℣. Eripe me Dómine ab hómine malo, ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus, ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem, ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ibid.*

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. *Ps.* 60.

℣. Exaúdi nos Deus salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ & in mari longè. *Ps.* 64.

℣. Deus in adjutórium meũ inténde, ℟. Dómine ad adjuvándum me féstina. *Ps. 69.*

℣. Sancte Deus, sancte fortis, sancte immortális, ℟. Miserére nobis. *Hab.* 1. *Is.* 1. *Tim.* 1. *Tob.* 8.

℣. Benedic ánima mea Dómino, ℟. Et ómnia quæ intra me sunt nómini sancto ejus. *Ps.* 102.

℣. Benedic ánima mea Dómino, ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Ibid.*

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas; *Ibidem.*

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam, ℟. Qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus; *Ibid.*

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum; ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua. *Ibidem.*]

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cælum & terram. *Ps.* 123.

Deinde Hebdomadarius facit Confessionem, mediocri voce dicendo:

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus sanctis, [& vobis fratres:] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere, mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideò precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes sanctos, [& vos fratres,] oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet,

MIsereátur tui omnípotens Deus, & dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius respondet*, Amen.

Deinde Chorus repetit confessionem; & ubi dictum est, & vobis fratres; & vos fratres, *dicit*, & tibi pater; & te pater.

Factâ confessione à Choro; Hebdomadarius dicit,

MIsereátur vestrî omnípotens Deus, & dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amē

Qui solus recitat Officium, semel dicit Confíteor, *ut suprà, omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi* [ ].

Deinde Misereátur *semel, ad quod dicit*, nostrî, nostris, nos.

INdulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem ómnium peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amē.

Et prosequitur altâ voce,

℣. Dignáre Dómine die isto
℟. Sine peccáto nos custodíre
℣. Miserére nostrî Dómine,
℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122.
℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.
℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobí
℟. Et cum spíritu t
Orémus. *Orati*

DOmine Deus om tens, qui nos ad p pium hujus diéi perve císti, tuâ nos serva v ut in hac die ad nullu némus peccátum, sed ad tuam justítiam faci nostra procédant elóqui rigántur corda, cogitati & ópera; Per Dóminu strum JesumChristum F tuum, qui tecum vivit gnat in unitáte Spíritûs cti Deus, per ómnia seculórum, ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dó
℟. Deo grátias.

Deinde qui lecturus est M tyrologium dicit, Jube do benedícere.

Hebdomadarius: Dic modo Deus glorificétur admirábilis fiat in Sanctis *1. Thess.* 1. ℟. Amen.

Finitâ lectione Martyrol Hebdomadarius dicit ℣. Pre sa est in conspéctu Dómi
℟. Mors Sanctórum ejus

Hebdomadarius: Sancta M ria mater Dómini nostri J Christi, isti Sancti, & om álii intercédant pro nobis Dóminum, ut nos mereám ab eo adjuvári & salvári, q in Trinitáte perfécta vivit

regn

regnat in sǽcula seculórum.

℟. Amen.

¶ [*Quæ sequuntur, non dicuntur diebus Festis feriatis in populo; sed immediatè post Orationem*, Sancta Maria, *&c. leguntur Canones.*]

℣. Deus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me festína.

Et dicitur ter; ultimo additur, Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum;

℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. ℣. Glória. ℟. Sicut.

Orémus. *Oratio.*

DIrígere & sanctificáre, custodíre & régere dignáre Dómine Deus Rex cæli & terræ hodie corda & córpora nostra, sensus, sermónes, & actus nostros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum: ut hîc, & in ætérnum, te auxiliánte, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi: Qui in Trinitáte perfécta vivis & regnas in sǽcula seculórum. ℟. Amen.

Deinde fit lectio Canonum, proüt qualibet die ordinantur in fine Breviarii; quâ finitâ cum Tu autem, *Hebdomadarius dicit*: Gáudium cum pace & emendatiónem vitæ tríbuat nobis omnípotens Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

Additur secretò.

Et ánimæ ómnium fidélium defunctórum per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.

AD TERTIAM.

Deus in adjutórium *&c.*

Hymnus, Nunc sancte nobis Spíritus, *&c. ut in Dominica* *pag.* 19.

¶ [*In Festis Ant. sumitur in Proprio vel in Communi Sanctorum.*]

Ant. 1. f. Quæ est vita vestra?

Psalmus 18.

CÆli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum: * in sole pósuit tabernáculum suum.

Et ipse tamquam sponsus

procédens de thálamo suo, * exultávit ut gigas ad curréndam viam.

A summo cælo egréssio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus;* nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas; * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda; * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus pérmanens in séculum séculi, * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, * tunc immaculátus ero, & emundábor à delícto máximo.

Et erunt, ut compláceant elóquia oris mei, * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.

Psalmus 28.

AFférte Dómino filii Dei, * afférte Dómino filios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus, * adoráte Dóminũ in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit; * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte, * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros; * & confrínget Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tamquã vítulum Líbani; * & diléctus quemádmodum filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis, vox Dómini concutiéntis desértum; * & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit; * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus 91.

BOnum est confitéri Dómino, * & psállere nómini tuo Altíssime,

Ad annuntiándum manè

misericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem.

In decachórdo psaltério, * cum cántico in cíthara.

Quia delectásti me Dómine in factúra tua, * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta sunt ópera tua Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ:

Vir insípiens non cognóscet, * & stultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres sicut fœnum, * & appárúerint omnes, qui operántur iniquitátem, ut intéreant in séculum séculi:

Tu autem Altíssimus * in ætérnum Dómine:

Quóniam ecce inimíci tui Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt; * & dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum, * & senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos, * & in insurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Justus ut palma florébit, * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nóstri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta uberi, * & bene patiéntes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noster, * & non est iníquitas in eo.

Ant. Quæ est vita vestra! vapor est ad módicum parens, & deínceps exterminábitur. *Jac. 4. 15.*

¶ [*In Festis Ant. Capitul. ℟. brev. & ℣. sumuntur in Proprio vel in Communi Sanctorum. Et sic ad alias Horas.*]

Capitulum. 1. *Petr.* 1. 22.

Animas vestras castificántes in obediéntia caritátis, in fraternitátis amóre, símplici ex corde ínvicem dilígite atténtiùs.

℟. *breve.* Cor mundum * Crea in me Deus. *Repetitur à Choro* ℟. Cor mundum. ℣. Et Spíritum rectum ínnova in viscéribus meis; * Crea. Glória Patri. ℟. Cor mundum.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui, ℟. Et Spíritu principáli confírma me. *Ps.* 50.

Quando ad Laudes dictæ sunt Preces, tunc ad Tertiam, Sextam, & Nonam, flexis genibus dicitur:

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. E[t] ne nos indúcas in tentatió[nem]; ℟. Sed líbera nos à mal[o].

℣. Dómine Deus virtútu[m] convérte nos, ℟. Et osténd[e] fáciem tuam, & salvi érimus.

℣. Exsúrge Dómine ádjuva nos, ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio conveniens.*

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino;

℟. Deo grátias.

AD SEXTAM.

Deus in adjutórium.

Hymnus, Rector potens, verax Deus. *suprà pag.* 22.

Ant. 8. G. Qui custodíerint.

Psalmus 106.

CONfitémini Dómino quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci;

Et de regiónibus congregávit eos * à solis ortu & occásu, ab aquilóne & mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso, * viam civitátis habitáculi non invenérunt,

Esuriéntes & sitiéntes: * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino mi sericórdiæ ejus, * & mirab lia ejus fíliis hóminum.

Quia satiávit ánimam i nem, * & ánimam esurie tem satiávit bonis,

Sedéntes in ténebris & um bra mortis, * vinctos in me dicitáte & ferro,

Quia exacerbavérunt elo quia Dei, * & consílium A tíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in lab ribus cor eórum; * infirm sunt, nec fuit qui adjuvá

Et clamáverunt ad Dómi num cùm tribularéntur, * de necessitátibus eórum lib rávit eos.

Et edúxit eos de ténebris & umbra mortis, * & vínc la eórum disrúpit.

Ex eodem Psalmo 106.

COnfiteántur Dómino mi sericórdiæ ejus, * & mira bília ejus fíliis hóminum.

Quia contrívit portas æ reas, * & vectes férreos con frégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum, * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abominátа est ánima eórum, * & appropinquavérunt usque ad portas mortis;

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum libe-

...rit eos.

Misit verbum suum, & sanávit eos, * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum.

Et sacrífícent sacrificium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit, & stetit spíritus procéllæ, * & exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascéndunt usque ad cælos, & descéndunt usque ad abyssos, * ánima eórum in malis tabescébat:

Turbáti sunt & moti sunt sicut ébrius, * & omnis sapiéntia eórum devoráta est:

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum edúxit eos;

Et státuit procéllam ejus in auram, * & siluérunt fluctus ejus;

Et lætáti sunt quia siluérunt, * & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Ex eodem Psalmo 106.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésia plebis, * & in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértū, * & éxitus aquárum in sitim.

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárum, * & terram sine aqua in éxitus aquárum,

Et collocávit illic esuriéntes; * & constituérunt civitátem habitatiónis,

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas, * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti sunt nimis, * & juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt, * & vexáti sunt à tribulatióne malórum & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes, * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit paúperem de inópia, * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur; * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, & custódiet hæc? * & intélliget misericórdias Dómini?

Ant. Qui custodíerint justa justè, justificabúntur. *Sap.* 6.

Capitulum. 1. *Cor.* 10. 31.

Sive manducátis, sive bibitis, sive áliud quid fáci-

tis : ómnia in glóriam Dei fácite.

℟. *br.* Benedícam Dóminum* In omni témpore. ℟. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo, * In omni. Glória Patri. ℟. Benedícam. *Ps.* 33

℣. Secúndùm misericórdiam tuam meménto meî tu, ℟. Propter bonitátem tuam Dómine. *Ps.* 2.

Preces, si dicendæ sint, habentur suprà ad Tertiam, p. 51.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Deus in adjutórium.

Hymnus, Rerum Deus tenax vigor, *suprà pag.* 24.

Ant. 1. f. In ómnibus.

Psalmus 73.

UT quid Deus repulísti in finem ? * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ.

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam hereditátis tuæ : * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem : * quanta malignátus est inimícus in sancto ?

Et gloriáti sunt, qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa; & non cognovérunt ; * sicut in éxitu super summum ;

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum : * in secúri & áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum : * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra ;

Signa nostra non vídimus, jam non est Prophéta ; * & nos non cognóscet ámpliùs.

Ex eodem Psalmo 37.

USquequo Deus improperábit inimícus ? * irrítat adversárius nomen tuum in finem ?

Ut quid avértis manum tuam, & déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem ?

Deus autem, Rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare, * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis, * dedísti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes & torréntes, * tu siccasti flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox; * tu fabricátus es auróram, & solem.

Tu fecísti omnes términos terræ ; * æstátem & ver tu

plasmásti ea.

Ex eodem Psalmo 73.

MEmor esto hujus, * Inimícus improperávit Dómino; & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exsúrge Deus, júdica causam tuam; * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Ant. In ómnibus opéribus tuis memoráre novíssima tua, & in ætérnum non peccábis. *Eccli.* 8.

Capitulum. *Rom.* 13. 13.

SIcut in die honéstè ambulémus; non in comessatiónibus & ebrietátibus, non in cubílibus & impudicítiis, non in contentióne & æmulatióne; sed induímini Dóminum Jesum Christum.

℟. *br.* Ab occúltis meis * Munda me Dómine. ℟. Ab occúltis. ℣. Et ab aliénis parce servo tuo. * Munda. Glória. ℟. Ab occúltis.

℣. Rédime me Dómine, & miserére mei, ℟. Pes meus stetit in via recta. *Ps.* 18. & 25.

Preces, si dicendæ sint, habentur suprà ad Tertiam. p. 51.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS

Ant. 1. *f.* Longè est.

Psalmus 114.

DIléxi, * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni; * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam; * miséricors Dóminus & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus, * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Longè est Dóminus ab ímpiis ; & oratiónes justórum exaúdiet. *Prov.* 15.

Ant. 8. G. Habéntes.

Psalmus. 115.

CRédidi propter quod locútus sum ; * ego autem humiliátus sum nimis ;

Ego dixi in excéssu meo ; * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam ; & nomen Dómini invocábo ; * vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus.

Pretiósa in conspéctu Dómini * mors sanctórum ejus.

O Dómine quia ego servus tuus, * ego servus tuus, & fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea, * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam, in conspéctu omnis pópuli ejus ; * in átriis domûs Dómini, in médio tuî Jerúsalem.

Ant. Habéntes eúmdem spíritum fídei, & nos crédimus propter quod & lóquimur. 2. *Cor.* 4.

Ant. 1. g. Omnes viæ tuæ.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes gentes ; * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Omnes viæ tuæ, Dómine misericórdia, & véritas, & judícium. *Tob.* 3.

Ant. 4. e. Noli vinci.

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam ?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est, * habitávi cum habitántibus Cedar.

Multum íncola fuit ánima mea * cum his qui odérunt pacem.

Eram pacíficus ; * cum loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. *Rom.* 12

Ant. 8. d. In ómnibus viis tuis.

Psalmus. 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino ; * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónem

...lem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dormiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo, * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introïtum tuum & éxitum tuum * ex hoc nunc & usque in séculum.

Ant. In ómnibus viis tuis cógita Dóminum; & ipse díriget gressus tuos. *Prov.* 3.

Capitulum. 2. *Petr.* 1. 10.

FRatres, satágite ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis: hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquándo.

Hymnus.

IMmnénse cæli Cónditor,
Qui mixta ne confúnderet,
Aquæ fluénta dívidens,
Cælum dedísti límitem;
Firmans locum cæléstibus,
Simúlque terræ rívulis,
Ut unda flammas témperet,
Terræ solum ne díssipent;
Infúnde nunc piíssime,
Donum perénnis grátiæ,
Fraudis novæ ne cásibus
Nos error átterat vetus.
Lucem fides invéniat,
Sic lúminis jubar ferat,
Ut vana cuncta térreat,
Hanc falsa nulla cómprimant.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

℣. Elevátio mánuum meárum, ℟. Sacrifícium vespertínum. *Ps.* 140.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Dóminus fidélis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus se, & his qui custódiunt præcépta ejus in mille generatiónes. *Deut.* 7.

In diebus Stationum seu Jejuniorum, scilicet Vigiliarum & IV. Temporum (exceptis illis quæ sunt intra Octavam Pentecostes) dicuntur Preces & quidem flexis genibus ad Matutinas Laudes & Horas; non autem ad Vesperas, quia jam solutum est jejunium post Nonam, quæ dicitur ante comestionem: in Completorio dicuntur consueta in Feriis Preces, sed non flexis genibus.

In Feriis Oratio, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica præcedenti.

Si facienda sit Commemoratio alicujus Festi, fit hoc loco.

SUFFRAGIA AD VESPERAS.

Dicuntur tantùm in Festis Simplicibus, & in Feriis, extra Adventum, tempus à Nativitate ad Purificationẽ, tempus Passionis, & tempus Paschale.

De S. Cruce, Ant. 3. Mihi absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Gal.* 6.

℣. Tu Dómine suscéptor meus es; ℟. Glória mea, & exáltans caput meum. *Ps.* 3.

Orémus. *Oratio.*

ADésto nobis, quæsumus, Dómine Deus noster; & quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es, ejus quoque perpétuis tuére præsídiis; Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

[*Si dicitur Officium parvum de Beata, non dicitur sequens Ant.*]

De S. Maria, 3. *to.* Benedícta es tu fília à Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13.

℣. Nunc ergo ora pro nobis, ℟. Quóniam múlier sancta es. *Judith.* 8.

Orémus. *Oratio.*

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium, ut qui sanctæ Dei genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

De SS. Patronis Ecclesiæ, & omnibus Sanctis, Ant. 1. Fulgébunt Justi sicut sol in regno Patris eórum. *Matth.* 13.

℣. Vox exultatiónis & salútis ℟. In tabernáculis justórum. *Ps.* 117.

Orémus. *Oratio.*

MAjestátem tuam Dómine súpplices exorámus, ut sicut nos júgiter sanctórum Mártyrum tuórum Ciryci & Julíttæ matris ejus, ac Gervásii & Protásii, omniúmque Sanctórum commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne deféndas; Per Christum. ℟. Amen.

Pro Pace, Ant. 6. Deus qui fecit nobíscum secúndùm suã misericórdiam, det nobis jucunditátem cordis, & fieri pacem in diébus nostris. *Eccli.* 50.

℣. Rogáte, quæ ad pacem sunt Jerúsalem, ℟. Et abundántia diligéntibus te. *Ps.* 121.

Orémus. *Oratio.*

DEus autor pacis & amátor; quem nosse, vívere; cúi servíre, regnáre est, prótege ab ómnibus impugnatiónibus súpplices tuos: ut qui in defensióne tua confídimus, nullíus hostilitátis arma timeámus; Per Dóminum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino;

℟. Deo grátias.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convérte nos, &c.

℣. Deus in adjutórium,

Ant. 8. G. Ad Dóminum.

Ex Psalmo 30.

O Dísti obsérvántes vanitátes supervácuè, * ego autem in Dómino sperávi.

Exultábo, & lætábor in misericórdia tua, * quóniam respexísti humilitátem meam, salvásti de necessitátibus ánimam meam;

Nec conclusísti me in mánibus inimíci; * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére meî Dómine quóniam tríbulor: * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus,

Quóniam defécit in dolóre vita mea; * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * & ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, * & vicínis meis valde,

Et timor notis meis: * qui vidébant me, foras fugérunt à me;

Oblivióni datus sum tamquam mórtuus à corde, * factus sum tamquam vas pérditum.

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu, * in eo dum convenírent simul advérsùm me, accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine; * dixi, Deus meus es tu.

In mánibus tuis sortes meæ; * éripe me de manu inimicórum meórum, & à persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum: * salvum me fac in misericórdia tua.

Dómine non confúndar, quóniam invocávi te; * erubéscant ímpii, & deducántur in inférnum.

Muta fiant lábia dolósa, * quæ loquúntur advérsùs justum iniquitátem in supérbia & in abusióne.

Ex eodem Psalmo 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te:

Perfecísti eis, qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ * à conturbatióne hóminum.

Protéges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus, * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ: * Projéctus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem

ad te.

Dilígite Dóminum omnes sancti ejus, quóniam veritátem requíret Dóminus, * & retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Psalmus 16.

EXaúdi Dómine justítiam meam, * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónem meam, *non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meũ pródeat, * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, & visitásti nocte; * igne me examinásti, & non est invénta in me iníquitas;

Ut non loquátur os meum * ópera hóminum:

Propter verba labiórum tuórum *. ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur vestígia mea.

Ex eodem Psalmo 16.

EGo clamávi, quóniam exaudísti me Deus; * inclína aurem tuam mihi, & exaúdi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te à resisténtibus déxteræ tuæ.

Custódi me ut pupíllam óculi, * sub umbra alárum tuárum prótege me;

A fácie impiórum qui me afflixérunt, * inimíci mei ánimam meam circumdedérunt.

Adipem suum conclusérunt: *os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me, sicut leo parátus ad prædam: * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge Dómine, præveni eum, & supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine à paucis de terra dívide eos in vita eórum: *de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt filiis: * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cũ apparúerit glória tua.

Ant. Ad Dóminum aspíciam, exspectábo Deum Salvatórem meum; aúdiet me Deus meus. *Mich.* 7. 7.

Hymnus, Te lucis; *suprà in Dominica pag.* 32.

Capitulum. 1. *Petr.* 5. 8.

SObrii estóte, & vigiláte, quia adversárius vester

diábolus, tamquam leo rúgiens, círcuit quærens quem dévoret: cúi resíſtite fortes in fide. ℟. Deo grátias.

℣. Cuſtódi nos Dómine ut pupíllam óculi, ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos. *Pſ.* 16.

In Feriali Officio, Ant. 8. G. Qui me audíerit, abſque terróre requiéſcet, & abundántiâ perfruétur, timóre ſubláto. *Prov.* 1.

In Feſtis feriatis, niſi aliter notetur, Ant. 3. *a.* Sive vigilémus, ſive dormiámus, ſimul cum Chriſto vivámus. 1. *Theſſ.* 5.

Canticum, Nunc dimíttis. *ſuprà pag.* 32.

PRECES

¶ [*In Annualibus, Dominicis, Dupl. & intra Octavas omittuntur.*

Dicuntur autem in Semidupl. Simpl. & Feriis.]

KYrie eléiſon. Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon. Pater noſter. *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. Credo in Deum. *ſecretò uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem; ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es Dómine Deus patrum noſtrórum; ℟. Et laudábilis & glorióſus in ſécula. *Dan.* 3.

℣. Benedicámus Patrem & Fílium cum ſancto Spíritu: ℟. Laudémus & ſuperexaltémus eum in ſécula. *Ibid.*

℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli; ℟. Et laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſécula. *Ibid.*

℣. Benedícat & cuſtódiat nos omnípotens & miſéricors Dóminus. ℟. Amen. *Num.* 6. *Bar.* 3.

Deinde Hebdomadarius facit confeſſionem, mediocri voce dicendo:

COnfiteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptíſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus ſanctis, [& vobis fratres:] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam ſemper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptíſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes ſanctos, [& vos fratres,] oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus reſpondet,

MIſereátur tui omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdom. reſp.* Amen.

Deinde Chorus repetit confeſ-

ſionem; & ubi dictum eſt, & vobis fratres; & vos fratres, *dicit*, & tibi pater; & te pater.

Factâ confeſſione à Choro, Hebdomadarius dicit,

MIſereátur veſtrî omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, abſolutiónem, & remiſſiónem ómnium peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amē.

Et proſequitur altâ voce,

℣. Dignáre Dómine nocte iſtâ ℟. Sine peccáto nos cuſtodíre.

℣. Miſerére noſtrî Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122.

℣. Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.]

℣. Dóminus vobíſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ILlúmina, Dómine, ténebras noſtras, & totíus noctis insídias tu propítius repélle; Per Dóminum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino;

℟. Deo grátias.

Benedícat, *&c. & dicitur una ex Antiphonis de B. Maria ut in fine Pſalterii; & ſic in ceteris diebus.*

FERIA TERTIA AD VIGILIAS.

℣. Dómine lábia, *&c. p.* 1.

Invitatorium, Dominatórem univérſæ terræ * Veníte adorémus. *Zachar.* 4.

Pſalmus, Veníte. *p.* 1.

Hymnus. *S. Ambroſ.*

COnſors patérni lúminis,
Lux ipſe lucis, & dies,
Noctem canéndo rúmpimus,
Aſsíſte poſtulántibus.

Aufer tenébras méntium,
Fuga catérvas dæmonum,
Expélle ſomnoléntiam,
Ne pigritántes óbruat.

Sic Chriſte nobis ómnibus,
Indúlgeas credéntibus,
Ut proſit exorántibus,
Quod præcinéntes pſállimus.

Præſta Pater piíſſime,
Patríque compar Unice
Sancto ſimul cum Spíritu
Regnans per omne ſéculum.
Amen.

Ant. 1. a. Beátus vir.

Pſalmus 10.

IN Dómino confído; * quómodo dícitis ánimæ meæ, Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt ſagíttas ſuas in pháretra, * ut ſagíttent in obſcúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo; * Dóminus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in paúperem respíciunt, * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, ódit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, & justítias diléxit; * æquitátem vidit vultus ejus.

Psalmus 11.

SAlvum me fac Dómine, quóniam defécit sanctus, * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum, * lábia dolósa in corde & corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * & linguam magníloquam;

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum & gémitum paúperum * nunc exsúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári, * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu Dómine servábis nos, * & custódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secúndùm altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam;

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua;

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Beátus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo. *Eccli.* 14.

Ant. 2. Timénti Dóminum.

Psalmus 25.

JUdíca me Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum, * & in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me Dómine, & tenta me, * ure renes meos & cor meum:

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, * & complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum Dómine,

Ut aúdiam vocem laudis, * & enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine diléxi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam.

In quorum mánibus iniquitátes sunt, * déxtera eórum repléta est munéribus:

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum, * rédime me, & miserére mei:

Pes meus stetit in diréćto, * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Psalmus. 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam; * Deus meus in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei; * étenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas demónstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me, * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine, * & misericordiárum tuárum, quæ à século sunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto mei tu, * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via;

Díriget mansuétos in judício, * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini misericórdia, & véritas, * requiréntibus testaméntum ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiaberis peccáto meo: * multum est enim.

Ex eodem Psalmo 24.

QUis est homo qui timet Dóminum? * legem stá-

tuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum, * & testaméntum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére mei, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt, * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam & labórem meum, * & dimítte univérsa delícta mea;

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me;

Custódi ánimam meam, & érue me; * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera Deus Israël * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Timénti Dóminum bene erit, & in diébus consummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* I. 19.

Ant. 6. F. Bonus est Dóminus.

Psalmus 70.

IN te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum; * in justítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum, * ut salvum me fácias:

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iníqui:

Quóniam tu es patiéntia mea Dómine, * Dómine spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero, de ventre matris meæ tu es protéctor meus: * in te cantátio mea semper.

Tamquam prodígium factus sum multis, * & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ex eodem Psalmo 70.

NE projícias me in témpore senectútis; * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me:

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum;

Dicéntes, Deus derelíquit eum, persequímini, & comprehéndite eum, * quia non est qui erípiat.

Deus ne elongéris à me, * Deus meus in auxílium

meum réſpice.

Confundántur & deficiant detrahéntes ánimæ meæ ; * operiántur confuſióne, & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperábo, * & adjíciam ſuper omnem laudem tuam.

Os meum annuntiávit juſtítiam tuam, * totâ die ſalutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini, * Dómine, memorábor juſtítiæ tuæ ſolíus.

Ex eodem Pſalmo 70.

DEus docuíſti me à juventúte mea;* & uſque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et uſque in ſenéctam & ſénium : * Deus ne derelínquas me :

Donec annúntiem bráchiũ tuum * generatióni omni quæ ventúra eſt.

Poténtiam tuam, & juſtítiam tuam, Deus, uſque in altíſſima, quæ feciſti magnália : * Deus quis ſímilis tibi ?

Quantas oſtendíſti mihi tribulatiónes multas, & malas : * & convérſus vivificáſti me, & de abyſſis terræ íterum reduxíſti me,

Multiplicáſti magnificéntiam tuam, * & convérſus conſolátus es me,

Nam & ego confitébor tibi in vaſis pſalmi veritátem tuã, Deus *pſallam tibi in cíthara, ſanctus Iſraël.

Exultábunt lábia mea, cùm cantávero tibi:*& ánima mea quam redemíſti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur juſtítiam tuam ,* cùm confúſi & revériti fúerint, qui quærunt mala mihi.

Ant. Bonus eſt Dóminus ſperántibus in eum, ánimæ quæréntì illum. *Thren.* 3.

℣. Memor fui nocte nóminis tui Dómine, ℟. Et cuſtodívi legem tuam. *Pſ.* 118.

Pater noſter *ſecretò. Sed altâ voce* Et ne nos. ℟. Sed líbera.

Benedictiones ut ante Pſalterium.

Lectiones cum ſuis ℟. ℟. *ut in Proprio. Et ſic in aliis Feriis.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, ℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118.

℣. Deus in adjutórium.

Ant. 1. g. In omni ore.

Pſalmus 149.

CAntáte Dómino cánticum novum, * laus ejus in ecclésia ſanctórum.

Lætétur Iſraël in eo, qui fecit eum, * & filii Sion exúltent in Rege ſuo ;

Laudent nomen ejus in chòro, * in tympano & pſaltério pſallant ei,

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo,* & exal-

tibi mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória, * lætábuntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum, * & gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus,* increpatiónes in pópulis;

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis,

Ut fáciant in eis judícium conscríptum: *glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Ant. In omni ore & corde collaudáte & benedícite nomen Dómini. *Eccli.* 39.

Ant. 6. F. Ne irascáris.

Canticum Moysi. Deut. 32.

AUdíte cæli quæ loquor, * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea, * fluat ut ros elóquium meum,

Quasi imber super herbam, *& quasi stillæ super grámina.

Quia nomen Dómini invocábo, * date magnificéntiam Deo nostro.

Dei perfécta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia;* Deus fidélis, & absque ulla iniquitáte, justus & rectus.

Peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus, * generátio prava atque pervérsa.

Hæccine reddis Dómino * pópule stulte & insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi; * majóres tuos, & dicent tibi:

Quando dividébat Altíssimus gentes; * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israël.

Pars autem Dómini pópulus ejus; * Jacob funículus hereditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vastæ solitúdinis.

Circumdúxit eum, & dócuit, * custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * & super eos vólitans,

Expándit alas suas,& assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit, * & non erat cum eo deus aliénus:

Constítuit eum super excélsam terram, * ut coméderet fructus agrórum;

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de saxo duríssimo,

Bútyrum de arménto, &

lac de ôvibus, * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Basan,

Et hircos cum medúlla trítici, * & sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, & recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus

Derelíquit Deum factórem suum, * & recéssit à Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt;

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo, * diis quos ignorábant.

Novi, recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Ant. Ne irascáris Dómine, & ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ: ecce réspice; pópulus tuus, omnes nos. *Is.* 64.

Ant. 7. a. Cave.

Ex eodem Cantico. Deut. 32.

DEum qui te génuit dereliquísti, * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus est, * quia provocavérunt eum filii sui, & filiæ.

Et ait: Abscóndam fáciem meam ab eis, * & considerábo novíssima eórum.

Generátio enim pervérsa est, * & infidéles filii.

Ipsi me provocavérunt i[n] eo qui non erat Deus, * [&] irritavérunt in vanitátibu[s] suis;

Et ego provocábo eos in e[o] qui non est pópulus, * & i[n] gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furó[-] re meo, * & ardébit usque a[d] inférni novíssima;

Devorabítque terram cum gérmine suo, * & móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala, * & sagíttas meas complébo in eis.

Consuméntur fame, * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium super terram atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, & intùs pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi, Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter íram inimicórum dístuli: * ne fortè supérbirent hostes eórum,

Et dícerent, Manus nostra excélsa, & non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, * & sine prudéntia:

Utinam sáperent & intellígerent, * ac novíssima pro-

vidérent!

Quómodo persequátur unus mille, & duo fugent decem míllia? *nonne ídeo quia Deus suus véndidit eos, & Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster, ut dii eórum: *& inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de suburbánis Gomórrhæ.

Uva eórum uva fellis, * & botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áspidum insanábile.

Ant. Cave nequándo oblivíscaris Dómini Dei tui, & négligas mandáta ejus. *Prov.* 8

Ant. 8. c. Propítius esto.

Ex eodem Cantico. Deut. 32.

NOnne hæc cóndita sunt apud me * & signáta in thesaúris meis?

Mea est últio, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà est dies perditiónis,* & adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus, * & clausi quoque defecérunt, residuíque consúmpti sunt.

Et dicet, Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum;

Surgant & opituléntur vobis, * & in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus, * & non sit álius Deus præter me.

Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego sanábo: * & non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cælum manum meam; & dicam, * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero, ut fulgur, gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóstibus meis; * & his qui odérunt me, retríbuam.

Inebriábo sagíttas meas sánguine, * & gládius meus devorábit carnes de cruóre occisórum, & de captivitáte nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte gentes pópulum ejus, * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur,

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum, * & propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. Propítius esto pópulo tuo Israël, quem redemísti Dómine. *Deuteron.* 21.

Ant. 6. F. Arrogántiam.

Psalmus 100.

MIsericórdiam & judíciũ * cantábo tibi, Dómine.

Psallam & intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam, * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum, * declinántem à me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secrétò próximo suo * hunc persequébar.

Supérbo óculo & insatiábili corde * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum; * ámbulans in via immaculáta hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ, * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ant. Arrogántiam, & supérbiam, & viam pravam, & os bilíngue detestátur Dóminus. *Proverb.* 8.

Capitulum. 1. *Thess.* 5. 21.

OMnia probáte, quod bonum est tenéte: ab omni spécie mala abstinéte vos.

Hymnus. *Prudent.*

ALes diéi núntius
Lucem propínquam pr[æ]cinit;
Nos excitátor méntium
Jam Christus ad vitam voca[t].

Auférte, clamat, léctulo
Ægros, sopóros, désides:
Castíque, recti ac sóbrii
Vigiláte, jam sum próximus.

Jesum ciámus vócibus,
Flentes, precántes, sóbrii:
Inténta supplicátio
Dormíre cor mundum vetat.

Tu Christe somnum díssice
Tu rumpe noctis víncula:
Tu solve peccátum vetus,
Novúmque lumen íngere.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc & per omne séculum.
Amen.

℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ; ℟. Exultávimus, & delectáti sumus. *Ps.* 89.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. Deus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris. 2. *Cor.* 4.

Preces quando dicuntur, & Suffragia habentur suprà in Laudibus Mat. Feriæ II. p. 42.

AD PRIMAM,

℣. Deus in adjutórium.

Hymnus, Jam lucis, *suprà in Dominica*, *p.* 14.

Ant. 1. a. Exspectátio justórum.

Psalmus 36.

NOli æmulári in malignántibus,* neque zeláveris faciéntes iniquitátem:

Quóniam tamquam fœnum velóciter aréſcent;* & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem,* & inhábita terram, & paſcéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino,* & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & ſpera in eo;* & ipſe fáciet.

Et edúcet quaſi lumen juſtítiam tuam, & judícium tuum tamquam merídiem:* ſúbditus eſto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui proſperátur in via ſua,* in hómine faciénte injuſtítias.

Déſine ab ira, & derelínque furórem;* noli æmulári, ut malignéris:

Quóniam qui malignántur exterminabúntur;* ſuſtinéntes autem Dóminum, ipſi hereditábunt terram.

Et adhuc pusílllum, & non erit peccátor;* & quæres locum ejus, & non invénies.

Manſuéti autem hereditábunt terram,* & delectabúntur in multitúdine pacis.

Ex eodem Psalmo 36.

OBſervábit peccátor juſtum,* & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum,* quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres,* intendérunt arcum ſuum,

Ut dejíciant paúperem & ínopem,* ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipſórum,* & arcus eórum confringátur.

Mélius eſt módicum juſto,* ſuper divítias peccatórum multas:

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur;* confírmat autem juſtos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum,* & heréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diébus famis ſaturabúntur,* quia peccatóres peribunt.

Inimíci verò Dómini mox ut honorificáti fúerint, & exaltáti,* deficiéntes quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, & non ſolvet,* juſtus autem miserétur, & tríbuet.

Quia benedicéntes ei hereditábunt terram;* maledicéntes autem ei diſperíbunt.

Apud Dóminum greſſus hó-

minis dirigéntur, * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur, * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui;* & non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, & cómmodat; * & semen illíus in benedictióne erit.

Ex eodem Psalmo 36.

DEclína à malo, & fac bonum; * & inhábita in séculum séculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet sanctos suos; * in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur; * & semen impiórum períbit.

Justi autem hereditábunt terram, * & inhabitábunt in séculum séculi super eam.

Os justi meditábitur sapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non supplantabúntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum, * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus, * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Exspécta Dóminum, & custódi viam ejus, & exaltábit te, ut hereditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat; * quæsívi eum, & non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem, * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem dispéribunt, * simul relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino, * & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos; & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos, * quia speravérunt in eo.

Ant. Exspectátio justórum lætítia: spes autem impiórum períbit. *Prov.* 10.

Capitulum, ℟ *breve, & Preces quando dicuntur, habentur suprà ad Primam Fer. II. p.46.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutórium *&c.*

Hymnus, Nunc sancte, *suprà p.* 19.

Ant, 1. g. Laudábo.

Psalmus 52.

DIxit insípiens in corde suo, * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

Deus

Deus de cœlo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt; * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam, ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cùm convérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israël.

Psalmus 53.

DEus in nómine tuo salvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus exaúdi oratiónem meam, * aúribus pércipe verba oris mei,

Quóniam alièni insurrexérunt advérsùm me, & fortes quæsiérunt ánimam meam, * & non proposuérunt Deum ante conspéctum suum:

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis, * & in veritáte tua dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi, * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est;

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me, * & super inimícos meos despéxit óculus meus.

Psalmus 55.

MIserére meî Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die, * quóniam multi bellántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo; * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi; * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur; * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abscóndent, * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus vitam meam annuntiávi tibi, * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo, sicut & in promissióne tua.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsum * in quacúmque die invocávero te.

Ecce cognóvi,* quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum,* in Dómino laudábo sermónem.

In Deo sperávi,*non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua,* (quæ) reddam laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu: * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Laudábo nomen tuum assíduè, & collaudábo illud in confessióne, & exaudíta est orátio mea. *Eccli.* 51.

Capitulum, ℟. breve, & Preces quando dicuntur, habentur suprà ad Tertiam Fer. II. pag. 51.

Ad Sextam.

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Hymnus, Rector potens. *in Dominica. p.* 22.

Ant. 8. G. Justus.

Psalmus 54.

EXaúdi Deus oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, & exaúdi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea, * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes,* & in ira moléfti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me, * & formído mortis cécidit super me.

Timor & tremor venérunt super me,* & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ? * & volábo, & requiéscam.

Ecce elongávi fúgiens, * & mansi in solitúdine.

Exspectábam eum qui salvum me fecit à pusillanimitáte spíritûs, * & tempestáte.

Præcípita Dómine, dívide linguas eórum, * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas, * & labor in médio ejus, & injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi,* sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset, * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu verò homo unánimis,* dux meus & notus meus,

Qui simul mecum dulces capiébas cibos,*in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos, * & descéndant in inférnum vivéntes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi :* & Dóminus salvábit me.

Ex eodem Psalmo 54.

VEspere, & manè, & merídie narrábo, & annuntiábo, * & exaúdiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi, * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus; & humiliábit illos, * qui est ante sécula.

Non enim est illis commutátio, & non timuérunt Deum; * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, divísi sunt ab ira vultûs ejus, * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum : * & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo.

Tu verò Deus* dedúces eos in púteum interitûs.

Viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos : * ego autem sperábo in te, Dómine.

Psalmus 57.

SI verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini, * in terra injustítias manus vestræ concinnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva : * erravérunt ab útero, locúti sunt falsa.

Furor illis secúndum similitúdinem serpéntis : * sicut áspidis surdæ, & obturántis aures suas,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum, * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquàm aqua decúrrens : * inténdit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur; * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

Priúsquàm intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus, cùm víderit vindíctam, * manus suas lavábit in sánguine peccatóris

Et dicet homo, Si útique est fructus justo, * útique est Deus júdicans eos in terra.

Ant. Justus in ætérnum non commovébitur : ímpii autem non habitábunt super terram. *Prov.* 10.

Capitulum, ℟. breve, & Preces quando dicendæ sunt, habentur suprà ad Sextam Fer. II. pag. 53.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutórium: &c

Hymn. Rerum Deus. *p.* 24.

Ant. 1. f. Qui confídit.

Psalmus 59.

DEus repulísti nos, & destruxísti nos :* irátus es, & misértus es nobis.

Commovísti terram,& conturbásti eam; * sana contritiónes ejus,quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura, * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs,

Ut liberéntur dilécti tui :* salvum fac déxterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus est in sancto suo : * Lætábor, & partíbor Síchimam, & convállem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, & meus est Manásses, * & Ephraïm fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam extén dam calceaméntum meum;*mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumæam ?

Nónne tu Deus, qui repulísti nos, * & non egrediéris Deus in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne ; * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Psalmus 60.

EXaúdi Deus deprecatiónem meam,* inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi :* dum anxiarétur cor meum.

In petra exaltásti me, * deduxísti me.

Quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci;

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sécula, * prótegar in velaménto alárum tuárum,

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiónem meam,* dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies Regis adjícies,*annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis,

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi:*ut reddam vota mea de die in diem.

Psalmus 61.

NOnne Deo subjécta erit ánima mea ? * ab ipso enim salutáre meum ;

Nam & ipse Deus meus, & salutáris meus, suscéptor meus ; * non movébor ámpliùs.

Quoúsque irrúitis in hómi-

xum?* interficitis univérsi vos tamquam paríeti inclináto & macériæ depúlsæ ?

Verúmtamen prétium meũ cogitavérũt repéllere, cucúrri in siti:* ore suo benedicébant; & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto ánima mea :* quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, & salvátor meus :* adjútor meus; non emigrábo.

In Deo salutáre meum, & glória mea:* Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra : * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in statéris,* ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere; * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc áudivi; quia potéstas Dei est, & tibi Dómine misericórdia : * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Ant. Qui confídit in divítiis suis, córruet : justi autem quasi virens fólium germinábunt. *Prov.* 11.

Capitulum, ℟ breve, & Preces quando dicendæ sunt, habentur suprà ad Nonam Fer. II. p. 55

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutórium, &c.

Ant. 4. A. Quæ pacis sunt.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis Jerúsalem,

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus tribus Dómini,* testimónium Israël, ad confiténdum nómini Dómini,

Quia illic sedérunt sedes in judício,* sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri* quæsívi bona tibi.

Ant. Quæ pacis sunt, sectémur; & quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus. *Rom.* 14.

Ant. 8. G. Metuéntes Dóminum.

Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suó-

rum;

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ, * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

Miserére nostrî Dómine, misserére nostrî, * quia multùm repléti sumus despectióne;

Quia multùm repléta est ánima nostra, * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Ant. Metuéntes Dóminum, sustinéte misericórdiam ejus. *Eccle.* 2.

Ant. 1. 2. Confitébor.

Psalmus 123.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israël, * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exsúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíssent nos.

Cùm irasceréntur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra; * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cælum & terram.

Ant. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor & protéctor factus es mihi. *Eccli.* 51.

Ant. 8. c. Non est confusio.

Psalmus 124.

QUi confídunt in Dómino, sicut mons Sion; * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus, * & Dóminus in circúitu pópuli sui ex hoc nunc & usque in sǽculum:

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac Dómine bonis, * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israël.

Ant. Non est confúsio confidéntibus in te, Dómine. *Daniel.* 2.

Ant. 1. 2. Et convértam.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum ; * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Ant. Et convértam luctum eórum in gáudium, & consolábor eos. *Jerem.* 31.

Capitulum. 2. *Cor.* 1.

BEnedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum & Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

TEllúris ingens Cónditor,
Mundi solum qui détegens,
Pulsis aquæ moléstiis,
Terram dedísti immóbilem ;
Ut germen aptum próferens
Fulvis decóra flóribus,
Fecúnda fructu sísteret,
Pastúmque gratum rédderet.
Mentis perústæ vúlnera,
Munda viróris grátiâ,
Ut facta fletu díluat,
Motúsque pravos átterat.
Jussis tuis obtémperet,
Nullis malis appróximet :
Bonis repléri gáudeat,
Et mortis ictum nésciat.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar únice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Addent mites in Dómino lætítiam, & paúperes hómines in sancto Israël exultábunt. *Is.* 29.

Suffragia in Vesp. Fer. II. pag. 58.

In Feriis Oratio, quando non assignatur propria, dicitur de Dominica præcedenti.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convérte nos, *&c.*

℣. Deus in adjutórium *&c.*

Ant. 8. G. Beátus homo.

Psalmus 51.

QUid gloriáris in malítia : * qui potens es in iniquitáte ?

Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem, * iniquitátem magisquàm loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptéreà Deus déstruet te in finem ; * evéllet te, & emi-

grábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, & timébunt, & super eum ridébunt; * & dicent, Ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum;

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum, * & prævâluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum, & in séculum séculi.

Confitébor tibi in séculum, quia fecísti; * & exspectábo nomen tuum, quoniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

Psalmus 27.

AD te Dómine clamábo, Deus meus ne síleas à me; * nequándo táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exaúdi Dómine vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te; * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus, * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndùm ópera eórum, * & secúndùm nequítiâ adinventiónum ipsórum,

Secúndùm ópera mánuum eórum tribue illis, * redde retributiónem eórum ipsis,

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus; * déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea, * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * & protéctor salvatiónum christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ; * & rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.

Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore, * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea, * aúdiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum, * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini, * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum,* & ex ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum,* & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus:* beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus,* quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt, & esuriérunt;* inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Ex eodem Psalmo 33.

VEníte fílii, audíte me,* timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo, qui vult vitam?* díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo,* & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum;* inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos,* & aures ejus in preces eórū.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala,* ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos,* & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde,* & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum;* & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum,* unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima;* & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum;* & non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Beátus homo qui corrípitur à Deo: increpatiónem ergo Dómini ne réprobes. *Job.* 5.

Hymnus, Capitulum, &c. cum Precibus, quando dicendæ sunt, habentur in Completorio Feriæ II. pag. 60.

FERIA QUARTA.

AD VIGILIAS.

℣. Dómine lábia &c. p. 1.

Invitatorium, Dóminum qui dispónit ómnia suáviter,* Veníte adorémus. *Sap.* 8.

Psalmus 94. Veníte, *p.* 1.

Hymnus.

RErum Creátor óptime,
Rectórque noster áspice;
Nos à quiéte nóxia
Mersos sopóre líbera.
Te sancte Christe póscimus:
Ignósce culpis ómnibus:
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.
Mentes manúsque tóllimus,

Prophéta ſicut nóctibus
Nobis geréndum præcipit,
Paulúſque geſtis cénſuit.

Vides malum quod fécimus;
Occúlta noſtra pándimus;
Preces geméntes fúndimus,
Dimítte quod peccávimus.

Præſta Pater piíſſime,
Patríque compar Unice,
Sancto ſimul cum Spíritu
Regnans per omne ſéculum.
Amen.

Ant. 8. d. Exſpectémus.

Pſalmus 31.

BEáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes,* & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cúi non imputávit Dóminus peccátum,* nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea,* dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua, * convérſus ſum in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * & injuſtítiam meam non abſcóndi.

Dixi, Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino: * & tu remiſíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus,* in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & inſtruam te in via hac quâ gradiéris, * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum conſtrínge,* qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris,* ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte juſti, * & gloriámini omnes recti corde.

Pſalmus 37.

DOmine ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam ſagíttæ tuæ infixæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſánitas in carne mea à fácie iræ tuæ, * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum:

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meum, * & ſicut onus grave graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem,* totâ

die contristátus ingrediébar :

Quóniam lumbi mei implé- ti sunt illusiónibus, * & non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum & humiliátus sum nimis, * rugiébam à gémitu cordis mei.

Ex eodem Psalmo 37.

DOmine, ante te omne desidérium meum, * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea, * & lumen oculórum meórum, & ipsum *non* est mecum.

Amíci mei, & próximi mei * advérsùm me appropinquavérunt & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt ; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine sperávi, * tu exaúdies me, Dómine Deus meus :

Quia dixi, Nequándo supergaúdeant mihi inímici mei ; * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt ;

Quóniam ego in flagélla parátus sum, * & dolor meus in conspéctu meo semper ;

Quóniam iniquitátem meã annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo :

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me, * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi, * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meũ, * Dómine Deus salútis meæ.

Ant. Exspectémus húmiles consolatiónem Dei, & exquíret sánguinem nostrum de afflictiónibus inimicórum nostrórum. *Judith.* 8.

Ant. 8. G. Justítia rectórum.

Psalmus 38.

DIxi : Custódiam vias meas, * ut non delínquam in linguâ mea.

Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor advérsùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis : * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, & in meditatióne meâ exardéscet ignis : * locútus sum in lingua mea.

Notum fac mihi Dómine

finem meum, & númerum diérum meórum, quis est? * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos:* & substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo; * sed & frustrà conturbátur;

Thesaurízat, * & ignórat cúi congregábit ea.

Et nunc, quæ est exspectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me, * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Ex eodem Psalmo 38.

OBmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu fecísti.

Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuísti hóminem, & tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaúdi oratiónem meam Dómine * & deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe lácrymas meas; * ne síleas:

Quóniam ádvena ego sum apud te & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi ut refrígerer, priúsquàm ábeam; * & ámpliùs non ero.

Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & paúperem: * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus; * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine miserére mei; * sana ánimam meam; quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & peribit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur;* cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idípsum.

Advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei, * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me, * Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére meî, & ressúscita me;* & retribuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti, * & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël à século, & usque in séculum: * fiat, fiat.

Ant. Justítia rectórum liberábit eos, & in insídiis suis capiéntur iníqui. *Prov.* 11.

Ant. 8. c. Qui addúxit.

Psalmus 43.

DEus áuribus nostris audívimus; patres nostri annuntiavérunt nobis opus, * quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

Manus tua Gentes dispérdidit, & plantásti eos; * afflixísti pópulos, & expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * & bráchium eórum non salvávit eos:

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui, * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * & gládius meus non salvábit me:

Salvásti enim nos de affligéntibus nos, * & odiéntes nos confudísti.

Ex eodem Psálmo 43.

IN Deo laudábimur totâ die, * & in nómine tuo confitébimur in séculum.

Nunc autem repulísti, & confudísti nos, * & non egrediéris Deus in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimícos nostros, * & qui odérunt nos diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum, * & in Géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem Géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me est, * & confúsio faciéi meæ coopéruit me.

A voce exprobrántis & obloquéntis, * à fácie inimíci & persequéntis.

Ex eodem Psalmo 43.

HÆc ómnia venérunt super nos, nec obliti sumus te, * & iniquè non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retrò cor nostrum, * & declinásti sémitas nostras à via tua:

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis,* & coopéruit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad deum aliénum:

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis:

Exsúrge, quare obdórmis Dómine? * exsúrge, & ne repéllas in finem:

Quare fáciem tuam avértis, * oblivísceris inópiæ nostræ, & tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terra venter noster.

Exsúrge Dómine, ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Qui addúxit super vos mala, ipse vos erípiet de mánibus inimicórum vestrórum. *Baruch.* 4.

℣. Meditátus sum nocte cum corde meo, ℟. Annos ætérnos in mente hábui. *Ps.* 76

Pater noster, *&c.*

Benedictiones ut ante Psalterium.

Lectiones ut in Proprio cum suis ℟.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*, Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, ℟. Quia in te sperávi, Dómine. *Ps.* 142.

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Ant. 7. a. Sicut homo.

Psalmus 48.

AUdíte hæc omnes gentes,* aúribus percípite omnes qui habitátis orbem,

Quique terrígenæ, & filii hóminum, * simul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam, * & meditátio cordis mei prudéntiam;

Inclinábo in parábolam aurem meam, * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua, * & in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo? * non dabit Deo placatiónem suam,

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ: * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit sapiéntes moriéntes.

Simul insípiens & stultus períbunt, * & relínquent aliénis divítias suas.

Et sepúlcra eórum domus illórum in ætérnum, tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo cùm in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Ant. Sicut homo nudus egréssus est de útero matris suæ, sic revertétur, & nihil auferet secum de labóre suo. *Eccle.* 5.

Ant. 8. G. Non sit bonum.

Ex eodem Psalmo 48.

HÆc via illórum scándalum ipsis, * & póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt: * mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutíno, * & auxílium eórum veteráscet in inférno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Ne timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit, non sumet ómnia: * neque descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur, * confitébitur tibi, cùm benefécerìs ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum, * & usque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo cùm in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Ant. Non sit bonum ímpio, nec prolongéntur dies ejus; sed quasi umbra tránseant qui non timent fáciem Dómini. *Eccle.* 8.

Ant. 8. c. Remítte.

Canticum Ezechiæ. Is. 38.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi, * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminũ Deum in terra vivéntium, * non aspíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, * & convolúta est à me, quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut à texénte vita mea; dum adhuc ordírer, succídit me: * de manè usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad manè, quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea, * de manè usque ad vésperam fínies me.

Sicut pullus hirúndinis sic

clamábo, * meditábor ut colúmba.

Attenuáti sunt óculi mei suspiciéntes in excélsum : * Dómine vim pátior, respónde pro me.

Ant. Remítte mihi ut refrígerer priúsquàm ábeam, & ampliùs non ero. *Psal.* 38.

Ant. 1. g. Ego dixi.

Ex eodem Cantico Ezech. Is. 38.

QUid dicam, aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit? * recogitábo tibi omnes annos meos in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei, * corrípies me, & vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima; * tu autem eruísti ánimam meam ut non períret, projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te: * non exspectábunt, qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódiè: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine salvum me fac, * & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Ego dixi: Abjéctus sum à conspéctu oculórum tuórum; verúmtamen rursus vidébo templum sanctum tuum. *Jon.* 2.

Ant. 2. Miserére nostri.

Psalmus 142.

DOmine exaúdi oratiónem meam, aúribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua, * exaúdi me in tua justítia;

Et non intres in judícium cum servo tuo, * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam, * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi; * & anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * & in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me Dómine, * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me, * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem, * quia ad te

animam meam.
[..]e me de inimícis meis [..]ne, ad te confúgi: * dó[..] fácere voluntátem [..], quia Deus meus es tu.
[Sp]íritus tuus bonus dedú[..] in terram rectam: * [P]er nomen tuum Dómine [vivi]ficábis me in æquitáte tua; [edú]ces de tribulatióne áni[ma]m meam, & in misericór[dia] tua dispérdes inimícos [me]os,
Et perdes omnes qui tríbu[la]nt ánimam meam, * quó[ni]am ego servus tuus sum.

Ant. Miserére nostrî, quia peccávimus ante te: quia tu [se]des in sempitérnum, & nos [per]íbimus in ævum? *Baruch.* 3

Capitulum. *Joël.* 2. 17.

[I]Nter vestíbulum & altáre plorábunt sacerdótes miní[str]i Dómini; & dicent: Par[ce] Dómine, parce pópulo tuo.

Hymnus. *Prudent.*

NOx & tenébræ, & núbila,
Confúsa mundi, & túrbida;
[L]ux intrat, albéscit polus,
Christus venit;) discédite.
Calígo terræ scínditur,
[P]ercússa solis spículo,
[R]ebúsque jam color redit,
[V]ultu niténtis síderis.
Te, Christe, solum nóvimus:
Te mente purâ & símplici
Rogáre curváto genu
Flendo & canéndo díscimus.
Inténde nostris sénsibus,
Vitámque totam díspice;
Sunt multa fucis íllita,
Quæ luce purgéntur tuâ.
Duráre nos tales jube,
Quales remótis sórdibus
Nitére pridem júsferas,
Jordáne tinctos flúmine.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaúdi me, ℟. In veritáte salútis tuæ. *Ps.* 68.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *d.* * Benedícimus te, Dómine Deus Israël, fecísti enim nobíscum misericórdiam tuam. *Tob.* 8.

Preces quando dicendæ sunt, & Suffragia, habentur suprà in Laud. Mat. Fer. II. p. 42. & 43

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutórium.
Hymnus, Jam lucis, *p.* 14
Ant. 1. g. Lætétur.

Psalmus 5.

VErba mea aúribus pércipe Dómine; * intéllige clamórem meum.
Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.
Quóniam ad te orábo, Dómine, * manè exaúdies vocem meam.
Manè astábo tibi & vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem, * perdes omnes qui loquúntur mendáciũ.

Virum sánguinum & dolósum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam *, adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua, * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam:

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant, * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis, secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, * coronásti nos.

Psalmus 65.

JUbiláte Deo omnis terra, psalmum dícite nómini ejus: * date glóriam laudi

Dícite Deo: Quàm t bília sunt ópera tua, D ne! * in multitúdine vir tuæ mentiéntur tibi ini tui.

Omnis terra adóret te psallat tibi, * psalmum d nómini tuo.

Veníte & vidéte ópera D * terríbilis in consíliis su fílios hóminum,

Qui convértit mare in dam, in flúmine pertransíbi pede: * ibi lætábimur in i

Qui dominátur in vir sua in ætérnum, óculi e super gentes respíciunt: * q exásperant, non exalténtur semetípsis.

Benedícite gentes Deu nostrum, * & audítam fác vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam mea ad vitam, * & non dedit commotiónem pedes meos

Quóniam probásti n Deus; * igne nos examiná sicut examinátur argéntum

Induxísti nos in láqueum posuísti tribulatiónes in do so nostro, * imposuísti hómi nes super cápita nostra.

Transívimus per ignem aquam, * & eduxísti nos i refrigérium.

Ex eodem Psalmo 65.

INtroíbo in domum tuam holocaústis: * reddam ti vota mea,

Quæ distinxérunt lábia mea, & locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocaústa medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum, * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * & exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exaúdiet Dóminus.

Proptéreà exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit orationem meam & misericórdiam suam à me.

Ant. Lætétur ánima nostra in misericórdia ejus, & non confundémur in laude ipsíus. *Eccli.* 51.

Capitulum, &c. habes suprà ad Primam Fer. II. pag. 46.

AD TERTIAM.

Deus in adjutórium.

Hymn. Nunc sancte. *p.* 19.

Ant. 1. a. Dóminus.

Psalmus 50.

MIserére meî Deus, * secúndùm magnam misericórdiam tuam;

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me,

Quóniam iniquitátem meã ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci, * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti, * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor; * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam, * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Ex eodem Psalmo 50.

COr mundum crea in me Deus, * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua, * & Spíritum sanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui, * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocaústis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus; * cor contrítum & humiliátum Deus non despícies.

Benígnè fac Dómine in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifíciũ justítiæ, oblatiónes & holocaústa; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Psalmus 84.

BEnedixísti Dómine terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ, * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus tu convérsus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam, * & salutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur me Dóminus Deus, * q niam loquétur pacem in p bem suam,

Et super sanctos suos, *& eos qui convertúntur ad c

Verúmtamen propè tim tes eum salutáre ipsíus, * inhábitet glória in terra n stra.

Misericórdia & véritas o viavérunt sibi, * justítia & p ósculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, & justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit b nignitátem, * & terra nost dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambul bit, * & ponet in via gressu suos.

Ant. Dóminus Deus tuu ipse est Deus fortis & fide lis, custódiens pactum & mi sericórdiam diligéntibus se *Deut.* 7.

Capitulum, ℞. *breve,* & *Preces quando dicúntur, haben tur suprà ad Tertiam Fer.* II *pag.* 51.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutórium,

Hymn. Rector potens. *p.* 2

Ant. 8. G. Extolléntiam.

Psalmus 74.

COnfitébimur tibi Deus * confitébimur, & invocábimus nomen tuũ, narrábimus mirabília tua,

Cùm accépero tempus, *

...tias judicábo.

...efácta est terra,& om-
...i hábitant in ea; * ego
...mávi colúmnas ejus.
...i iníquis : Nolíte iní-
...ere; * & delinquénti-
Nolíte exaltáre cornu.
...líte extóllere in altum
... vestrum ,* nolíte loqui
...rsùs Deum iniquitátem;
...ia neque ab oriénte,ne-
...ab occidénte , * neque à
...rtis móntibus.
...uóniam Deus judex est ,
...nc humíliat,& hunc exál-
...
Quia calix in manu Dómi-
vini meri plenus mixto , *
...clinávit ex hoc in hoc.
Verúmtamen fæx ejus non
...exinaníta : *bibent omnes
...catóres terræ.
...go autem annuntiábo in
...lum, * cantábo Deo Ja-
...;
Et ómnia córnua peccató-
...confríngam , * & exalta-
...ur córnua justi.

Psalmus 78.

Deus venérunt Gentes in
hereditátem tuam ; pol-
...runt templum sanctum
...m, * posuérunt Jerúsalem
...omórum custódiam.
Posuérunt morticína ser-
...um tuórum escas volatíli-
...cæli , * carnes sanctórum
...um béstiis terræ.
...ffudérunt sánguinem eó-
...m tamquam aquam in cir-
cúitu Jerúsalem; * & non erat
qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium
vicínis nostris , * subsannátio
& illúsio his qui in circúitu
nostro sunt.

Usquequò Dómine irascé-
ris in finem : *accendétur ve-
lut ignis zelus tuus ?

Effúnde iram tuam in gen-
tes , quæ te non novérunt , *
& in regna quæ nomen tuum
non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob ,*
& locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum
nostrárum antiquárum; *citò
antícipent nos misericórdiæ
tuæ, quia paúperes facti su-
mus nimis.

Adjuva nos Deus salutáris
noster,& propter glóriam nó-
minis tui Dómine líbera nos,
* & propítius esto peccátis
nostris propter nomen tuum ,

Ne fortè dicant in Génti-
bus , * Ubi est Deus eórum ?

Et innotéscat in natiónibus
coram óculis nostris * últio
sánguinis servórum tuórum
qui effúsus est.

Introëat in conspéctu tuo *
gémitus compeditórum.

Secúndùm magnitúdinem
bráchii tui* pósside fílios mor-
tificatórum.

Et redde vicínis nostris sép-
tuplum in sinu eórum im-
propérium ipsórum , * quod
exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus,& oves páſcuæ tuæ, * confitébimur tibi in ſéculum.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Pſalmus 107.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum: *cantábo & pſallam in glória mea.

Exſúrge glória mea, exſúrge pſaltérium & cíthara; * exſúrgam dilúculo;

Confitebor tibi in pópulis Dómine, * & pſallam tibi in natiónibus,

Quia magna eſt ſuper cælos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cælos Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilécti tui,* ſalvum fac déxterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo: * exultábo, & dívidam Síchimam, & convállem tabernaculórum dimétiar:

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes, * & Ephraïm ſuſcéptio cápitis mei;

Juda Rex meus, * Moab lebes ſpeí meæ;

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam?* quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui rej[...] líſti nos,*& non exíbis D[...] in virtútibus noſtris.

Da nobis auxílium de t[...]bulatióne, * quia vana ſal[...] hóminis.

In Deo faciémus virtúter[...] * & ipſe ad níhilum dedúc[...] inimícos noſtros.

Ant. Extolléntiam oculó[...]rum ne déderis mihi, & áni[...]mæ irreverénti & infruníta[...] ne tradas me Dómine.*Eccli.*2[...]

Capitulum, ℟. *breve*, & *Preces quando dicuntur, habentur ſuprà ad Sextam Fer. II pag.* 53. & 54.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutórium &c.
Hymn. Rerum Deus. *p.* 24[...]
Ant. 1. f. Data eſt.

Pſalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me,*neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî Dómine, quóniam infirmus ſum;*ſana me Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valdè:* ſed tu Dómine úſquequò?

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam;* ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam:

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tui;* in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus, * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur, & erubéscant valdè velóciter.

Psalmus 35.

DIxit injústus, ut delínquat in semetípso, * non est timor Dei ante óculos ejus:

Quóniam dolósè egit in conspéctu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus: * nóluit intellígere, ut benè ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo, ádstitit omni viæ non bonæ: * malítiam autem non odívit.

Dómine in cælo misericórdia tua, * & véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei, * judícia tua abyssus multa.

Hómines & juménta salvábis Dómine, * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, * & torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ, * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * & justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ, * & manus peccatóris non moveat me.

Ibi cecidérunt, qui operántur iniquitátem; * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Psalmus 81.

DEus stetit in synagóga deórum: * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno & pupíllo; * húmilem & paúperem justificáte.

Erípite paúperem, * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii estis, * & fí-

lii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini, * & sicut unus de princípibus cadétis.

Surge Deus, júdica terram, * quóniam tu hereditábis in ómnibus géntibus.

Ant. Data est à Dómino potéstas vobis, & virtus ab Altíssimo; qui interrogábit ópera vestra, & cogitatiónes scrutábitur. *Sap. 6.*

Capitulum, ℟. breve, & Preces si dicendæ sint, habentur suprà ad Tertiam Fer. II. pag. 51

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutórium.

Ant. 8. c. Donum & pax.

Psalmus 126.

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere; * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris, cùm déderit diléctis suis somnum.

Ecce heréditas Dómini, filii; * merces fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis, * ita filii excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis, * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Ant. Donum & pax est eléctis Dómini; ímpii autem secúndùm quæ cogitavéru[nt] correptiónem habébunt. *Sa[p.]*

Ant. 8. G. Multa bon[a]

Psalmus 127.

Beáti omnes, qui tim[ent] Dóminum, * qui ámb[u]lant in viis ejus.

Labóres mánuum tuáru[m] quia manducábis,* beátus e[s] & bene tibi erit.

Uxor tua, sicut vitis abú[n]dans, * in latéribus dom[us] tuæ.

Filii tui, sicut novéllæ ol[i]várum, * in circúitu mens[æ] tuæ.

Ecce sic benedicétur hom[o] * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus e[x] Sion,* & vídeas bona Jerúsa[lem] ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas filios filióru[m] tuórum;* pacem super Israël.

Ant. Multa bona habébimus si timuérimus Deum, & re[]cessérimus ab omni peccáto & fecérimus bene. *Tob.* 4.

Ant. 8. c. Ne páveas.

Psalmus 128.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea,*dicat nunc Israël.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi:

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátem suã.

Dóminus justus * concídit cervíces

ttrices peccatórum.

Confundántur & convertántur retrórsum * omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod priúsquàm evellátur, exáruit :

De quo non implévit manum suam qui metit, * & sinũ suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui prætéribant, Benedíctio Dómini super vos, * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Ne páveas repentíno terróre irruéntes tibi poténtias impiórum; Dóminus enim erit in látere tuo. *Prov.* 3.

Ant. 8. d. Cùm angustiarétur.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine, * Dómine exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine, * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israël in Dómino,

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Cùm angustiarétur in me ánima mea, Dómini recordátus sum. *Jon.* 2.

Ant. 4. e. Orátio.

Psalmus 130.

DOmine non est exaltátum cor meum, * neque eláti sunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino * ex hoc nunc & usque in sæculum.

Ant. Orátio humiliántis se nubes penetrábit. *Eccli.* 35.

Capitulum. *Jac.* 4. 6.

DEus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Súbditi ergo estóte Deo: resístite autem diábolo, & fúgiet à vobis.

Hymnus.

CÆli Deus sanctíssime:
Qui lúcidum centrum poli
Candóre pingis ígneo,
Augens decóro lúmine.

Quarto die qui flámmeam
Solis rotam constítuens,
Lunæ minístras órdini

Vagos recúrsus síderum,
Ut nóctibus vel lúmini
Diremptiónis terminum,
Primórdiis & ménsium,
Signum daret notíssimum:
Illúmina cor hóminum,
Abstérge sordes méntium,
Resólve culpæ vínculum,
Evérte moles críminum.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar únice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

℣. Miserére Dómine, miserére nostrî, ℟. Quia peccávimus ante te. *Baruch.* 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Supérbum séquitur humílitas, & húmilem spíritu suscípiet glória. *Prov.* 29.

Suffragia si dicenda sint, habentur in Vesp. Fer. II. p. 58.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convérte nos, &c.
℣. Deus in adjutórium. &c.

Ant. 8. G. Ipse castigávit nos.

Psalmus. 101.

DOmine exaúdi oratiónem meam: * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacúmque die tribulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exaúdi me,

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, & áruit cor meum, * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis, * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Ex eodem Psalmo 101.

TOtâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant,

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ: * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt, & ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes, * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exsúrgens miseréberis Sion, * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine: * & omnes reges terræ glóriam tuam:

Quia ædificávit Dóminus

Sion, * & vidébitur in glória sua:

Respéxit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Ex eodem Psalmo 101.

SCribántur hæc in generatióne áltera; * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum:

Quia prospéxit de excélso sancto suo, * Dóminus de cælo in terram aspéxit,

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum,

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniéndo pópulos in unum & reges, * ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi;

Ne revoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu Dómine terram fundásti, * & ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt; * tu autem pérmanes;

Et omnes sicut vestiméntum veteráscent; * & sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur.

Tu autem idem ipse es, * & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt, * & semen eórum in séculum dirigétur.

Psalmus 12.

USquequo Dómine oblivísceris me in finem? * úsquequo avértis fáciem tuã à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, & exaúdi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in mortem; * nequándo dicat inimícus meus, Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt, si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo, * cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi, & psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras, & ipse salvábit nos propter misericórdiam suam. *Tob.* 13.

Hymnus, Capitulum, &c. cum Precibus quando dicendæ sunt, ut in Completorio Fer. II. pag. 60.

FERIA QUINTA

AD VIGILIAS.

℣. Dómine lábia.

Deus in adjutórium, *&c.*

Invitatorium, Dóminum qui dat escam omni carni, * Veníte adorémus. *Ps.* 135.

Psalmus 94. Veníte. *pag.* 1.

Hymnus.

NOx atra rerum contegit
Terræ colóres ómnium,
Nos confiténtes póscimus
Te, juste judex córdium.

Ut aúferas piácula,
Sordésque mentis ábluas,
Donésque Christe grátiam,
Ut arceántur crímina.

Mens ecce torpet ímpia,
Quam culpa mordet nóxia,
Obscúra gestit tóllere,
Et te, Redémptor, quærere.

Repélle tu calíginem
Intrínsecus quàm máximè,
Ut in beáto gaúdeat
Se collocári lúmine.

Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

Ant. 2. Recordátus est.

Psalmus 19.

EXaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis, * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrificii tui, * & holocaústum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndùm cor tuum, * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo & in nómine Dei nostri magnificábimur, * ímpleat Dóminus omnes petitiónes tuas.

Nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus christum suum, * exaúdiet illum de cælo sancto suo; in poténtátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt: * nos autem surréximus, & erécti sumus.

Dómine salvum fac regem; * & exaúdi nos in die quâ invocavérimus te.

Psalmus 79.

QUi regis Israël, inténde, * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre.

Coram Ephraïm, Bénjamin, & Manásse éxcita poténtiam tuam, * & veni, ut salvos fácias nos.

Deus convérte nos, & osténde fáciem tuam, * & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, quoúsque irascéris super orationem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum: * & potum dabis nobis in lácrymis in mensúra?

Posuísti nos in contradi-

ctiónem vicínis nostris, * & inimíci nostri subsannavérunt nos.

Ex eodem Psalmo 79.

DEus virtútum convérte nos, & osténde fáciem tuam, * & salvi érimus.

Víneam de Ægypto transtulísti: * ejecísti Gentes, & plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus; * plantásti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * & arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare, * & usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus;* & vindémiant eam omnes, qui prætergrediúntur viam?

Extermínávit eam aper de silva, * & singuláris ferus depástus est eam.

Deus virtútum convértere; * réspice de cælo, & vide, & visita víneam istam.

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua:* & super fílium hóminis, quem confirmásti tibi:

Incénsa igni, & suffóssa,* ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * & super filium hóminis quẽ confirmásti tibi.

Et non discédimus à te: * vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum convérte nos; & osténde fáciem tuam, * & salvi érimus.

Ant. Recordátus est Dóminus pópuli sui, ac misértus est hereditátis suæ. *Esth.* 10.

Ant. 1. g. Benedíctio.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit, * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me,* ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justitiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus*, ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua súbsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

Psalmus 42.

JUdica me Deus, & discérne causam meam de gente

non sancta, * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea:* quare me repulísti? & quare tristis incédo, dum affligit me inimícus?

Emítte lucem tuam & veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus meus: * quare tristis es ánima mea, & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Psalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, & assumpsísti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt, qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni & véspere delectábis.

Visitásti terram, & inebriásti eam; * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis; * parásti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti, * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto:* clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Benedíctio Dómini dívites facit, nec sociábitur eis affíctio. *Prov.* 10.

Ant. 8. G. Vénient.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum; * quando vé-

... & apparébo ante fáciem
...i?
Fuérunt mihi lácrymæ meæ
...es die ac nocte, * dum dí-
...ir mihi quotídie, Ubi est
...us tuus?
Hæc recordátus sum, &
...di in me ánimam meam,
quóniam transíbo in locum
tabernáculi admirábilis, usque
ad domum Dei,
In voce exultatiónis & con-
fessiónis * sonus epulántis:
Quare tristis es ánima mea,
* & quare contúrbas me?
Spera in Deo, quóniam ad-
huc confitébor illi; * salutáre
vultûs mei, & Deus meus.
Ad meípsum ánima mea
conturbáta est: * proptérea
memor ero tuî de terra Jordá-
nis, & Hermóniim à monte
módico.

Ex eodem Psálmo 41.

Abyssus abyssum ínvocat,
* in voce cataractárum
tuárum.
Omnia excélsa tua & flu-
ctus tui * super me transiérunt.
In die mandávit Dóminus
misericórdiam suam, * & no-
cte cánticum ejus.
Apud me orátio Deo vitæ
meæ; * dicam Deo, Suscép-
tor meus es;
Quare oblítus es meî, &
quare contristátus incédo, *
dum afflígit me inimícus?
Dum confringúntur ossa
mea, exprobravérunt mihi *
qui tríbulant me inimíci mei.
Dum dicunt mihi per sín-
gulos dies, * Ubi est Deus
tuus?
Quare tristis es ánima mea,
* & quare contúrbas me?
Spera in Deo, quóniam ad-
huc confitébor illi: * salutáre
vultûs mei, & Deus meus.

Psalmus 83.

QUàm diléčta tabernácu-
la tua, Dómine virtú-
tum! * concupíscit & déficit
ánima mea in átria Dómini.
Cor meum & caro mea *
exultavérunt in Deum vivum.
Etenim passer invénit sibi
domum, * & turtur nidum si-
bi ubi ponat pullos suos.
Altária tua Dómine virtú-
tum, * Rex meus & Deus meus.
Beáti qui hábitant in domo
tua Dómine! * in sécula secu-
lórum laudábunt te.
Beátus vir, cujus est auxí-
lium abs te! * ascensiónes in
corde suo dispósuit, in valle
lacrymárum, in loco quem
pósuit.
Etenim benedictiónem da-
bit legislátor, ibunt de virtú-
te in virtútem; * vidébitur
Deus deórum in Sion.
Dómine Deus virtútum
exaúdi oratiónem meam, *
áuribus pércipe Deus Jacob.
Protéctor noster áspice
Deus, * & réspice in fáciem
christi tui:
Quia mélior est dies una in

átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei,* magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórũ,

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus, * grátiam & glóriam dabit Dóminus;

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia:* Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te

Ant. Vénient, & laudábunt in monte Sion, & cónfluent ad bona Dómini. *Jerem.* 31.

℣. Justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei, ℞. Et delecténtur in lætítia. *Ps.* 67.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, ℞. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106.

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Ant. 1. g. Tu es Deus.

Psalmus 46.

OMnes gentes plaúdite mánibus :* jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * & gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam,* spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite; * psállite Regi nostro; psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes, * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham,* quóniam dii fortes terræ vehementer eleváti sunt.

Ant. Tu es Deus in cælo, & domináris cunctis regnis géntium: in manu tua est fortitúdo & poténtia, nec quisquam tibi potest resístere. 2. *Paral.* 20.

Ant. 6. F. Timébunt eum.

Canticum Annæ. 1. *Reg.* 2.

EXultávit cor meum in Dómino, * & exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos, * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus : neque enim est álius extra te;* & non est fortis, sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriántes, * recédant vétera de ore vestro,

Quia Deus scientiárum, Dóminus est, * & ipsi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est, * & infírmi accíncti sunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus se locavérunt; * & famélici saturáti sunt :

Donec stérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat filios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, & vivíficat; * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus paúperem facit, & ditat;* humíliat, & súblevat.

Súscitat de púlvere egénum * & de stércore élevat paúperem,

Ut sédeat cum princípibus,* & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ,* & pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticéscent; * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus; * & super ipsos in cælis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, & dabit impérium Regi suo, * & sublimábit cornu christi sui.

Ant. Timébunt eum viri, & non audébunt contemplári omnes qui sibi vidéntur esse sapiéntes. *Job.* 37.

Ant. 4. *e.* Flagélla Dómini.

Canticum. *Tob. c.* 13. 3.

Confitémini Dómino filii Israël, * & in conspéctu géntium laudáte eum:

Quóniam ídeo dispérsit vos inter gentes quæ ignórant eum,* ut vos enarrétis mirabília ejus;

Et faciátis scire eos, * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras, * & ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergo quæ fecit nobíscum, * & cum timóre & tremóre confitémini illi,

Regémque seculórum exaltáte * in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi: * quóniam osténdit majestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertímini itaque peccatóres,& fácite justítiam coram Deo, * credéntes quòd fáciat vobíscum misericórdiam suam.

Ego autem & ánima mea * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum omnes elécti ejus, * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

Jerúsalem cívitas Dei, * castigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum.

Confitére Dómino in bonis tuis, & bénedic Deum seculórum; * ut reædíficet in te tabernáculum suum;

Et révocet ad te omnes captívos, * & gaúdeas in ómnia sécula seculórum.

Ant. Flagélla Dómini, quibus quasi servi corrípimur ad emendatiónem, & non ad

perditiónem nostram evenísse credámus. *Judith.* 8.

Ant. 4. *e.* Addúcet Deus.

Canticum Zachariæ. Cap. 6.

SUmes aurum & argéntum * & fácies corónas, & pones in cápite Jesu filii Jósedec sacerdótis magni;

Et loquéris ad eum, dicens: * hæc ait Dóminus exercítuū, dicens: Ecce vir Oriens nomen ejus.

Et subter eum oriétur * & ædificábit templum Dómino.

Et ipse éxstruet templum Dómino: * & ipse portábit glóriam, & sedébit & dominábitur super sólio suo.

Et erit sacérdos super sólio suo: * & consílium pacis erit inter illos duos.

Et qui procul sunt, vénient, & ædificábunt in templo Dómini: * & sciétis quia Dóminus exercítuum misit me ad vos.

Ant. Addúcet Deus Israël cum jucunditáte in lúmine majestátis suæ, cum misericórdia & justítia quæ est ex ipso. *Baruch.* 5.

Ant. 6. F. Plúviæ benedictiónis.

Psalmus 66.

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis; * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri,

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur, & exúltent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte: * & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Plúviæ benedictiónis erunt, & dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum. *Ezech.* 34.

Capitulum. Ephes. 5. 8.

ERátis aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte: fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte, probántes quid sit beneplácitum Deo.

Hymnus. Prudent.

SOl ecce surgit ígneus,
Tandem facéssat cæcitas:
Quæ nosmet in præceps diu
Erróre traxit dévio.

Hæc lux serénum cónferat,
Purósque nos præstet sibi:
Nihil loquámur súbdolum,
Volvámus obscúrum nihil.

Sic tota decúrrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculíve peccent lúbrici,

Noxa corpus inquinet.
Speculátor adstat désuper,
Qui nos diébus ómnibus,
Actúsque nostros próspicit,
A luce prima in vésperum.
Hic testis, hic est árbiter,
Hic intuétur quidquid est,
Humána quod mens cóncipit;
Hunc nemo fallit júdicem.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne sǽculum.
Amen.

℣. Repleátur os meum laude, ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. c. Ecce ego declinábo super Jerúsalem quasi flúvium pacis; & quasi torréntem inundántem glóriam géntium. *Is.* 66.

Preces quando dicuntur & Suffragia, habentur suprà ad Laud. Mat. Fer. II. p. 42. *&* 43.

AD PRIMAM,

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Hymnus, Jam lucis. *p.* 14.

Ant. 1. g. Beátus es tu, Israël.

Psalmus 67.

EXsúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus, * & fúgiant, qui odérunt eum à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant :* sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei, * & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus; * iter fácite ei qui ascéndit super occásum.

Dóminus nomen illi ;* exultáte in conspéctu ejus.

Turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.* Deus in loco sancto suo;

Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo, * qui edúcit vinctos in fortitúdine, símiliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus cùm egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto,

Terra mota est, étenim cæli distillavérunt * à fácie Dei Sinaï, à fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis Deus hereditáti tuæ: * & infirmáta est, tu verò perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea; * parásti in dulcédine tua páuperi Deus.

Ex eodem Psalmo 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

Rex virtútum dilécti dilécti : * & speciéi domûs divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros; pennæ colúmbæ deargentátæ, * & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cæléstis reges super eam, * nive dealbabúntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis; *mons coagulátus, mons pinguis.

Ut quid suspicámini montes coagulátos ? * mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo; étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem, * accepísti dona in homínibus.

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie :* prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum, * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus, Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris,

Ut intingátur pes tuus in sánguine,* lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Ex eodem Psalmo 67.

VIdérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei, regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

In ecclésiis benedícite Deo, * Dómino, de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum: * príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Manda Deus virtúti tuæ; * confírma hoc Deus quod operátus es in nobis

A templo tuo in Jerúsalem: * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum,* ut exclúdant eos qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes quæ bella volunt; * vénient legáti ex Ægypto, Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantáte Deo, * psállite Dómino:

Psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli, * ad oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis,* date glóriam Deo: Super Israël magnificéntia ejus,* & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ: * benedíctus Deus.

Ant. Beátus es tu Israël;

quis similis tuî, pópule qui salváris in Dómino. *Deut.* 33

Capitulum, &c. habes suprà ad Primam Fer. II. pag. 46.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutórium &c.

Hymn. Nunc sancte. *p.* 19.

Ant. 1. f. Parásti.

Psalmus 77.

ATténdite pópule meus legem méam; * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum, * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus & cognóvimus ea, * & patres nostrí narravérunt nobis.

Non sunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob, & legem pósuit in Israël, * quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea filiis suis,

Ut cognóscat generátio áltera; * filii qui nascéntur, & exsúrgent, & narrábunt fíliis suis,

Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscántur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant.

Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava & exásperans.

Generátio quæ non diréxit cor suum, * & non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Filii Ephrem intendéntes & mitténtes arcum, * convérsi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et obliti sunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus, quæ osténdit eis:

Ex eodem Psalmo 77.

COram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos;

Interrúpit mare, & perdúxit eos, * & státuit aquas quasi in utre;

Et dedúxit eos in nube diéi, * & totâ nocte in illuminatióne ignis;

Interrúpit petram in erémo, * & adaquávit eos velut in abysso multa;

Et edúxit aquam de petra, * & dedúxit tamquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccare ei, * in iram excitavérunt Excélsum in inaquóso;

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis;

Et malè locúti sunt de Deo; * dixérunt, Numquid póterit Deus paráre mensam in desérto?

Quóniam percússit petram,

& fluxérunt aquæ, * & torréntes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ex eodem Psalmo 77.

IDeò audívit Dóminus, & dístulit;* & ignis accénsus est in Jacob, & ira ascéndit in Israël.

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper, * & jánuas cæli apéruit,

Et pluit illis manna ad manducándum, * & panem cæli dedit eis:

Panem Angelórum manducávit homo, * cibária misit eis in abundántia.

Tránstulit austrum de cælo,* & indúxit in virtúte sua áfricum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * & sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum,* circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & saturáti sunt nimis,&desidérium eórum áttulit eis; * non sunt fraudáti à desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum, * & eléctos Israël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc,* & non credi[...] runt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vani[...] dies eórum, * & anni eó[...] cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, qua[...] bant eum, & revertebánt[...] & dilúculo veniébant ad e[...]

Et rememoráti sunt, [...] Deus adjútor est eórum, [...] Deus excélsus redémptor [...] rum est.

Et dilexérunt eum in [...] suo, * & linguâ suâ men[...] sunt ei.

Cor autem eórum non [...] rectum cum eo, * nec fid[...] hábiti sunt in testaménto e[...]

Ant. Parásti in conspé[...] meo mensam advérsùs eos [...] tribulant me. *Ps.* 22.

Capitulum, ℟. *breve,* & [...] *ces quandò dicuntur, haben[...] suprà ad Tertiam Fer. II. p.*[...]

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutórium [...]

Hymn. Rector potens. *p.*[...]

Ant. 8. G. Fáciet Dómin[...]

Ex Psalmo 77.

IPse autem est misérico[...] propítius fiet peccátis [...] rum,*& non dispérdet e[...]

Et abundávit, ut avért[...] iram suam, * & non accén[...] omnem iram suam.

Et recordátus est, quia [...] ro sunt, * spíritus vadens, non rédiens.

Quóties exacerbavérunt e[...] in desérto,* in iram concit[...]

.. eum in inaquóso ;
.. convérsi sunt, & tenta-
..nt Deum, * & sanctum
.. exacerbavérunt.
..on sunt recordáti manûs
.. die quâ redémit eos de
.. tribulántis.
..cut pósuit in Ægypto si-
..sua, * & prodígia sua in
..po Táneos,
.. convértit in sánguinem
..mina eórum, * & imbres eó-
.., ne bíberent.
.. in eos cœnomyíam,
.. comédit eos ; * & ranam,
.. dispérdidit eos.
.. dedit ærúgini fructus
.., * & labóres eórum lo-
...
..t occídit in grándine ví-
.. eórum, * & moros eórum
..mina.
..t trádidit grándini jumén-
..eórum, * & possessiónem
..rum igni.

Ex eodem Psalmo 77.

M Isit in eos iram indigna-
tiónis suæ, indignatió-
.., & iram, & tribulatió-
.. ; * immissiónes per ánge-
..malos.
Viam fecit sémitæ iræ suæ,
..on pepércit à morte ani-
.. eórum, * & juménta
..rum in morte conclúsit ;
..t percússit omne primogé-
.. in terra Ægypti, * pri-
..ias omnis labóris eórum
.. tabernáculis Cham.
Et ábstulit sicut oves pópu-
lum suum, * & perdúxit eos
tamquam gregem in desérto.
Et dedúxit eos in spe, &
non timuérunt, * & inimícos
eórum opéruit mare.
Et indúxit eos in montem
sanctificatiónis suæ, * montem
quem acquisívit déxtera ejus.
Et ejécit à fácie eórum
gentes, * & sorte divísit eis
terram in funículo distribu-
tiónis ;
Et habitáre fecit in taberná-
culis eórum * tribus Israël.
Et tentavérunt, & exacer-
bavérunt Deum excélsum, *
& testimónia ejus non custo-
diérunt.
Et avertérunt se, & non
servavérunt pactum : * quem-
ádmodum patres eórum, con-
vérsi sunt in arcum pravum.
In iram concitavérunt eum
in cóllibus suis, * & in scul-
ptílibus suis ad æmulatiónem
eum provocavérunt.

Ex eodem Psalmo 77.

A Udívit Deus, & sprevit,
* & ad níhilum redégit
valde Israël.
Et répulit tabernáculum
Silo, * tabernáculum suum,
ubi habitávit in homínibus ;
Et trádidit in captivitátem
virtútē eórum * & pulcritúdi-
nem eórum in manus inimíci;
Et conclúsit in gládio pó-
pulum suum, * & hereditátem
suam sprevit.
Júvenes eórum comédit

ignis; * & virgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt; * & víduæ eórum non plorabántur.

Et excitátus est tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus à vino:

Et percússit inimícos suos in posterióra, * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph, * & tribum Ephraïm non elégit.

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum * in terra quam fundávit in sécula

Et elégit David servum suum, * & sústulit eum de grégibus óvium.

De post fœtántes accépit eum, * páscere Jacob servum suum, & Israël hereditátem suam.

Et pavit eos in innocéntia cordis sui, * & in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Ant. Fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte Sion convívium pínguium, convívium vindémiæ. *Is.* 25.

Capitulum, ℟. breve, & Preces quando dicuntur, habentur suprà ad Sextam Fer. II. p. 53 & 54.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutórium, &c.

Hymn. Rerum Deus. *p.* 24.

Ant. 1. f. Non derelínquet.

Psalmus 104.

Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus, * annuntiáte inter Gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei, * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus; * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit; * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus, * filii Jacob elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster; * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum testaménti sui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod dispósuit ad Abraham, * & juraménti sui ad Isaac:

Et státuit illud Jacob in præcéptum, * & Israël in testaméntum ætérnum.

Dicens, Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hereditátis vestræ;

Cùm essent número brevi paucíssimi, * & íncolæ ejus,

Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum,

Non reliquit hóminem nocére eis, * & corrípuit pro eis reges:

Nolíte tángere christos meos, * & in Prophétis meis nolíte malignári:

Et vocávit famem super terram, * & omne firmaméntum panis contrívit;

Ex eodem Psalmo 104.

Misit ante eos virum, * in servum venúmdatus est Joseph:

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, * ferrum pertránsiit ánimam ejus.

Donec veníret verbum ejus, * elóquium Dómini inflammávit eum.

Misit Rex, & solvit eum; * princeps populórum, & dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domûs suæ, * & príncipem omnis possessiónis suæ;

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum, * & senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægyptum, * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter, * & firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in servos ejus.

Misit Móysen servum suum, * Aáron quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, & obscurávit, * & non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem, & occídit pisces eórum; * édidit terra eórum ranas in penetrálibus regum ipsórum.

Ex eodem Psalmo 104.

Dixit; & venit cœnomyïa, * & cínifes in ómnibus fínibus eórum;

Pósuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburéntem in terra ipsórum;

Et percússit víneas eórum & ficúlneas eórum, * & contrívit lignum fínium eórum.

Dixit: & venit locústa, & bruchus, * cujus non erat númerus,

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro, * & non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum, * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit cotúrnix; * & pane cæli saturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ; * abiérunt in sicco flúmina:

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum:

Et edúxit pópulum suum in exultatióne, * & eléctos suos in lætítia;

Et dedit illis regiónes géntium, * & labóres populórum possedérunt;

Ut custódiant justificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

Ant. Non derelínquet Dóminus pópulum suum propter nomen suum magnum, quia jurávit Dóminus fácere vos sibi pópulum. 1. *Reg.* 12.

Capitulum, ℟. breve, & Preces quando dicendæ sunt, habentur suprà ad Nonam Fer. II. p. 55.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutórium,

Ant. 4. *e.* David.

Psalmus. 131.

MEménto Dómine David, * & omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernácul͠u domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei;

Si dédero somnum óculis meis, & pálpebris meis dormitatiónem, * & réquiem tempóribus meis,

Donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum D[eo] Jacob.

Ecce audívimus eam in [E]phráta, * invénimus eam [in] campis silvæ.

Introíbimus in tabernác[u]lum ejus, * adorábimus [in] loco ubi stetérunt pedes eju[s].

Surge Dómine in réquie[m] tuam, * tu & arca sanctifica[]tiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántu[r] justítiam, * & sancti tui exul[]tent.

Propter David servum tuu[m] * non avértas fáciem christ[i] tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábi[]tur eam; * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * & testimónia mea hæc, quæ docébo eos;

Et fílii eórum usque in séculum * sedébunt super sedem tuam,

Quóniam elégit Dóminus Sion, * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in séculum séculi, * hîc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam, * paúperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári, * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu Da-

...* parávi lucérnam Christo meo.
...imícos ejus índuam confusióne, * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.
...David in sua misericórdia consecútus est sedem ...in sécula. 1. Machab. 2
...1. a. Frater.
Psalmus 132.
Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum, * habitáre fratres in unum,
Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aáron; * quod descéndit in oram vestiménti ejus,
Sicut ros Hermon, * qui descéndit in montem Sion:
Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in séculum.
Ant. Frater qui adjuvátur a fratre, quasi cívitas firma; ...judícia quasi vectes úrbium. Prov. 18.
Ant. 3. a *. Confundántur.
Psalmus 134.
Laudáte nomen Dómini, * laudáte servi Dóminum,
Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.
Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus, * psállite nómini ejus, quóniam suáve;
Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi;
Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.
Omnia quæcúmque vóluit Dóminus fecit * in cælo & in terra, in mari & in ómnibus abyssis.
Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;
Qui prodúcit ventos de thesáuris suis, * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus;
Et misit signa & prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, & in omnes servos ejus;
Qui percússit gentes multas; * & occídit reges fortes
Sehon regem Amorrhæórum & Og regem Basan, * & ómnia regna Chánaan.
Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israël pópulo suo.
Dómine nomen tuum in ætérnum; * Dómine memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.
Quia judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servis suis deprecábitur.
Simulácra géntium, argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum.
Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non aúdient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant, qui fáciunt ea,* & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël benedícite Dómino,* Domus Aáron benedícite Dómino.

Domus Levi benedícite Dómino; * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Confundántur confusióne qui confídunt in scúlptili; qui dicunt conflátili, Vos dii nostri. *Is.* 42.

Ant. 3. g. Grátia Dei.

Psalmus 135.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum, * confitémini Dómino dominórum;

Qui facit mirabília magna solus, * qui fecit cælos in intelléctu, qui firmávit terram super aquas;

Qui fecit luminária magna, * solem in potestátem diei, lunam & stellas in potestátem noctis;

Qui percússit Ægyptum * cum primogénitis eórum;

Qui edúxit Israël de médio eórum * in manu poténti, & bráchio excélso;

Qui divísit mare rubrum in divisiónes, * & edúxit Israël per médium ejus;

Et excússit Pharaónem & virtútem ejus in mari rubro, * qui tradúxit pópulum suum per desértum;

Qui percússit reges magnos; * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, * & Og regem Basan;

Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israël servo suo:

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri, * & redémit nos ab inimícis nostris.

Qui dat escam omni carni, * confitémini Deo cæli.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Grátia Dei & misericórdia est in sanctos ejus, & respéctus in eléctos illíus. *Sap.* 4.

Ant. 8. c. Cécidit.

Psalmus 136.

Super flúmina Babylónis illic sédimus, * & flévimus, cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus * suspéndimus órgana nostra:

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

...modo cantábimus cán-
...ómini * in terra aliéna ?
...blítus fúero tuî Jerú-
...s * oblivióni detur déx-
...ea.
...ereat lingua mea faú-
...meis, * si non meminé-
...i.
...n proposúero Jerúsa-
...n princípio lætítiæ meæ.
...mor esto Dómine filió-
...dom * in die Jerúsalem.
...dicunt, Exinaníte, *
...níte usque ad fundamén-
...in ea.
...lia Babylónis mísera; *
...s qui retríbuet tibi retri-
...tiem tuam quam retri-
...nobis.
...átus qui tenébit * & allí-
...párvulos tuos ad petram.
... Cécidit, cécidit Bá-
...magna, & facta est ha-
...o dæmoniórum. *Apoc.* 18
...pitulum. 2. *Cor.* 7. 1.
...aríssimi, Mundémus nos
...ab omni inquinaménto
...nis & spíritûs, perficién-
...nctificatiónem in timóre
...

Hymnus.

MAgnæ Deus poténtiæ,
Qui ex aquis ortum ge-
nus
...im remíttis gúrgiti,
...im levas in áëra;
...emérsa lymphis ímpri-
mens,
...vécta cælis érigens,
...t stirpe ab unâ pródita,
Divérsa rápiant loca:
Largíre cunctis sérvulis,
Quos mundat unda sánguinis,
Nescíre lapsus críminum,
Nec ferre mortis tædium;
Ut culpa nullum déprimat,
Nullum levet jactántia,
Elísa mens ne cóncidat,
Eláta mens ne córruat.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

℣. Ad te clamávi totâ die,
℟. Ad te Dómine ánimam meam levávi. *Ps.* 85.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Magna poténtia Dei solíus, & ab humílibus honorátur. *Eccli.* 31.

Suffragia si dicenda sint, habentur pag. 58.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convérte nos, *&c.*
Deus in adjutórium. *&c.*
Ant 8. G. Respícite.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!
Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.
Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem;
Quóniam vidébo cælos tuos ópera digitórum tuórum,

* lunam & stellas quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minus ab Angelis; * glóriâ & honóre coronásti eum, & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas, ínsuper & pécora campi.

Vólucres cæli, * & pisces maris qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Psalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri nostro; * jubiláte Deo Jacob;

Súmite psalmum, & date tympanum, * psaltérium jucúndum cum cíthara;

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die solemnitátis vestræ:

Quia præcéptum in Israël est, * & judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus, * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, & liberávi te; * exaudívi te in abscóndito tempestatis, probávi te apud aquas contradictiónis.

Audi pópulus meus, & contestábor te: * Israël si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndùm desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me, * Israël si in viis meis ambulásset,

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem, * & super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei; * & erit tempus eórum in sécula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle saturávit eos.

Psalmus 85.

INclína Dómine aurem tuã, & exaúdi me, * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére meî Dómine, quó-

te clamávi totâ die; *
ánimam servi tui,
am ad te Dómine áni-
meam levávi:
niam tu Dómine suá-
itis, * & multæ mise-
æ ómnibus invocánti-
.
ribus pércipe Dómine
nem meam, * & intén-
ci deprecatiónis meæ.
die tribulatiónis meæ
vi ad te, * quia exaudí-
.
on est símilis tuî in diis
ine, * & non est secún-
ópera tua.
mnes Gentes quascúmque
í vénient, & adorábunt
nte Dómine; * & glo-
ábunt nomen tuum,
Quóniam magnus es tu, &
s mirabília, * tu es Deus
.
educ me Dómine in via
, & ingrédiar in veritáte
* lætétur cor meum ut tí-
nomen tuum.
Ex eodem Psalmo 85.
Onfitébor tibi Dómine
Deus meus in toto corde
, * & glorificábo nomen
n in ætérnum,
uia misericórdia tua ma-
est super me, * & eruísti
am meam ex inférno in-
i.
eus, iniqui insurrexérunt
er me, & synagóga potén-
n quæsiérunt ánimam me-
am, * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus miserátor & miséricors, * páriens, & multæ misericórdiæ, & verax,

Réspice in me, & miserére meî, * da impérium tuum púero tuo, & salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur: * quóniam tu Dómine adjuvísti me & consolátus es me.

Ant. Respícite fílii natiónes hóminum; & scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est. *Eccli.* 2.

Hymnus, Capitulum, &c. cum Precibus quando dicendæ sunt, ut in Completorio Fer. II. *pag.* 61.

FERIA SEXTA.

AD VIGILIAS.

℣. Dómine lábia &c. *p.* 1.
Deus in adjutórium, &c.
Invitatorium, Dóminum: qui formávit & redémit Israël * Veníte adorémus. *Is.* 43.
Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

Hymnus.

TU Trinitátis únitas,
Orbem poténter quæ regis,
Atténde laudum cántica,
Quæ excubántes psállimus.
Jam léctulo consúrgimus
Noctis quiéto témpore,
Ut flagitémus vúlnerum
A te medélam ómnium;

Quò fraude quidquid dæmonum.
In nóctibus delíquimus,
Abstérgat illud cælitus
Tuæ potéstas glóriæ.
Ne corpus adsit sórdidum,
Nec torpor instet córdium,
Nec críminis contágio
Tepéscat ardor spíritûs.
Ob hoc, Redémptor, quæsumus,
Reple tuo nos lúmine;
Per quod diérum círculis,
Nullis ruámus áctibus.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu,
Regnans per omne séculum.
Amen.

Ant. 8. c. Dóminus mecum est.

Psalmus 17.

DIligam te Dómine fortitúdo mea: *Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus,* & sperábo in eum.

Protéctor meus,& cornu salútis meæ, *&suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum: * & ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocavi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam :*& clamor meus in conspéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta est, & contremuit terra, fundaménta móntium conturbáta sunt,& commóta sunt, * quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exársit, * carbónes súccensi sunt ab eo.

Inclinávit cælos, & descéndit: * & calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, & volávit: * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum, in circúitu ejus tabernáculum ejus: * tenebrósa aqua in núbibus áëris.

Ex eodem Psalmo 17.

PRæ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando, & carbónes ignis.

Et intónuit de cælo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam: * grando, & carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, & dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta sunt fundaménta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua, Dómine,

mine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Misit de summo, & accépit me, * & assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, & ab his qui odérunt me, * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ, * & factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem; * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam, * & secúndùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi à Deo meo;

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo; * & justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam, * & secúndùm puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Ex eodem Psalmo 17.

CUm sancto sanctus eris, * & cum viro innocénte ínnocens eris.

Et cum elécto eléctus eris, * & cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * & óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam Dómine: * Deus meus illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * & in Deo meo transgrédiar murum.

Deus meus, impollúta via ejus, elóquia Dómini igne examináta: * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Ant. Dóminus mecum est quasi bellátor fortis: idcírco qui persequúntur me cadent, & infirmi erunt: confundéntur veheménter, quia non intellexérunt oppróbrium sempitérnum quod nunquam delébitur. *Jerem.* 20.

Ant. 1. g. Exaudíta est.

Ex eodem Psalmo 17.

DEus qui præcínxit me virtúte, * & pósuit immaculátam viam meam;

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * & super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prælium, * & posuísti ut arcum æreum bráchia mea.

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, * & déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua corréxit me in finem, * & disciplína

tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me, * & non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, & comprehéndam illos, * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare; * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum, * & supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * & odiéntes me dispérdidísti.

Clamavérunt (nec erat qui salvos fáceret) * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem venti, * ut lutum plateárum delébo eos.

Ex eodem Psalmo 17.

ERípies me de contradictiónibus pópuli, * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi, * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi, * filii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus salútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine, * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes Regis ejus, * & fáciens misericórdiam christo suo David, & sémini ejus usque in séculum.

Psalmus 56.

MIserére meî Deus, miserére meî, * quóniam in te confídit ánima mea;

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, & liberávit me; * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam, * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum; dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma, & sagíttæ, * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cælos Deus, * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis, * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam, * & incidérunt

am.
rátum cor meum, Deus,
um cor meum, * cantá-
psalmum dicam Dómino.
súrge glória mea, exsúr-
altérium, & cíthara: *
gam dilúculo.
onfitébor tibi in pópulis,
nine; * & psalmum dicam
in géntibus.
Quóniam magnificáta est
que ad cælos misericórdia
, * & usque ad nubes véri-
ma.
Exaltáre super cælos Deus,
super omnem terram gló-
ua.
Ant. Exaudíta est orátio
a, & liberásti me de per-
óne, & eripuísti me de
pore iníquo. *Eccli.* 51.
Ant. 6. F. Da glóriam.
Psalmus 34.

JUdica Dómine nocéntes
me, * expúgna impugnán-
tes me.
Apprehénde arma, & scu-
, * & exsúrge in adjutó-
m mihi.
Effúnde frámeam, & con-
de advérsùs eos, qui per-
quúntur me; * dic ánimæ
æ, Salus tua ego sum.
Confundántur & revereán-
r * quærentes ánimam meam.
Avertántur retrórsum &
fundántur, * cogitántes
hi mala.
Fiant tamquam pulvis ante
ciem venti, * & Angelus
Dómini coárctans eos.
Fiat via illórum ténebræ, & lúbricum, * & Angelus Dómini pérsequens eos:
Quóniam gratìs abscondérunt mihi intéritum láquei sui, * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.
Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio, quam abscóndit, apprehéndat eum, * & in láqueum cadat in ipsum.
Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur super salutári suo.
Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?
Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum, & paúperem à diripiéntibus eum.

Ex eodem Psalmo 34.

SUrgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me.
Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.
Ego autem, cùm mihi moléſti essent, * induébar cilício,
Humiliábam in jejúnio ánimam meam, * & orátio mea in sinu meo convertétur;
Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam; * quasi lugens, & contristátus sic humiliábar.
Et advérsùm me lætáti sunt, & convenérunt; * congregáta sunt super me flagélla, &

ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti, tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne, * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine quando respícies? * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna, *in pópulo gravi laudábo te.

Ex eodem Psalmo 34.

NOn supergaúdeant mihi qui adversántur mihi iníquè;* qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur;*& in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum; * dixérunt, Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti Dómine, ne síleas; * Dómine, ne discédas à me.

Exsúrge, & inténde judício meo * Deus meus, & Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secúndùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; *& non supergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus suis, Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant, Devorávimus eum.

Erubéscant & revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne & reveréntiâ,* qui magna loquúntur super me.

Exúltent & læténtur qui volunt justítiam meam: * & dicant semper, Magnificétur Dóminus; qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam,* totâ die laudem tuam.

Ant. Da glóriam nómini tuo Dómine; & confundántur omnes qui osténdunt servis tuis mala. *Dan. 3.*

℣. Eripe me Dómine ab hómine malo, ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps. 139.*

Pater noster, *&c.*

Benedictiones ut ante Psalterium.

Lectiones cum suis ℟. ut in Proprio.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Exsúrge Deus, júdica causam tuam, ℟. Memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt totâ die. *Ps. 77.*

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Ant. 1. g. Deus protéctor est.

Psalmus 58.

ERipe me de inimícis meis, Deus meus,*& ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem,* & de viris sán-

guinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam, * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine, * sine iniquitáte cucúrri, & diréxi.

Exsúrge in occúrsum meum, & vide; * & tu Dómine Deus virtútum, Deus Israël,

Inténde ad visitándas omnes gentes, * non misereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam, *& famem patiéntur ut canes, & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, & gládius in lábiis eórum, * quóniam quis audívit?

Et tu Dómine deridébis eos; * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos: * ne occídas eos, nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua, * & depóne eos, protéctor meus Dómine.

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum; * & comprehendántur in supérbia sua, & de execratióne & mendácio annuntiabúntur.

In consummatióne, in ira consummatiónis, & non erunt: * & scient quia Deus dominábitur Jacob, & fínium terræ.

Converténtur ad vésperam, *& famem patiéntur ut canes, & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum; * si verò non fúerint saturáti, & murmurábunt:

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, *& exultábo manè misericórdiam tuam,

Quía factus es suscéptor meus & refúgium meum * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es; * Deus meus, misericórdia mea.

Ant. Deus protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. *Eccli.* 2.

Ant. 8.G. Quasi tuméntes.

Psalmus 87.

Domine Deus salútis meæ: * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea,* inclína aurem tuam ad precem meam.

Quia repléta est malis ánima mea,* & vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum,* factus sum sicut homo sine adjutório.

Inter mórtuos liber, sicut vulneráti dormiéntes in sepúl-

cris, quorum non es memor ámpliùs ;* & ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri,* in tenebrósis,& in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus,* & omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longè fecísti notos meos à me, * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar ;*óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad teDómine totâ die, * expándi ad te manus meas.

Ant. Quasi tuméntes super me fluctus tímui Deum, & pondus ejus ferre non pótui. *Job.* 21.

Ant. 4. *e.* Fratres meos.

Ex eodem Psalmo 87.

NUmquid mórtuis fácies mirabília ? * aut médici suscitábunt, & confitebúntur tibi ?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne ?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * & & justítia tua in terra obliviónis ?

Et ego ad te, Dómine, clamávi ; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid Dómine repéllis orátiónem meam ? * avértis fáciem tuam à me ?

Pauper sum ego,& in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ;* & terróres tui conturbavérunt me :

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die, * circumdedérunt me simul.

Elongásti à me amícum, & próximum, * & notos meos à miséria.

Ant. Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi aliéni recessérunt à me. *Job.* 19.

Ant. 4. *e.* In moménto indignatiónis.

Canticum Jonæ. Cap. 2.

CLamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, & exaudívit me ; * de ventre ínferi clamávi, & exaudísti vocem meam.

Et projecísti me in profúndum in corde maris,& flumen circúmdedit me:* omnes gúrgites tui & fluctus tui super me transiérunt.

Et ego dixi : Abjéctus sum à conspéctu oculórum tuórum :*verúmtamen rursùs vidébo templum sanctum tuum.

Circumdedérunt me aquæ usque ad ánimam ;* abyssus vallávit me, pélagus opéruit caput meum.

Ad extréma móntium descendi; terræ vectes conclusérunt me in ætérnum ;* & sublevábis de corruptióne vitam meam, Dómine Deus meus.

Cúm angustiarétur in me ánima mea, Dómini recordátus sum; * ut véniat ad te orátio mea ad templum sanctum tuum.

Qui custódiunt vanitátes frustrà: * misericórdiam suam derelínquunt.

Ego autem in voce laudis immolábo tibi : *quæcúmque vovi, reddam pro salúte Dómino.

Ant. In moménto indignatiónis abscóndi fáciem meam parúmper à te, & in misericórdia sempitérna misértus sum tuî. *Isaï.* 54.

Ant. 6. F. Recordátus es.

Canticum Habacuc 3.

Domine audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine opus tuum, * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : * cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab austro véniet, * & sanctus de monte Pharan.

Opéruit cælos glória ejus, * & laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit, * cornua in mánibus ejus :* ibi abscóndita est fortitúdo ejus.

Ante fáciem ejus ibit mors; * & egrediétur diábolus ante pedes ejus.

Stetit, & mensus est terram; * aspéxit, & dissólvit gentes ; & contríti sunt montes séculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ ;* turbabúntur pelles terræ Madian.

Numquid in flumínibus irátus es Dómine ;* aut in flumínibus furor tuus, vel in mari indignátio tua ?

Qui ascéndes super equos tuos ; * & quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum, * juraménta tríbubus, quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ, vidérunt te, & doluérunt montes; * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam, * altitúdo manus suas levávit.

Sol & luna stetérunt in habitáculo suo ,*in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram, * & in furóre tuo obstupefácies gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii, * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * ve-

niéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat paúperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus est venter meus, * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scáteat;

Ut requiéscam in die tribulatiónis, * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit: * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ: * & arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus: * & non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea; * & ponet pedes meos quasi cervórum,

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Ant. Recordátus es meî Deus, & non dereliquísti diligéntes te. *Dan.* 14.

Capitulum. *Rom.* 13.

NOx præcéssit, dies autem appropinquávit; abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis: sicut in die honéstè ambulémus.

Hymnus.

ÆTérna cæli glória,
Beáta spes mortálium,
Celsi Tonántis Unice,
Castæque proles Vírginis,
Da déxteram surgéntibus,
Exsúrgat ut mens sóbria,
Flagrans & in laudem Dei
Grates repéndat débitas.
Ortus refúlget lúcifer,
Sparsámque lucem núntiat,
Cadit calígo nóctium;
Lux sancta nos illúminet.
Manénsque nostris sénsibus,
Noctem repéllat séculi,
Omníque fine témporum
Purgáta servet péctora.
Quæsíta jam primùm fides
Radícet altis sénsibus;
Secúnda spes congaúdeat,
Quâ major exstat cáritas.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

℣. Benedíctus Dóminus qui te diréxit in vúlnera cápitis ℟. Príncipis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. a. Benedíctus Dóminus, qui fecit nobíscum secúndùm misericórdiam suam. *Eccli.* 50.

Preces quando dicendæ sunt, & Suffragia habentur p. 42 & 43

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutórium &c.

Hymn. Jam lucis, *p.* 14.

Ant. 1. a. Scitóte.

Psalmus. 68.

SAlvum me fac Deus, * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profúndi, * & non est substántia,

Veni in altitúdinem maris, * & tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ; * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratìs.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injústè: * quæ non rápui, tunc exsolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam, * & delícta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui exspéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me, * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium, * opéruit confúsio fáciem meam.

Ex eodem Psalmo 68.

EXtráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ:

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me;

Et opérui in jejúnio ánimam meam, * & factum est in oppróbrium mihi;

Et pósui vestiméntum meum cilícium, * & factus sum illis in parábolam,

Advérsùm me loquebántur qui sedébant in porta, * & in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine, * tempus beneplácitì Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaúdi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar, * líbera me ab his qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, neque absórbeat me profúndum, * neque úrgeat super me púteus os suũ.

Ex eodem Psalmo 68.

EXaúdi me Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua, * secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaúdi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meũ, & confusiónem meam, * &

reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me ;* impropérium exspectávit cor meum, & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & non fuit,* & qui consolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel,* & in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum,* & in retributiónes, & in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant,* & dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuã,* & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta,* & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt ;* & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum,* & non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium,* & cum justis non scribántur.

Ant. Scitóte & cognóscite quòd si occidéritis me, sánguinem innocéntem tradétis contra vosmetípsos. *Jer.* 26.

Capitulum, &c. cum Precibus, p. 46.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutórium &c.
Hymn. Nunc sancte, *p.* 19.
Ant. 1. f. Hæc dicit.

Ex Psalmo 68.

EGo sum pauper & dolens :* salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico,* & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novéllum,* córnua producéntem & úngulas.

Vídeant paúperes, & læténtur :* quærite Deum, & vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus,* & vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cæli & terra,* mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion,* & ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi,* & hereditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidebit eam ;* & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Psalmus 93.

DEus ultiónum Dóminus,* Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre qui júdicas terram,* redde retributiónem supérbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * usquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur, & loquéntur iniquitátem, * loquéntur omnes qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum Dómine humiliavérunt, * & hereditátem tuam vexavérunt.

Viduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo, * & stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet; * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Ex eodem Psalmo 93.

BEátus homo, quem tu erudíeris Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam, * & hereditátem suam non derelínquet

Quoadúsque justítia convertátur in judícium, * & qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsùs malignántes? * aut quis stabit mecum advérsùs operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me, * paulò minùs habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam, Motus est pes meus; * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi, * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum, & in malítia eórum dispérdet eos, * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Hæc dicit Dóminus: Judicáte manè judícium, & erúite vi oppréssum de manu calumniántis, ne fortè egrediátur ut ignis indignátio mea. *Jerem.* 21.

Capitulum, ℟. breve, & Preces quando dicuntur, habentur *suprà Fer. II. ad Tertiam p. 53*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Hymn. Rector potens. *p.* 22.

Ant. 1. a. Factus est.

Psalmus 21.

DEus Deus meus, réspice in me, quare me dereliquísti? * longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, & non exaúdies; * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri; * speravérunt, & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt; * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me; * locúti sunt lábiis, & movérunt caput:

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre, * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projéctus sum ex útero, * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Ne discésseris à me, * quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádjuvet.

Ex eodem Psalmo 21.

CIrcumdedérunt me vítuli multi, * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens, * in médio ventris mei,

Arúit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faúcibus meis, * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi, * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas, & pedes meos, * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt, & inspexérunt me; * divisérunt sibi vestiménta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuum à me, * ad defensiónem meam cónspice;

Erüe à frámea Deus ánimam meam, * & de manu canis únicam meam;

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis, * in médio ecclésiæ laudábo te.

Ex eodem Psalmo 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum, * univér-

sum semen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël, * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem paúperis.

Nec avértit fáciem suam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna, * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent paúperes & saturabúntur, & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum, * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ;

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ géntium,

Quóniam Dómini est regnum, * & ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ, * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet, * & semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra, * & annuntiábunt cæli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Factus est Dóminus velut inimícus, præcipitávit Israël, præcipitávit ómnia mœnia ejus: dissipávit munitiónes ejus, replévit in fília Juda humiliátum & humiliátam. *Thren.* 2.

Capitulum, ℟ *breve*, *&c. habentur pag.* 53. *&* 54.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutórium *&c.*

Hymn. Rerum Deus. *p.* 24.

Ant. 1. f. Dómine recordáre meî.

Psalmus 108.

DEus laudem meam ne tacúeris :*quia os peccatóris, & os dolósi super me apértum est:

Locúti sunt advérsùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me, * & expugnavérunt me gratìs.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi, * ego autem orábam;

Et posuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Cónstitue super eum peccatórem, * & diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus, * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci, * & episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua;

Nutántes transferántur fílii ejus, & mendícent, * & ejiciántur de habitatiónibus suis;

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus, * & dirípiant aliéni labóres ejus;

Non sit illi adjútor, * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum, * in generatióne una deleátur nomen ejus.

Ex eodem Psalmo 108.

IN memóriam rédeat iníquitas patrum ejus, in conspéctu Dómini, * & peccátum matris ejus non deleátur;

Fiant contra Dóminum semper, * & dispéreat de terra memória eórum:

Pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam, * & persecútus est hóminem ínopem & mendícum, & compúnctum corde mortificáre;

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum, * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in óssibus ejus;

Fiat ei sicut vestiméntum quo operítur; * & sicut zona, quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquúntur mala advérsùs ánimam meam.

Et tu Dómine, Dómine fac mecum propter nomen tuum; * quia suávis est misericórdia tua, líbera me;

Quia egénus & pauper ego sum, * & cor meum conturbátum est intra me.

Ex eodem Psalmo 108.

SIcut umbra cùm declínat, ablátus sum, * & excússus sum sicut locústæ.

Génua mea infirmáta sunt à jejúnio, * & caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis; * vidérunt me, & movérunt cápita sua.

Adjuva me Dómine Deus meus, * salvum me fac propter misericórdiam tuam;

Et sciant quia manus tua hæc; * & tu Dómine fecísti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insúrgunt in me, confundántur; servus autem tuus lætábitur.

Induántur qui détrahunt mihi, pudóre: * & operiántur sicut diplöide confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum,

Quia ádstitit à dextris paúperis, * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meã.

Ant. Dómine recordáre meî, & vísita me; & tuére me ab his qui persequúntur me. *Jerem.* 15.

Capitulum, ℟ breve, & Preces, quando dicendæ sunt, habentur suprà Fer. II. ad Nonam *p. 55.*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutórium *&c.*

Ant. 5. a. Humiliábit.

Psalmus 137.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi, * adorábo ad templum sanctum tuum.

Et confitébor nómini tuo super misericórdia tua & veritáte tua, * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit, * & alta à longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & súper iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me, * Dómine misericórdia tua in séculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Humiliábit omnes gentes quæcúmque insúrgunt contra nos, & fáciet illas sine honóre Dóminus Deus noster. *Judith.* 8.

Ant. 3. g. Ego Dóminus.

Psalmus 138.

DOmine probásti me, & cognovísti me; * tu cognovísti sessiónem meam, & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe, * sémitam meam, & funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia novíssima & antíqua, * tu formásti me, & posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es, * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris.

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi, Fórsitan ténebræ

conculcábunt me, * & nox illuminátio mea in delíciis meis:

Quia ténebræ non obscurabúntur à te, & nox sicut dies illuminábitur;* sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus;

Quia tu possedísti renes meos,* suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occúlto, * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui:* & in libro tuo omnes scribéntur; dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus; * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur: * exsurréxi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres; * viri sánguinum declináte à me,

Quia dícitis in cogitatióne, * Accípient in vanitáte civitátes suas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam,* & super inimicos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos, * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, & sci cor meum;* intérroga me, & cognósce sémitas meas.

Et vide si via iniquitátis in me est, * & deduc me in via ætérna.

Ant. Ego Dóminus scrutans cor, & probans renes, qui do unicuíque juxta viam suam. *Jerem.* 17.

Ant. 2. Qui recti sunt.

Psalmus 139.

ERipe me Dómine ab hómine malo, * à viro iníquo éripe me;

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die constituébant prælia;

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis,* venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me Dómine de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me,

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos, * abscondérunt supérbi láqueum mihi,

Et funes extendérunt in láqueum, * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino, Deus meus es tu, * exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine virtus salútis meæ,* obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me Dómine à desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me: ne de-

relinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum, * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos, * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra,* virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis,* & vindíctam paúperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo,* & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Qui recti sunt habitábunt in terra,& símplices permanébunt in ea; ímpii verò de terra perdéntur. *Prov.* 2.

Ant. 8. c. Qui státuit lápidem.

Psalmus 140.

DOmine clamávi ad te, exaúdi me;* inténde voci meæ cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea, sicut incénsum in conspéctu tuo;* elevátio mánuum meárum,sacrifícium vespertínum.

Pone Dómine custódiam ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem,* & non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, & increpábit me, *óleum autem peccatóris non impínguet caput meum;

Quóniam adhuc & orátio mea * in beneplácitis eórum;

Absórpti sunt juncti petræ júdices eórum, * aúdient verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram,* dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum,

Quia ad te Dómine Dómine óculi mei; * in te sperávi, non aúferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo,quem statuérunt mihi, * & à scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres:* singuláriter sum ego, donec tránseam.

Ant. Qui státuit lápidem próximo, offéndet in eo; & qui láqueum álii ponit, períbit in illo. *Eccli.* 27.

Ant. 8. c. Peccatóres.

Psalmus 141.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum: * & tu cognovísti sémitas meas.

In via hac qua ambulábam, * abscondérunt supérbi lá-

queum mihi.

Considerábam ad déxteram, & vidébam, * & non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me, * & non est qui requírat ánimam meã.

Clamávi ad te Dómine, * dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me,* quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo: * me exspéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Peccatóres perséquitur malum,& justis retribuéntur bona. *Prov.* 13.

Capitulum. 1. *Thess.* 5.

OMnes vos filii lucis estis & filii diéi; non sumus noctis neque tenebrárum: igitur non dormiámus sicut & céteri; sed vigilémus, & sóbrii simus.

Hymnus.

PLasmátor hóminis Deus,
Qui cuncta solus órdinans
Humum jubes prodúcere
Reptántis & feræ genus;
Qui magna rerum córpora,
Dictu jubéntis vívida;
Ut sérviant per órdinem,
Subdens dedísti hómini;
Repélle à servis tuis
Quidquid per immundítiam
Aut móribus se súggerit,
Aut áctibus se intérserit:
Da gaudiórum præmia,
Da gratiárum múnera,
Dissólve litis víncula,
Adstringe pacis fœdera.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

℣. Clamávi ad te totâ die,
℟. Expándi ad te manus meas. *Ps.* 87.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *D.* Erit lux lunæ, sicut lux solis, in die quâ alligáverit Dóminus vulnus pópuli sui, & percussúram plagæ ejus sanáverit. *Is.* 30.

Suffragia quando dicenda sunt habentur pag. 58.

AD COMPLETORIUM,

℣. Convérte nos.

Deus in adjutórium, &c.

Ant. 8. G. Non supérbi.

Psalmus 9.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te, * psallam nómini tuo, Altíssime.

In converténdo inimícum meum retrórsum, * infirmabúntur, & peribunt à fácie tua;

Quóniam fecísti judícium meum, & causam meam; *

sedísti super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpásti Gentes, & périit ímpius; * nomen eórum delésti im ætérnum, & in séculum séculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem;* & civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu; * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum; * & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium paúperi, * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum, * quóniam non dereliquísti quærentes te, Dómine.

Ex eodem Psalmo 9.

PSállite Dómino qui hábitat in Sion, * annuntiáte inter Gentes stúdia ejus;

Quóniam requírens sánguinem eórum, recordátus est, * non est oblítus clamórem paúperum.

Miserére meî Dómine, * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annûntiem omnes laudatiónes tuas in portis filiæ Sion.

Exultábo in salutári tuo: * infixæ sunt Gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens; * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes Gentes quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis,* patiéntia paúperum non períbit in finem.

Exsúrge Dómine, non confortétur homo, * judicéntur Gentes in conspéctu tuo.

Constítue Dómine legislatórem super eos, * ut sciant Gentes, quóniam hómines sunt.

Ex eodem Psalmo 9.

UT quid Dómine recessísti longè? * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper; * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ,* & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secúndùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus, * inquinátæ sunt viæ il-

lius in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus; * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine, & dolo, * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus, in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in paúperem respíciunt, * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat paúperem, * rápere paúperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum; * inclinábit se, & cadet, cùm dominátus fúerit paúperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus; * avértit fáciem suam ne vídeat in finē.

Ex eodem Psalmo 9.

EXsúrge Dómine Deus, & exaltétur manus tua; * ne obliviscáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides quóniam tu labórem, & dolórem consíderas: * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quæré[tur] peccátum illíus, & non inv[e]niétur.

Dóminus regnábit in æté[r]num, & in séculum séculi [:] períbitis gentes de terra illí[us.]

Desidérium paúperum exa[u]dívit Dóminus: * præparatió[nem] nem cordis eórum audívit au[ris] ris tua.

Judicáre pupíllo & húmili[,] * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Ant. Non supérbi ab inítio placuérunt tibi; sed humílium & mansuetórum semper tibi plácuit deprecátio. *Judith. 9.*

In qualibet Feriâ VI. cum fit in Vesperis Officium vel Commemoratio de Beata V. M. tunc dicitur in Completorio Hymnus, Virgo Dei génitrix, *ut in Officio parvo B. V. M. nisi hac die fuerit Festum habens ad Completorium proprias Antiphonas.*

SABBATO,

AD VIGILIAS.

℣. Dómine lábia mea &c.

℣. Deus in adjutórium &c.

Invitatorium, Dóminum qui in caritáte perpétua diléxit nos, * Veníte adorémus. *Jerem. 31.*

Psalmus 94. Veníte, *p. 1.*

Hymnus.

SUmmæ Deus cleméntiæ,
Mundíque factor máchinæ,
Unus potentiáliter,

Triúsque personáliter,
Nostros pius cum cánticis
Fletus benígnè súscipe:
Quò corde puro sórdibus,
Te perfruámur lárgiùs.
Lumbos jecúrque mórbidũ
Adúre igne cóngruo,
Accíncti ut sint pérpetim,
Luxu remóto péssimo.
Ut quique horas nóctium
Nunc concinéndo rúmpimus,
Donis beátæ pátriæ
Ditémur omnes áffatim.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Sancto simul cum Spíritu,
Regnans per omne séculum.
Amen.

Ant. 4. *e.* Qui timétis Dóminum.

Psalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & salus mea: * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ: * à quo trepidábo?

Dum appropiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt.

Si consístant advérsùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Uuam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini, ómnibus diébus vitæ meæ,

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus:

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis; * cantábo, & psalmum dicam Dómino.

Exaúdi Dómine vocem meam quâ clamávi ad te; * miserére meî, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea; * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me;* ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelínquas me; * neque despícias me Deus salutáris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua, * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me, * quóniam insurrexérunt in me testes iniqui, & mentíta est

iniquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age,* & confortétur cor tuum; & sústine Dóminum.

Psalmus 39.

EXspéctans exspectávi Dóminum,* & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas, * & edúxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos, * & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum,* carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt, * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus, * & non respéxit in vanitátes & insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua: * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluísti; * aures autem perfecísti mihi.

Holocaústum & pro peccáto non postulásti: * tunc dixi, Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus v[olui], & legem tuam in mé[dio] cordis mei.

Ex eodem Psalmo 39.

ANnuntiávi justítiam tu[am] in ecclésia magna:* ec[ce] lábia mea non prohibébo[:] Dómine tu scisti.

Justítiam tuam non abscón[di] in corde meo, * veritátem tuam, & salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me; * misericórdia tua & véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus;* comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei, * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine, ut éruas me, * Dómine ad adjuvándum me réspice.

Confundántur & revereántur simul qui quærunt ánimam meã, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsùm, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam,* qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exúltent & læténtur super

te omnes quæréntes te ; * & dicant semper : Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum & pauper : * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es ; * Deus meus ne tardáveris.

Ant. Qui timétis Dóminum, crédite illi, & non evacuábitur merces vestra. *Eccli.* 2.

Ant 4. *e.* Eruam te.

Psalmus 71.

DEus judícium tuum regi da, * & justítiam tuam filio regis.

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & paúperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & salvos fáciet filios paúperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Ex eodem Psalmo 71.

COram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent, * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ, * omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit paúperem à poténte, * & paúperem cui non erat adjútor.

Parcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum, * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur illi de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper ; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus, * & florébunt de civitáte sicut fœnū terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sécula, * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum ; *

& replébitur majestáte ejus omnis terra: fiat, fiat.

Psalmus 63.

EXaúdi Deus oratiónem meam cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me à convéntu malignántium: * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas; * intendérunt arcum, rem amáram,

Ut sagíttent in occúltis * immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum; * & non timébunt.

Firmavérunt sibi sermónem nequam, * narravérunt, ut abscónderent láqueos; dixérunt, Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes; * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum, * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos, * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo: * & laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Eruam te, dicit Dóminus, & liberábo te de manu pessimórum, & rédimam te de manu fórtium. *Jer.* 15.

Ant. 1. a. Lætáre.

Psalmus 13.

DIxit insípiens in corde suo, * Non est Deus.

Corrúpti sunt & abominábiles facti sunt in stúdiis suis; * non est qui fáciat bonum; non est usque ad unum.

Dóminus de cælo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt, * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum,

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum est; * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt; * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, qui dévorant plebem meam sicut escam panis? * Dóminum non invocavérunt.

Illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor, * quóniam

:Dóminus in generatió-
sta est.
silium ínopis confu-
,* quóniam Dóminus
ejus est.
is dabit ex Sion salu-
Israël ? * cùm avérterit
inus captivitátem plebis
, exultábit Jacob, & læ-
ur Israël.

Psalmus 44.

uctávit cor meum ver-
um bonum : * dico ego
a mea Regi.
mea,* cálamus scri-
citer scribéntis.
ciósus formâ præ filiis
um, diffúsa est grátia in
tuis :*proptérea benedí-
te Deus in ætérnum.
Accíngere gládio tuo super
tuum, * potentíssime.
pécie tuâ, & pulcritúdine
* inténde, prósperè pro-
e.
regna propter veritátem,
mansuetúdinem, & justí-
m ; * & dedúcet te mirabí-
r déxtera tua.
agíttæ tuæ acútæ (pópuli
te cadent) * in corda ini-
órum Regis.
Sedes tua Deus in séculum
uli : * virga diréctiónis,
a regni tu.
Dilexisti justítiam, & odí-
iniquitátem : * proptérea
xit te Deus, Deus tuus óleo
itiæ præ consórtibus tuis.
Myrrha, & gutta, & cásia
à vestiméntis tuis, à dómibus
ebúrneis ; *ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto,* circúmdata varietáte.

Ex eodem Psalmo 44.

Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam, * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui ;

Et concupíscet rex decórem tuum,* quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum :

Et filiæ Tyri in munéribus ; *vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intus,* in fimbriis aúreis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam,* próximæ ejus afferéntur tibi,

Afferéntur in lætítia & exultatióne,* adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii:*constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne, & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in séculum séculi.

Ant. Lætáre & exúlta filia Jerúsalem, Rex Israël Dómi-

nus in médio tui. *Sophon.* 3.

℣. Quóniam tu illúminas lucérnam meam Dómine, ℟. Deus meus illúmina ténebras meas. *Ps.* 17.

Pater noster, &c.

Benedictiones, ut ante Psalt.

Lectiones cum suis ℟. ut in Proprio.

Post ultimam Lectionem de Scriptura occurr. dicitur singulis Sabbatis, nisi aliter notetur, sequens

℟. Réquies Sábbati sanctificáta est Dómino cras; * Quodcúmque operándum est, fácite. ℣. Manè vidébitis glóriam Dómini. * Quodcúmque. Glória. * Quodcúmque. *Exod.* 16.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Exaltáre Dómine in virtúte tua, ℟. Cantábimus & psallémus virtútes tuas. *Ps.* 20.

℣. Deus in adjutórium. &c.

Ant. 1. g. Omnes gentes.

Psalmus 82.

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris Deus.

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * & cogitavérunt advérsùs sanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & disperdámus eos de gente; * & non memorétur nomē Israël ultrà;

Quóniam cogitavérunt unanímiter simul * advérsùm te testaméntum dispoſuérunt,

Tabernácula Idumæórum & Ismahelítæ, * Moab, & Agaréni;

Gebal, & Ammon, & Amalec, * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis, * facti sunt in adjutórium filiis Lot.

Ant. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo; & quasi níhilum & inánc reputátæ sunt ei. *Is.* 40.

Ant. 8. G. Incurvábitur altitúdo.

Ex eodem Psalmo 82.

FAc illis sicut Mádian, * & Sísaræ sicut Jabin in torrénte Cison.

Disperiérunt in Endor, * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum, sicut Oreb, & Zeb, * & Zébee, & Sálmana;

Omnes príncipes eórum, qui dixérunt: * Hereditáte possideámus sanctuárium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam, * & sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit silvam, * & sicut flamma combúrens montes,

Ita persequéris illos in tempestáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ, * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant & conturbéntur in séculum séculi, * & confundántur & péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus; * tu solus Altíssimus in omni terra.

Ant. Incurvábitur altitúdo virórum; exaltábitur autem Dóminus solus in die illa. *Is.* 2.

Ant. 8. c. Posuísti.

Canticum Moysi. Exod. 15.

CAntémus Dómino, gloriósè enim magnificátus est, * equum & ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum: * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, * omnípotens nomen ejus.

Currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare; * elécti príncipes ejus submérsi sunt in mari rubro.

Abyssi operuérunt eos, * descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua Dómine magnificáta est in fortitúdine, * déxtera tua Dómine percússit inimícum.

Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos, * misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam.

Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ; * stetit unda fluens, congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar, & comprehéndam; * dívidam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare; * submérsi sunt, quasi plumbum, in aquis veheméntibus.

Ant. Posuísti profúndum maris viam, ut transírent liberáti. *Is.* 51.

Ant. 4. e. Creatúra.

Ex eodem Cantico, Exod. 15.

QUis símilis tuî in fórtibus Dómine? * quis símilis tuî? magníficus in sanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, & fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, * & devorávit eos terra.

Dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti, * & portásti eum in fortitúdine tua ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & iráti sunt, * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt Príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor: * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído &

pavor, * in magnitúdine bráchii tui fiant immóbiles quasi lapis.

Donec pertránseat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti;

Introdúces eos, & plantábis in monte hereditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo, quod operátus es Dómine,

Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

Dóminus regnábit * in ætérnum & ultrà;

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare; * & redúxit super eos Dóminus aquas maris;

Fílii autem Israël ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ant. Creatúra tibi factóri desérviens exardéscit in torméntum advérsus injústos, & lénior fit ad benefaciéndum pro his qui in te confídunt. *Sap.* 16.

Ant. 4. *e.* Redémpti.

Canticum Isaiæ. *Cap.* 25.

DOmine, Deus meus es tu: *exaltábo te, & confitébor nómini tuo,

Quóniam fecísti mirabília: * cogitatiónes antíquas fidéles; amen;

Quia posuísti civitátem in túmulum: * urbem fortem in ruínam, domum alienórum;

Ut non sit cívitas, * & in sempitérnum non ædificétur.

Super hoc laudábit te pópulus fortis; * cívitas géntium robustárum timébit te,

Quia factus es fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne sua, * spes à túrbine, umbráculum ab æstu.

Spíritus enim robustórum, * quasi turbo impéllens paríetem.

Sicut æstus in siti, tumúltum alienórum humiliábis: * & quasi calóre sub nube torrénte propáginem fórtium marcéscere fácies.

Et fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium, convívium vindémiæ, * pínguium medullatórum, vindémiæ defecátæ.

Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos: * & telam quam ordítus est super omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in sempitérnum: * & áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie.

Et oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra; * quia Dóminus locútus est.

Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, * exspectávimus eum, & salvábit nos.

Iste Dóminus; sustinúimus

eum: * exultábimus, & lætábimur in salutári ejus.

Glória Patri.

Ant. Redémpti à Dómino converténtur, & vénient in Sion cum laude, & lætítia sempitérna super caput eórum. *Is.* 35.

Capitulum. Apoc. 21. 3.

Ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus; & abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum.

Hymnus. Prudent.

Jamjam quiéscant ímproba,
Jam culpa furva obdórmiat;
Jam noxa letális, suum
Perpéssa somnum, márceat.

Vigil vicíssim spíritus,
Quodcúmque restat témporis
Dum meta noctis claúditur,
Stans ac labórans éxcubet.

Sat convolútis ártubus,
Sensum profúnda oblívio
Pressit, gravávit, óbruit
Vanis vagántem sómniis.

Sunt nempe falsa & frívola,
Quæ mundiáli glóriâ
Ceu dormiéntes égimus:
Vigilémus, hîc est véritas.

Aurum, volúptas, gaúdium,
Opes, honóres, próspera,
Quæcúmque nos inflant mala;
Fit manè, nil sunt ómnia.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri, cum Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne séculum.
Amen.

℣. Exórtum est in ténebris lúmen rectis, ℟. Miséricors & miserátor, & justus. *Ps.* 111.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Pópulus qui sedébat in ténebris, vidit lucem magnam, habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. *Is.* 9.

Preces quando dicuntur & Suffragia, habentur suprà ad Laud. Mat. Fer. II. p. 42. & 43.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutórium *&c.*

Hymnus, Jam lucis. *p.* 14.

Ant. 1. g. Córripe me Dómine.

Psalmus 66.

Deus in adjutórium meũ inténde, * Dómine ad adjuvándum me festína.

Confundántur, & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsùm, & erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes: * qui dicunt mihi Euge, euge.

Exúltent, & læténtur in te omnes qui quærunt te; * & dicant semper, Magnificétur Dóminus; qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum: * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * Dómine ne moréris.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum, * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, * in cíthara, & voce psalmi;

In tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ, * jubiláte in conspéctu Regis Dómini.

Moveátur mare & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini, * quóniã venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

Psalmus 98.

DOminus regnávit, irascántur pópuli; * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno; * quóniam terríbile & sanctum est;

Et honor Regis judícium díligit: * tu parásti directiónes, judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum: * & adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est.

Móyses & Aáron in sacerdótibus ejus: * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos, * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos, Deus tu propítius fuísti eis, * & ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus: * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Córripe me Dómine, verúmtamen in judício, & non in furóre tuo, ne forte ad níhilum rédigas me. *Jer.* 10

Capitulum, &c. cum Precibus, quando dicendæ sunt, habentur suprà ad Primam Feriæ II. pag. 46.

AD TERTIAM.

Deus in adjutórium, *&c.*

Hymn. Nunc sancte. *p.* 19.

Ant 1. f. Tu quia pius es.

Psalmus. 105.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * & fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui, * vísita nos in salutári tuo;

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, * ad lætándum in lætítia gentis tuæ, ut laudéris cum hereditáte tua.

Peccávimus cum pátribus nostris, * injústè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua, * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ;

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * mare rubrum;

Et salvávit eos propter nomen suum, * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et incrépuit mare rubrum, & exsiccátum est; * & dedúxit eos in abyssis, sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium, * & redémit eos de manu inimíci:

Et opéruit aqua tribulántes eos, * unus ex eis non remánsit.

Et crediderunt verbis ejus, * & laudavérunt laudem ejus.

Ex eodem Psalmo 105.

Citò fecérunt, oblíti sunt óperum ejus; * & non sustinuérunt consílium ejus:

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto, * & tentavérunt Deum in inaquóso:

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * & misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris, * Aáron sanctum Dómini.

Apérta est terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit super congregatiónem Abyron.

Et exársit ignis in synagóga eórum, * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb, * & adoravérunt scúlptile;

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit, ut dispérderet eos, si non Móyses eléctus ejus stetísset in confractióne, in conspéctu ejus, * ut avérteret

iram ejus, ne dispérderet eos.

Et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem; * non credidérunt verbo ejus.

Et murmuravérunt in tabernáculis suis, * non audiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prostérneret eos in desérto,

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus, * & dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor, * & comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis, * & multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, & placávit: * & cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam * in generatiónem & generatiónem usque in sempitérnum.

Et irritavérunt eum ad Aquas contradictiónis; * & vexátus est Móyses propter eos,

Quia exacerbavérunt spíritum ejus, * & distínxit in lábiis suis.

Ex eodem Psalmo 105.

NOn disperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti sunt inter gentes, * & didicérunt ópera eórum.

Et serviérunt sculptílibus eórum: * & factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos * & fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem, sánguinem filiórum suórum, & filiárum suárum * quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et inféсta est terra in sanguínibus, & contamináta est in opéribus eórum: * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum, * & abominátus est hereditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium: * & domináti sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * & humiliáti sunt sub mánibus eórum.

Sæpe liberávit eos: * ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cùm tribularéntur, * & audívit oratiónem eórum;

Et memor fuit testaménti sui, * & pœnítuit eum secúndùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac Dómine Deus noster, * & cóngrega nos de natiónibus,

Ut confiteámur nómini

sancto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedíctus Dóminus Deus Israël à sǽculo, & usque in sǽculum; * & dicet omnis pópulus, Fiat, fiat.

Ant. Tu quia pius es, miserére nostri Dómine. *Judith.* 7.

Capitulum, ℟. *breve, & Preces quando dicuntur, habentur suprà ad Tertiam Fer. II. p. 51.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Hymn. Rector potens, *&c. pag.* 22.

Ant. 8. G. Qui indúxit.

Psalmus 88.

MIsericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis; * præparábitur véritas tua in eis;

Dispósui testaméntum eléctis meis; * jurávi David servo meo:

Usque in ætérnum præparábo semen tuum; * & ædificábo in generatiónem & generatiónem sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine, * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum:

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus qui glorificátur in concílio sanctórum, * magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris, * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum; * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli, & tua est terra; * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti;

Aquilónem & mare tu creásti; * Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt.

Tuum bráchium cum poténtia, * firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua.

Justítia & judícium præparátio sedis tuæ, * misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam.

Ex eodem Psalmo 88.

BEátus pópulus qui scit jubilatiónem, * Dómine in lúmine vultûs tui ambulábunt.

Et in nómine tuo exultábunt totâ die, * & in justítia tua exaltabúntur,

Quóniam glória virtútis eórum tu es; * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * & sancti Israël Regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, & dixísti: * Pósui adjutórium in poténte, & exaltávi eléctū de plebe mea.

Invéni David servum meum, * óleo sancto meo unxi eum;

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum:

Nihil profíciet inimícus in eo, * & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea & misericórdia mea cum ipso, * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ex eodem Psalmo 88.

IPse invocábit me: Pater meus es tu; * Deus meus, & suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam, * & testaméntum meum fidéle ipsi;

Et ponam in séculum séculi semen ejus, * & thronum ejus sicut dies cæli.

Si autem derelíquerint filii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint;

Si justítias meas prophanáverint, * & mandáta mea non custodíerint,

Visitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea.

Neque profanábo testaméntum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo, * si David méntiar,

Semen ejus in ætérnum manébit; * & thronus ejus sicut sol in conspéctu meo,

Et sicut luna perfécta in ætérnum, * & testis in cælo fidélis.

Tu verò repulísti & despexísti, * distulísti christum tuum.

Avertísti testaméntum servi tui, * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus, * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam, * factus est oppróbrium vicínis suis.

Ant. Qui indúxit nobis mala, ipse rursúm addúcet nobis sempitérnam jucunditátem cum salúte nostra. *Baruch.* 4.

Capitulum, ℟. breve, & Preces quando dicendæ sunt,

habentur suprà Feriâ II. ad Sextam, pag. 53. & 54.

ÁD NONAM.

℣. Deus in adjutórium, &c.

Hymn. Rerum Deus. *p.* 24.

Ant. 1. f. Quàm pulcra!

Ex Psalmo 88.

EXaltásti déxteram depriméntium eum, * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne, * & sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus, * perfudísti eum confusióne.

Usquequò Dómine avértis in finem, * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia; * numquid enim vanè constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo qui vivet, & non vidébit mortem, * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto Dómine oppróbrii servórum tuórum, * quod contínui in sinu meo, multárum géntium,

Quod exprobravérunt inimíci tui Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum: * fiat, fiat.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus, dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur; * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum, * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma, * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus; * exaltábor in

géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum,* suscéptor noster Deus Jacob.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis:* díligit Dóminus portas Sion super omnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te,* cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo & homo natus est in ea;* & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum; * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Quàm pulcra tabernácula tua Jacob, & tentória tua Israël! *Num.* 24.

Capitulum, ℟ breve, & Preces quando dicendæ sunt, habentur suprà ad Nonam Fer. II. p. 55.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutórium &c.

Ant. 6. F. Complévit Deus.

Psalmus. 143.

BEnedíctus Dóminus, Deus meus, * qui docet manus meas ad prælium, & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum; * suscéptor meus, & liberátor meus;

Protéctor meus, & in ipso sperávi,* qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine quid est homo, quia innotuísti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est:* dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine inclína cælos tuos, & descénde; * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, & dissipábis eos; * emítte sagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto, éripe me, & líbera me de aquis multis; * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem, * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus cánticum novum cantábo tibi, * in psaltério decachórdo psallam tibi,

Qui das salútem régibus, * qui redemísti David servum tuum de gládio malígno,

Eripe me, & érue me de manu filiórum alienórum, * quorum os locútum est vanitátem; & déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

Quorum filii, sicut novéllæ plantatiónes, * in juventúte sua:

liæ eórum compósitæ, * ornátæ ut similitúdo pli;

romptuária eórum plena, ctántia ex hoc in illud.

Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis, * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor pláteis eórum.

eátum dixérunt pópulum, hæc sunt. * Beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Complévit Deus die séptimo opus suum, & requiévit ab univérso ópere quod patrárat; benedixítque diéi séptimo, & sanctificávit illum. Genes. 2.

Ant. 8. c. Dies séptimus.

Psalmus 144.

Exaltábo te Deus meus rex, * & benedícam nómini tuo in séculum, & in séculum séculi.

Per síngulos dies benedícam tibi, * & laudábo nomen tuum in séculum, & in séculum séculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuam pronuntiábunt;

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt;

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt;

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * & justítiâ tuâ exultábunt.

Miserátor & miséricors Dóminus, * pátiens & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérsis, * & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua, * & sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquéntur,

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium seculórum, * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant Dómine, * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómni-

bus viis suis, * & sanctus in omnibus opéribus suis.

Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exaúdiet, * & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se, * & omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum, * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

Ant. Dies séptimus, quia Sábbati réquies est, vocábitur sanctus; omne opus non faciétis in eo. *Levit.* 23.

Ant. 4. e. Relínquitur Sabbatísmus.

Psalmus 145.

LAuda ánima mea Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea, * psallam Deo meo quándiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in filiis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam, * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsius, * qui fecit cælum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos, * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum & víduam suscípiet, * & vias peccatórũ dispérdet.

Regnábit Dóminus in sécula, * Deus tuus Sion in generatiónem & generatiónem.

Ant. Relínquitur Sabbatísmus pópulo Dei: qui enim ingréssus est in réquiem ejus; étiam ipse requiévit ab opéribus suis, sicut à suis Deus. *Heb.* 4.

Ant. 8. d. Festinémus ergo íngredi.

Psalmus 146.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus, * Deo nostro sit jucúnda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus, * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus, * & sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus, * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne,* psállite Deo nostro in cíthara,

Qui óperit cælum núbibus, * & parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam servitúti hóminum;

Qui dat juméntis escam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit, * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Festinémus ergo íngredi in illam réquiem: ut ne in idípsum quis íncidat incredulitátis exémplum. *Hebr.* 4.

Ant. 4. *e.* Ingrediémur.

Psalmus 147.

LAuda Jerúsalem Dóminũ, * lauda Deum tuum Sion,

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedíxit filiis tuis in te;

Qui pósuit fines tuos pacem, * & ádipe fruménti sátiat te;

Qui emíttit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, *nébulam sicut cinerẽ spargit;

Mittit crystállum suam sicut buccéllas, * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea;*flabit spíritus ejus, & fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israël;

Non fecit táliter omni natióni,* & judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Ingrediémur enim in réquiem qui credídimus;quẽádmodum dixit: Si introíbunt in réquiem meam; & quidem opéribus ab institutióne mundi perféctis. *Hebr.* 4.

Capitulum. *Hebr.* 3. 12.

VIdéte fratres, ne forte sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis discedéndi à Deo vivo: sed adhortámini vosmetípsos per síngulos dies, donec Hódie cognominátur, ut non obdurétur quis ex vobis fallácià peccáti.

Hymnus. *S. Gregor.*

LUcis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ,
Mundi parans oríginem:
Qui manè junctum vésperi
Diem vocári præcipis,
Tetrum cahos illábitur;
Audi preces [quas fúndimus,]
Ne mens graváta crímine,
Vitæ sit exul múnere,
Dum nil perénne cógitat,

Seséque culpis illigat.
Cælórum pulset íntimum
Vitále tollat præmium :
Vitémus omne nóxium ;
Purgémus omne péssimum.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar únice,
Sancto simul cum Spíritu
Regnans per omne séculum.
Amen.

℣. A véspera usque ad vésperam ℟. Celebrábitis Sábbata vestra. *Levit.* 23.

Ad Magníficat, *Aña ut in Proprio.*

Oratio, ut in Proprio ad Laud. Matut. Dominicæ.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convérte nos, *&c.*

Deus in adjutórium, *&c.*

Ant. 8. G. Percútiam cum eis fœdus.

Psalmus 76.

VOce meâ ad Dóminum clamávi * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum : * & non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea, * memor fui Dei, & delectátus sum, & exercitátus sum, & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei ; * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus ; * aut non appónet, ut complacítior sit adhuc ?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet * à generatióne in generatiónem ?

Aut oblivíscétur miseréri Deus ? * aut continébit in ira sua misericórdias suas ?

Et dixi, Nunc cœpi : * hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Ex eodem Psalmo 76.

MEmor fui óperum Dómini : * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum ;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in sancto via tua ; * quis Deus magnus sicut Deus noster ?

Tu es Deus qui facis mirabília, * notam fecísti in pópulis virtútem tuam,

Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, * fílios Jacob, & Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ & timuérunt, * & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquárum ; * vocem dedérunt nubes, étenim sagíttæ tuæ tránseunt.

Vox tonítrui tui in rota, illuxérunt coruscatiónes tuæ

orbi terræ : * commóta est & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis, * & vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi & Aáron.

Psalmus 102.

BEnedic ánima mea Dómino ;* & ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino, * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus,

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, * qui sanat omnes infirmitátes tuas ;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam, * qui corónat te in misericórdia, & miseratiónibus ;

Qui replet in bonis desidérium tuum, * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * filiis Israël voluntátes suas.

Miserátor & miséricors Dóminus, * longánimis, & multùm miséricors,

Non in perpétuum irascétur,* neque in ætérnum comminábitur :

Non secúndùm peccáta nostra fecit nobis,* neque secúndùm iniquitátes nostras retribuit nobis :

Quóniam secúndùm altitúdinem cæli à terra, * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantùm distat Ortus ab Occidénte,* longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Ex eodem Psalmo 102.

QUómodo miserétur pater filiórum, * misértus est Dóminus timéntibus se :

Quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum, * recordátus est quóniam pulvis sumus.

Homo sicut fœnum, dies ejus, * tamquam flos agri, sic efflorébit :

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet, * & non cognóscet ámpliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, & usque in ætérnum super timéntes eum,* & justítia illíus in fílios filiórum,

His qui servant testaméntum ejus, * & mémores sunt mandatórum ipsíus ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam, * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, * ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus, * minístri ejus qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus, * bénedic ánima mea Dómino.

Ant. in Sabbatis, etiamque in Vigiliis Festorum à populo feriatorum: Percútiam cum eis fœdus in die illa, & dormíre eos fáciam fiduciáliter: & scient quia ego Dómi[nus] *Osee. 2.*

Hymnus, ut in Domini[ca] suprà, pag. 61.

Capitulum, Sóbrii estót[e]

℣. Custódi nos, *&c.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* Cánticum erit vobis si[cut] nox sanctificátæ solemnitá[tis] & lætítia cordis. *Is. 30.*

Cetera ut in Dominica su[prà], pag. 62.

ANTIPHONÆ

DE B. V. MARIA.

In Adventu, Antiphona.

ALma Redemptóris Mater, quæ pérvia cæli Porta manes, & stella maris; succúrre cadénti,
Súrgere qui curat, pópulo: tu quæ genuísti
Natúrâ miránte tuum sanctum Genitórem,
Virgo priùs ac postériùs, Gabriélis ab ore
Sumens illud Ave; peccatórum miserére.

℣. Ave grátiâ plena,

℟. Dóminus tecum. *Luc. 1.*

Orémus. *Oratio.*

GRátiam tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infúnde; ut qui Angélo nuntiánte Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvim[us] per passiónem ejus & cruc[em] ad resurrectiónis ejus glóri[am] perducámur; Per eúmd[em] Christum Dóminum nostr[um].

℟. Amen.

À II. Completorio Festi N[a]tivitatis Domini ad II. Co[m]pletorium Festi Purificatio[nis] B. Mariæ inclusivè:

℣. Benedícta tu inter m[u]líeres,

℟. Et benedíctus fruc[tus] ventris tui. *Luc. 1.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui salútis ætérn[æ] beátæ Maríæ virginit[ate] fecúndâ humáno géneri præ[]mia præstitísti; tríbue qu[æ]sumus, ut ipsam pro nob[is]

tercédere sentiámus, per quam merúimus autórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

℟. Amen.

A crastino Purificationis B. M. ad Pascha,

Alia Antiphona.

AVe Regína cælórum, ave Dómina Angelórum: salve radix sancta: ex quâ mundo lux est orta. Gaude Virgo gloriósa, super omnes speciósa: Vale ô valde decóra, & pro nobis Christum exóra.

℣. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël;

℟. Tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15.

Orémus. *Oratio.*

PRótege Dómine fámulos tuos subsídiis pacis, & beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes à cunctis hóstibus & perículis redde secúros; Per Dóminum.

℟. Amen.

Tempore Paschali, Antiphona.

REgína cæli lætáre, allelúia;
Quia quem meruísti portáre, allelúia;
Resurréxit, sicut dixit; allelúia:
Ora pro nobis Deum, allelúia.

℣. Lætáre & exúlta filia Jerúsalem;

℟. Dóminus Deus tuus in médio tuî. *Sophon.* 3.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui per resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es; præsta quæsumus ut intercedénte ejus genitríce Vírgine Maríâ, perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

A primo Completorio Festi SS. Trinitatis usque ad Adventum.

Alia Antiphona.

SAlve Regína, [mater] misericórdiæ; vita, dulcédo, & spes nostra salve. Ad te clamámus éxules filii Evæ. Ad te suspirámus geméntes & flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui nobis post hoc exílium osténde, O clemens, ô pia, ô dulcis [virgo] María!

℣. Vultum tuum deprecabúntur

℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis [matris] Maríæ corpus & ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte præparásti; da, ut cujus commemoratióne mur, ejus piâ interce ab instántibus malis, morte perpétua liberém Per eúmdem Christum minum nostrum.

℟. Amen.



PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS HIEMALIS.

SABBATO
ANTE DOMINICAM I.
ADVENTUS
D. N. JESU CHRISTI,
Fit Duplex.

AD VESPERAS,
Antiphonæ ut in Psalterio.
Capitulum. *Jerem.* 23.

ECce dies véniunt, dicit Dóminus; & suscitábo David germen justum; & regnábit rex, & sápiens erit, & fáciet judícium & justítiam in terra.

℟. Deo grátias.
Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

Hymnus.

COnditor alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Christe Redémptor ómnium,
Exaúdi preces súpplicum:
Qui cóndolens intéritu
Mortis períre séculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.
Vergénte mundi véspere,
Casto velut sponsus thoro,
Egréssus es puríssimo
Sinu paréntis Vírginis.
Cujus forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia;
Cæléstia, terréstria,
Nutu faténtur súbdita.
Te deprecámur súpplices,
Ventúre Judex séculi,
Consérva nos in témpore
Hostis à telo pérfidi.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, cum Filio,
Sancto simul cum Spíritu
In sempitérna sécula. Amen.

℣. Excita Dómine poténtiam tuam, & veni, ℟. Ut salvos fácias nos. *Ps.* 79.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Leváte cápita vestra, quóniam appropínquat redémptio vestra. *Luc.* 21.

Quæ Antiphona dicitur integra ante Magníficat, *& post* ℣. Sicut erat. *Et sic in aliis Duplicibus, & suprà.*

℣. Dóminus vobíscum,
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus. *Oratio.*

EXcita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni; ut ab imminéntibus

peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus, Per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

Et fit Commem. B. V. Mariæ in utrisque Vesp. & Laud. 175.

℣. Dóminus vobíscum, &c.

℣. Benedicámus. &c.

COMPLETORIUM, *ut in Psalterio*, p. 160.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 2. Salutáre tuum exspectábo, Dómine: exspectábo Deum Salvatórem meum. *Gen.* 49. *Mich.* 7.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS D. N. JESU CHRISTI, *Duplex.*

AD VIGILIAS,

Invitatorium, Desiderátum cunctis géntibus Dóminum, * Veníte adorémus. *Agg.* 2.

Psalmus 94. Veníte. p. 1.

Hymnus.

VErbum supérnum pródiens,
A Patre olim éxiens,
Qui natus orbi súbvenis
Cursu declívi témporis.

Illúmina nunc péctora,
Tuóque amóre cóncrema;
Audíto ut præcónio
Sint pulsa tándem lúbrica.

Judéxque cùm pòst áderis,
Rimári facta péctoris,
Reddens vicem pro ábditis,
Justísque regnum pro bonis.

Non demum arctémur malis
Pro qualitáte críminis,
Sed cum beátis glóriæ
Simus perénnis cómpotes.

Laus, honor, &c. p. 165

IN I. NOCT.

Ant. 1. a. Obsecro Dómine, mitte quem missúrus es. *Exod.* 4.

Ant. 2. to. Quem mittam: & quis ibit nobis; Et dixi, Ecce ego, mitte me. *Is.* 6.

Ant. 3. a. Cùm appropinquáverint anni, cognoscéris: cùm advénerit tempus, demonstráberis. *Habacuc. Cant. sec. LXX.*

℣. In médio annórum notum fácies: : ℟. Cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis. *Ibid.*

Post Versiculum cujuslibet Noct. dicitur secretò Pater noster, *&c. usque ad* ℣. Et ne nos, *qui dicitur clarâ voce.*

Benedictiones, ut ante Psalterium.

Incipit Liber Isaíæ Prophétæ.

Lectio j. *Cap.* 1.

VIsio Isaíæ filii Amos, quam vidit super Judam & Jerúsalem in diébus Oziæ, Jóathan, Achaz, & Ezéchiæ, regum Juda. Audíte cœli, & áuribus pércipe terra, quóniam Dóminus locútus est: Fílios enutrívi, & exaltávi; ipsi autem sprevérunt me. Cognóvit bos pos-

sessórem suum, & ásinus præsépe dómini sui: Israël autem me non cognóvit, & pópulus meus non intelléxit. Væ genti peccatríci, pópulo gravi iniquitáte, sémini nequam, filiis sceleràtis: dereliquérunt Dóminum, blasphemavérunt sanctum Israël, abalienáti sunt retrórsum. Super quo percútiam vos ultrà addéntes prævaricatiónem? omne caput lánguidum, & omne cor mœreus. A planta pedis usque ad vérticem, non est in eo sánitas: vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo. Terra vestra desérta, civitátes vestræ succénsæ igni: regiónem vestram coram vobis aliéni dévorant, & desolábitur sicut in vastitáte hostíli. Et derelinquétur filia Sion ut umbráculum in vinea, & sicut tugúrium in cucumerário, & sicut cívitas quæ vastátur. Nisi Dóminus exercítuum reliquísset nobis semen, quasi Sódoma fuissémus, & quasi Gomórrha símiles essémus. Tu autem Dómine miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

Sic semper terminantur Lectiones, nisi aliter notetur.

℟. *j.* Iste dies observábilis est Dómini: buccináte tubâ in insígni die solemnitátis vestræ, quia præcéptum in Israël est; constitúite diem solémnem in condénsis usque ad cornu altáris: * Gaudéte & exultáte. ℣. Læténtur cæli, & exúltet terra, jubiláte montes laudem; quia Dóminus noster véniet, & paúperum suórum miserébitur. * Gaudéte. *Exod.* 12. *Ps.* 80. *&* 117. *Matth.* 5. *Is.* 49. Glória Patri. *Et repetitur ab initio* ℟. Iste dies.

Lectio ij.

AUdíte verbum Dómini, príncipes Sodomórum, percípite aúribus legem Dei nostri, pópulus Gomórrhæ. Quò mihi multitúdinem victimárum vestrárum, dicit Dóminus? plenus sum: holocaústa aríetum, & ádipem pínguium, & sánguinem vitulórum, & agnórum, & hircórum nólui. Cùm venirétis ante conspéctum meum, quis quæsívit hæc de mánibus vestris, ut ambularétis in átriis meis? Ne offerátis ultrà sacrifícium frustrà: incénsum abominátio est mihi. Neoméniam, & sábbatum, & festivitátes álias non feram, iníqui sunt cœtus vestri: caléndas vestras, & solemnitátes vestras odívit ánima mea: facta sunt mihi moléſta, laborávi sústinens. Et cùm extendéritis manus vestras, avértam óculos meos à vobis: & cùm multiplicavéritis oratiónem, non exaúdiam: ma-

nus enim vestræ sánguine plenæ sunt. Lavámini, mundi estóte, auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis: quiéscite ágere pervérsè, díscite benefácere: quærite judícium, subveníte oppréso, judicáte pupíllo, deféndite víduã. Tu autem *&c.*

℟. *ij.* Dies sanctificátus est *ut in Psalterio, p. 4.*

Lectio iij.

OMnes díligunt múnera, sequúntur retributiónes. Pupíllo non júdicant: & causa víduæ non ingréditur ad illos. Propter hoc aït Dóminus Deus exercítuum fortis Israël: Heu, consolábor super hóstibus meis, & vindicábor de inimícis meis. Et convértam manum meam ad te, & éxcoquam ad purum scóriam tuam, & áuferam omne stannum tuum. Et restítuam júdices tuos ut fuérunt priùs, & consiliários tuos sicut antíquitùs: post hæc vocáberis cívitas justi, urbs fidélis. Sion in judício redimétur, & redúcent eam in justítia. Et cónteret sceléstos & peccatóres simul: & qui dereliquérunt Dóminum, consuméntur. Confundéntur enim ab idólis, quibus sacrificavérunt: & erubescétis super hortis quos elegerátis, cùm fuéritis velut quercus defluéntibus fóliis, & velut hortus absque aqua. Et erit fortitúdo vestra, ut favílla stuppæ, & opus vestrum quasi scintílla: & succendétur utrúmque simul, & non erit qui extínguat.

℟. *iij.* Pascha nostrum. *ut in Psalterio, p. 4.*

IN II. NOCT.

Ant. 4. e. Lauda & lætáre, fília Sion; quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, aït Dóminus. *Zachar. 2.*

Ant. 5. a. Convértam manum meam ad te, & éxcoquam ad purum scóriam tuam: post hæc vocáberis cívitas justi, urbs fidélis. *Is. 1.*

Ant. 6. F. Suscitábo fílios tuos Sion; & Dóminus Deus super eos vidébitur. *Zach. 9.*

℣. Deus maniféstè véniet, ℟. Deus noster, & non silébit. *Ps. 49.*

Benedictiones, ante Psalterium.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio iv. *Cap. 1.*

PAulus, servus Jesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod antè promíserat per prophétas suos in Scriptúris sanctis, de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndùm carnem, qui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte secúndùm spíritum sanctificatiónis ex resurrectióne mortuórum Jesu Christi

sti Dómini nostri; per quem accépimus grátiam, & Apostolátum ad obediéndum fidei in ómnibus Géntibus pro nómine ejus; in quibus estis & vos vocáti Jesu Christi; ómnibus qui sunt Romæ, diléctis Dei, vocátis sanctis: grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Primùm quidem grátias ago Deo meo per Jesum Christum pro ómnibus vobis: quia fides vestra annuntiátur in univérso mundo. Testis enim mihi est Deus, cúi sérvio in spíritu meo in Evangélio filii ejus, quòd sine intermissióne memóriam vestrî fácio semper in oratiónibus meis: óbsecrans, si quómodo tandem aliquándo prósperum iter hábeam in voluntáte Dei veniéndi ad vos.

℟. *iv.* Læténtur cæli & exúltet terra, commoveátur mare & plenitúdo ejus* A fácie Dómini, quia venit. ℣. Gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt, * A fácie. *Psal.* 95.

Lectio v.

NOlo autem vos ignoráre fratres: quia sæpe propósui veníre ad vos, (& prohíbitus sum usque adhuc) ut áliquem fructum hábeam & in vobis, sicut & in céteris géntibus, Græcis ac Bárbaris, sapiéntibus & insipiéntibus débitor sum: ita (quod in me,) promptum est & vobis, qui Romæ estis, evangelizáre. Non enim erubésco Evangélium. Virtus enim Dei est in salútem omni credénti, Judæo primùm, & Græco. Justítia enim Dei in eo revelátur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit. Revelátur enim ira Dei de cælo super omnem impietátem & injustítiam hóminum eórum, qui veritátem Dei in injustítia détinent: quia quod notum est Dei, maniféstum est in illis. Deus enim illis manifestávit.

℟. *v.* Dico Gentes super misericórdia honoráre Deum, *Sicut scriptum est: Erit radix Jesse, & qui exsúrget régere gentes, in eum gentes sperábunt. ℣. Evangélium virtus Dei est in salútem omni credénti, Judæo primùm, & Græco; * Sicut. *Rom.* 15. & 1.

Lectio vj. *Cap.* 2.

PRopter quod inexcusábilis es, ô homo omnis qui júdicas. In quo enim júdicas álterum, teípsum condémnas: éadem enim agis quæ júdicas. Scimus enim quóniam judícium Dei est secúndùm veritátem in eos, qui tália agunt. Exístimas autem hoc ô homo, qui júdicas eos qui tália agunt, & facis ea, quia tu effúgies judícium Dei? An divítias bonitátis ejus, & patiéntiæ,

& longanimitátis contémnis? ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? Secúndùm autem durítiam tuam, & impœnitens cor thesaurízas tibi iram in die iræ, & revelatiónis justi judícii Dei, qui reddet unicuíque secúndùm ópera ejus: Iis quidem, qui secúndùm patiéntiam boni óperis, glóriam, & honórem, & incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam: Iis autem, qui sunt ex contentióne, & qui non acquiéscunt veritáti, credunt autem iniquitáti, ira, & indignátio. Tribulátio, & angústia in omnem ánimam hóminis operántis malum, Judæi primùm, & Græci. Glória autem, & honor, & pax omni operánti bonum, Judæo primùm, & Græco.

℟. vj. Circumcidímini Dómino,& auférte præpútia córdium vestrórum, expoliántes véterem hóminem cum áctibus suis; & induéntes novum, ubi * Non est Gentílis, & Judæus; circumcísio, & præpútium; sed ómnia & in ómnibus Christus. ℣. Glória,& honor, & pax omni operánti bonum, Judæo primùm, & Græco. * Non est: Glória. * Non est. *Jer.* 4. *Coloss.* 3. *Rom.* 2.

IN III. NOCT.

Ant. 7. *d* *. Ecce Dóminus egrediétur de loco suo: & descéndet, & calcábit super excélsa terræ. *Mich.* 1.

Ant. 8. c. Exspectátio Israël, Salvátor ejus: quare quasi colónus futúrus es in terra, & quasi viátor declínans ad manéndum. *Jerem.* 14.

Ant. 8. G. Misericórdia & véritas præcédent fáciem tuã; & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum. *Ps.* 88.

℣. Justítia ante eum ambulábit; ℟. Et ponet in via gressus suos. *Ps.* 84.

Benedictiones, ante Psalter.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 21.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Erunt signa in sole, & luna & stellis, & in terris pressúra géntium præ confusióne sónitûs maris, & flúctuum: arescéntibus homínibus præ timóre,& exspectatióne, quæ supervénient univérso orbi: nam virtútes cælórum movebúntur: Et tunc vidébunt Fílium hóminis veniéntem in nube cum potestáte magna & majestáte. His autem fíeri incipiéntibus, respícite, & leváte cápita vestra: quóniam appropínquat redémptio vestra. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

Homilia 1. *in Evangelia.*

DOminus ac Redémptor noster, fratres caríssimi, parátos nos invenire

desíderans, senescéntem mundum quæ mala sequántur denúntiat, ut nos ab ejus amóre compéscat. Appropinquántem ejus términum quantæ percussiónes prævéniant, innotéscit: ut si Deum metúere in tranquillitáte nólumus, vicínum ejus judícium vel percussiónibus attríti timeámus.

℟. vij. Ecce dies Dómini véniet ad conteréndos peccatóres; stellæ cæli & splendor eárum non expándent lumen suum: * Et visitábo super orbis mala, & contra ímpios iniquitátem eórum, dicit Dóminus. ℣. Cælum turbábo; & movébitur terra de loco suo propter indignatiónem Dómini exercítuum, & propter diem iræ furóris ejus; * Et visitábo. *Is.* 13.

Lectio viij.

VIrtútes cælórum movebúntur. Quid Dóminus virtútes cælórum, nisi Angelos, Archángelos, Thronos, Dominatiónes, Principátus & Potestátes appéllat? quæ in advéntu distrícti Júdicis nostris tunc óculis visibíliter apparébunt, ut districtè tunc à nobis éxigant hoc quod modò invisíbilis Cónditor æquanímiter portat. Ubi & súbditur: Et tunc vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cum potestáte magna & majestáte. Ac si apértè diceretur: In potestáte & majestáte visúri sunt, quem in humilitáte pósitum audíre noluérunt; ut virtútem ejus tantò tunc districtiùs séntiant, quantò nunc cervícem cordis ad ejus patiéntiam non inclínant.

℟. viij. Introíbunt in spelúncas petrárum & in vorágines terræ; * Et dicent móntibus: Operíte nos, & abscóndite nos à fácie sedéntis super thronum & ab ira Agni. ℣. In diébus illis quærent hómines mortem, & non invénient eam; desiderábunt mori, & fúgiet mors ab eis; * Et dicent. *Isai.* 2. *Os.* 10. *Apoc.* 6. & 9.

[¶ *Si in Dominicis occurrerit Festum Simplex vel Semiduplex, de Sancto dicitur ix. Lectio cum suo ℟. & Ant. ℣. & Oratio in Vesperis Sabbati & in Laud. Dominicæ; & insuper de Semiduplicibus in II. Vesperis.*

Lectio ix.

SEd quia hæc contra réprobos dicta sunt, mox ad electórum consolatiónem verba vertúntur. Nam & súbditur: His autem fíeri incipiéntibus, respícite & leváte cápita vestra, quóniam appropínquat redémptio vestra. Ac si apértè Véritas eléctos suos admóneat, dicens: Cùm plagæ mundi crebréscunt, cùm terror judícii virtútibus commó-

tis osténditur; leváte cápita, id est exhilaráte corda: quia dum finitur mundus cujus amíci non estis, propè fit redémptio quam quæsístis. Qui ergo Deum díligunt, ex mundi fine gaudére atque hilaréscere jubéntur: quia vidélicet eum, quem amant, mox invéniunt; dum transit is quem non amavérunt.

℞. *ix.* Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, * Qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. ℣. Sóbriè, & justè, & piè vivámus in hoc século, exspectántes beátam spem, & advéntum glóriæ magni Dei, * Qui reformábit. Glória. *Repetitur*, ℞. Salvatórem. *usque ad* ℣. *Philip.* 3. *Tit.* 2.

Per totum Adventum non dicitur Te Deum, nisi in Festis.

AD LAUDES MATUTINAS,

℣. *Sacerdotalis*, Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum; ℞. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. *Is.* 45.

℣. Deus in adjutórium *&c.*

Ant. 7. *d**. Confortáre omnis pópulus terræ; spíritus meus erit in médio vestrûm; & véniet desiderátus cunctis géntibus. *Agg.* 2.

Ant. 8. *G.* In die illa stillábunt montes dulcédinem, & colles fluent lacte. *Joël* 3.

Ant. 7. *d**. Omnes sitiéntes veníte ad aquas, quærite Dóminum, invocáte eum dum prope est. *Is.* 55.

Ant. 7. c. Deus ipse véniet, & salvábit vos. *Is.* 35.

Ant. 4. f. Exspectábo Dóminum, qui abscóndit fáciem suam à domo Jacob, & præstolábor eum. *Is.* 8.

Capitulum. 1. *Cor.* 4. 5.

NOlíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus: qui & illuminábit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium: & tunc laus erit unicuíque à Deo.

Hymnus.

VOx clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat,
Pellántur éminus sómnia,
Ab æthre Christus prómicat.

Mens jam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia:
Sídus refúlget jam novum,
Ut tollat omne nóxium.

E sursum Agnus míttitur
Laxáre gratìs débitum:
Omnes pro indulgéntia
Vocem demus cum lácrymis:

Secúndò ut cùm fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed nos pius tunc prótegat.

Laus, honor, virtus, glória,
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul cum Spíritu
In sempitérna sécula. Amen.

℣. Dicite pusillánimis, Confortámini; ℟. Deus ipse véniet, & salvábit vos. *Is.* 35.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Vidébunt Fílium hóminis veniéntem in nube cum potestáte magna & majestáte. *Luc.* 21

Orémus. *Oratio.*

EXcita quæsumus Dómine, potentiam tuam, & veni; ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári; Qui vivis & regnas cum. *&c.*

Oratio cujuslibet Dominicæ dicitur per Hebdomad. ad Laudes, ad Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas, nisi aliter notetur.

Ad Horas sumuntur Antiphonæ de Laudibus Matutinis, quartâ prætermissâ.

AD PRIMAM,

Ant. Confortáre. *suprà in Laud.*

Capitulum. 2. *Theſſ.* 3.

DOminus autem dírigat corda & córpora nostra in caritáte Dei, & patiéntia Christi.

Quod Capitulum dicitur quotidie ad Primam per totum Adventum.

Cetera ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. In die illa.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 5.

DEus pacis sanctíficet vos per ómnia, ut ínteger spíritus vester, & ánima, & corpus sine queréla in advéntu Dómini nostri Jesu Christi servétur.

℟. *breve,* Tu exsúrgens Dómine, miseréberis Sion; *Repetitur à Choro,* Tu exsúrgens. [*Et sic in aliis* ℟℟. *brev.*] ℣. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus; * Miseréberis Sion. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. *Rep.* Tu exsúrgens. *Ps.* 101.

Versiculus, Meménto nostrî Dómine in beneplácito pópuli tui, ℟. Vísita nos in salutári tuo. *Ps.* 105.

Oratio, ut suprà in Laud. Matut.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d *. Omnes sitiéntes.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 3. 13.

COnfírmet Dóminus corda vestra in sanctitáte ante Deum & Patrem nostrum in advéntu Dómini nostri Jesu Christi.

℟. *br.* Osténde nobis Dómine * Misericórdiam tuam, ℟. Osténde. ℣. Et salutáre tuum da nobis, * Misericórdiam tuam. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spíritui sancto. ℟. Osténde. ℣. Deus tu convérsus vivificábis nos; ℟. Et plebs tua lætábitur in te. *Ps.* 84.

AD NONAM.

Ant. 4. f. Exspectábo.

Capitulum. *Judæ.*

EI, qui potens est nos constitúere immaculátos in advéntu Dómini nostri Jesu

Christi, glória & impérium nunc & in ómnia sécula seculórum.

℟. *br.* Super te Jerúsalem * Oriétur Dóminus. ℟. Super te. ℣. Et glória ejus in te vidébitur; * Oriétur. Glória. ℟. Super te.

℣. Qui regis Israël inténde, ℟. Qui sedes super Chérubim, manifestáre. *Ps.* 79.

AD VESPERAS.

Ant. 8. G. ECce Dóminus in fortitúdine véniet, & bráchium ejus dominábitur. *Is.* 40.

Ant. 3. a. Urbs fortitúdinis nostræ Sion Salvátor, ponétur in ea murus & antemurále: aperíte portas, quóniam nobíscum est Deus. *Is.* 26. *Judith.* 13.

Ant. 6. F. Dóminus, spes pópuli sui & fortitúdo, de Jerúsalem dabit vocem suam. *Joël.* 3.

Ant. 3. g. Montes & colles cantábunt coram vobis laudem, & ómnia ligna regiónis plaudent manu; & erit Dóminus in signum ætérnum. *Is.* 55.

Ant. 5. a. Veníte, & narrémus in Sion opus Dómini Dei nostri. *Jerem.* 51.

Capitulum. *Tit.* 2.

SObriè, & justè, & piè vivámus in hoc século, exspectántes beátam spem, & advéntum magni Dei & Salvatóris nostri Jesu Christi.

Hymnus, Cónditor. *ut in I. Vesp. pag.* 165.

℣. Emítte Agnum Dómine dominatórem terræ, ℟. De petra desérti ad montem fíliæ Sion. *Is.* 16.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Vigiláte omni témpore, ut digni habeámini stare ante Fílium hóminis. *Luc.* 21.

Oratio, Excita. *ut in Laud.*

Fit Commemor. de B. M. singulis diebus per Adventum.

IN COMPLETORIO,

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 2. Salutáre tuum exspectábo, Dómine; exspectábo Deum Salvatórem meum. *Gen.* 49. *Mich.* 7.

Prædicta Antiphona dicitur per totum Adventum.

IN FERIIS ADVENTUS,

Antiphonæ de Feria, ut in Psalterio.

Cetera ut in Dominica præcedenti.

Ad Noct. ℣. *ut in Dominica, juxta Feriam.*

Pater noster, *&c.*

Benedictiones de I. Noct. ut ante Psalterium.

¶ [*In trium Lectionum Festis, si sint duæ Lectiones de Sanctis, fit una ex tribus Scripturæ occurrentis Lectionibus, quarum prima tantùm legitur in Choro. Si fit una dumtaxat de Sancto, ex duabus ultimis Script. occurr. Lectionibus fiet una, eaque erit secunda cum suo* ℟. iij.

sine Gloria Patri ; tertia de Sancto cum suo ℟.

Ad Laudes Mat. & Horas dicuntur Preces Feriales, ut in Psalterio, cum Oratione Dominicæ præcedentis, nisi propria assignetur.

In Laud. *fit Commemoratio de B.V. Maria,* [*extra Annual. & Dupl.*] *per Ant.* 8. Ne tímeas María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Elégit eam Deus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Oratio, Deus qui. *infrà.*

In Vesp. *per Ant.* 8. Spíritus sanctus supervéniet in te María, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi, ideóque & quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Dóminus dabit benignitátem, ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* 84.

Oratio.

Deus qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti; præsta supplícibus tuis, ut qui eam verè genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eúmdem.

In Completorio,

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 2. *toni.* Salutáre tuum, *&c. ut in Dominica I. Adventûs, p.* 166.

FERIA SECUNDA.

Ad Noct.

Invitatorium, Desiderátum, *&c. Hymnus*, Verbum supérnum. *p.* 166.

Añæ ut in Dominica I. Adventûs juxta Feriam.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 2.

Erit in novíssimis diébus præparátus mons domûs Dómini in vértice móntium, & elevábitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi, & dicent: Veníte, & ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob, & docébit nos vias suas, & ambulábimus in sémitis ejus: quia de Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúsalem. Et judicábit Gentes, & árguet pópulos multos: & conflábunt gládios suos in vómeres, & lánceas suas in falces: non levábit gens contra gentem gládium, nec exercebúntur ultrà ad prælium. Domus Jacob veníte, & ambulémus in lúmine Dómini... Ingrédere in petram, & abscóndere in fossa humo, à fácie timóris Dómini, & à glória majestátis ejus.

℟. *j.* Annuntiámus vobis vitam ætérnam quæ erat apud Patrem; & hæc est annuntiátio quam audívimus ab eo, *

Quóniam lux est, & ténebræ in eo non sunt ullæ. ℣. Domus Jacob veníte & ambulémus in lúmine Dómini, * Quóniam. Joan. 1. Ĳ. 2.

Lectio ij.

OCuli sublímes hóminis humiliáti sunt, & incurvábitur altitúdo virórum: exaltábitur autem Dóminus solus in die illa. Quia dies Dómini exercítuum super omnem supérbum, & excélsum, & super omnem arrogántem: & humiliábitur....Et incurvábitur sublímitas hóminum, & humiliábitur altitúdo virórum, & elevábitur Dóminus solus in die illa. Et idóla pénitus conteréntur. Et introíbunt in spelúncas petrárum, & in vorágines terræ, à fácie formídinis Dómini, & à glória majestátis ejus, cùm surréxerit percútere terram. In die illa projíciet homo idóla argénti sui, & simulácra auri sui. Et ingrediétur scissúras petrárum, & in cavérnas saxórum à fácie formídinis Dómini, & à glória majestátis ejus, cùm surréxerit percútere terram.

℟. ij. Tribulábo hómines, & ambulábunt ut cæci, quia Dómino peccavérunt; * Sed & argéntum eórum & aurum eórum non póterit liberáre eos. ℣. In die illa projíciet homo idóla argénti sui, & simulácra auri sui quæ fécerat ut adoráret; * Sed. Sophon. 1. Ĳ. 2.

Lectio iij. Cap. 3.

ECce Dominátor Dóminus exercítuum áuferet à Jerúsalem & à Juda válidum & fortem, & virum bellatórem, júdicem, & prophétam, & aríolum, & senem...Dícite justo quóniam bene, quóniam fructum adinventiónum suárum cómedet. Væ ímpio in malum: retribútio enim mánuum ejus fiet ei. Pópulum meum exactóres sui spoliavérunt, & mulíeres dominátæ sunt eis. Pópule meus, qui te beátum dicunt, ipsi te decípiunt, & viam gréssuum tuórum díssipant. Stat ad judicándum Dóminus, & stat ad judicándos pópulos. Dóminus ad judícium véniet cum sénibus pópuli sui, & princípibus ejus: vos enim depásti estis víneam, & rapína paúperis in domo vestra. Quare attéritis pópulum méum, & fácies paúperum commólitis, dicit Dóminus Deus exercítuum? Et dixit Dóminus: Pro eo quòd elevátæ sunt fíliæ Sion, & ambulavérunt exténto collo, & nútibus oculórum ibant, & plaudébant, ambulábant pédibus suis, & compósito gradu incedébant; decalvábit Dóminus vérticem filiárum Sion, & Dóminus crinem ea

rum nudábit.

℟. iij. Purgábit Dóminus filios, & colábit eos quasi aurum & quasi argéntum; * Et placébit Dómino sacrificium Juda & Jerúsalem, sicut anni antíqui. ℣. Dóminus ad judícium véniet cum sénibus pópuli sui & princípibus ejus. * Et. Glória. * Et. *Mal.* 3. *Is.* 3.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. g. Non tardat Dóminus promissiónem suam; advéniet dies Dómini. 2. *Petr.* 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Cùm vidéritis hæc ómnia, scitóte quia propè est in jánuis. *Matth.* 24.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 4.

ET apprehéndent septem mulíeres virum unum in die illa, dicéntes: Panem nostrum comedémus, & vestiméntis nostris operiémur: tantúmmodò invocétur nomen tuum super nos, aufer oppróbrium nostrum. In die illa, erit germen Dómini in magnificéntia & glória, & fructus terræ sublímis, & exultátio his qui salváti fúerint de Israël. Et erit: Omnis qui relíctus fúerit in Sion, & resíduus in Jerúsalem, sanctus vocábitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerúsalem. Si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, & sánguinem Jerúsalem láverit de médio ejus, in spíritu judícii & spíritu ardóris. Et creábit Dóminus super omnem locum montis Sion, & ubi invocátus est, nubem per diem, & fumum & splendórem ignis flammántis in nocte: super omnem enim glóriam protéctio. Et tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æstu, & in securitátem, & absconsiónem à túrbine, & à plúvia.

℟. j. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, & suscitábo David germen justum, & regnábit Rex, & sápiens erit; * Et salvábitur Juda, & Israël habitábit confidénter. ℣. Tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æstu, & à túrbine, & à plúvia; * Et salvábitur. *Jer.* 3. *Is.* 4.

Lectio ij. *Cap.* 5.

CAntábo dilécto meo cánticum patruélis mei víneæ suæ. Vínea facta est dilécto meo in cornu filio ólei. Et sepívit eam, & lápides elégit ex illa, & plantávit eam eléctam, & ædificávit turrim in médio ejus, & tórcular exstrúxit in ea: & exspectávit ut fáceret uvas, & fecit labrúscas. Nunc ergo habitatóres Jerúsalem, & viri Juda, judicáte inter me & víneam meam. Quid est quod débui ultrà fácere víneæ meæ, &

non feci eitan quòd exſpectávi ut fáceret uvas, & fecit labrúſcas? Et nunc oſténdam vobis quid ego fáciam víneæ meæ: aúferam ſepem ejus, & erit in direptiónem: dírŭam macériam ejus, & erit in conculcatiónem. Et ponam eam desértam: non putábitur, & non fodiétur: & aſcéndent vepres & ſpinæ, & núbibus mandábo ne pluant ſuper eam imbrem. Vínea enim Dómini exercítuum, domus Iſraël eſt: & vir Juda, germen ejus delectábile: & exſpectávi ut fáceret judícium, & ecce iníquitas; & juſtítiam, & ecce clamor.

℟. ij. Ego plantávi te víneam eléctam, omne ſemen verum; quómodo ergo convérſa es mihi in pravum vínea aliéna? * Ideo auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejus. ℣. Exſpectávi ut fáceret judícium, & ecce iníquitas; juſtítiam, & ecce clamor: * Ideo. *Jerem.* 2. *Matth.* 21. *Iſ.* 5.

Lectio. iij.

VÆ qui conjúngitis domum ad domum, & agrum agro copulátis uſque ad términum loci: numquid habitábitis vos ſoli in médio terræ? ... Væ qui conſúrgitis manè ad ebrietátem ſectándam, & potándum uſque ad véſperam, ut vino æſtuétis. Cíthara, & lyra, & tympanum, & tíbia, & vinum in convíviis veſtris: & opus Dómini non reſpícitis, nec ópera mánuum ejus conſiderátis. Proptéreà captívus ductus eſt pópulus meus, quia non hábuit ſciéntiam, & nóbiles ejus interiérunt fame, & multitúdo ejus ſiti exáruit. Proptéreà dilatávit inférnus ánimam ſuã, & apéruit os ſuum abſque ullo término: & deſcéndent fortes ejus, & pópulus ejus, & ſublímes glorioſíque ejus, ad eum. Et incurvábitur homo, & humiliábitur vir, & óculi ſublímium depriméntur. Et exaltábitur Dóminus exercítuum in judício, & Deus ſanctus ſanctificábitur in juſtítia. Et paſcéntur agni juxta órdinem ſuum, & deſérta in ubertâtem verſa ádvenæ comedent. Væ qui tráhitis iniquitátem in funículis vanitátis, & quaſi vínculum plauſtri peccátum.

℟. iij. Atténdite vobis ne fortè gravéntur corda veſtra in crápula & ebrietáte, & ſupervéniat in vos repentína dies illa. * Vigiláte itaque, ut digni habeámini fúgere iſta ómnia, & ſtare ante Fílium hóminis. ℣. Væ qui conſúrgitis manè ad ebrietátem ſectándam, & potándum uſque ad véſperam. * Vigiláte. Glória. * Vigiláte. *Luc.* 21. *Iſ.* 5.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Quales opórtet vos esse in sanctis conversatiónibus, exspectántes & properántes in advéntum diéi Dómini. 2. *Pet.* 3

Ad Magníficat, *Ant.* 4. A. Quærite Dóminum dum inveníri potest, invocáte eum dum propè est. *Isai.* 55.

FERIA QUARTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 5. 20.

VÆ qui dícitis malum bonum, & bonum malum: ponéntes ténebras lucem, & lucem ténebras: ponéntes amárum in dulce, & dulce in amárum. Væ qui sapiéntes estis in óculis vestris, & coram vobísmetípsis prudéntes. Væ qui poténtes estis ad bibéndum vinum, & viri fortes ad miscéndam ebrietátem: qui justificátis ímpium pro munéribus, & justítiam justi aufértis ab eo. Propter hoc, sicut dévorat stípulam lingua ignis, & calor flammæ exúrit; sic radix eórum quasi favílla erit, & germen eórum ut pulvis ascéndet. Abjecérunt enim legem Dómini exercítuum, & elóquium sancti Israël blasphemavérunt. Ideo irátus est furor Dómini in pópulum suum, & exténdit manum suam super eum, & percússit eum: & conturbáti sunt montes, & facta sunt morticína eórum quasi stercus in médio platearum. In his ómnibus non est avérsus furor ejus, sed adhuc manus ejus exténta.

℟. j. Violábant me ad pópulum meum, propter pugíllum hórdei & fragmen panis, ut interfícerent ánimas quæ non moriúntur, & vivificárent ánimas quæ non vivunt, *Mentiéntes pópulo meo credénti mendáciis. ℣. Væ qui justificátis ímpium pro munéribus, & justítiam justi aufértis ab eo, * Mentiéntes. *Ezech.* 13. *Is.* 5.

Lectio ij.

ET elevábit signum in natiónibus procul, & sibilábit ad eum de fínibus terræ: & ecce festínus velóciter véniet. Non est defíciens neque labórans in eo: non dormitábit neque dórmiet, neque solvétur cíngulum renum ejus, nec rumpétur corrígia calceaménti ejus. Sagíttæ ejus acútæ, & omnes arcus ejus exténti. Ungulæ equórum ejus ut silex, & rotæ ejus quasi ímpetus tempestátis. Rugítus ejus ut leónis, rúgiet ut cátuli leónum: & frendet, & tenébit prædam: & amplexábitur, & non erit qui éruat. Et sonábit super eum in die illa sicut sónitus maris: aspiciémus in terram, & ecce ténebræ tribulatiónis, & lux obtenebráta est in calígine ejus.

℟. ij. Parébit signum Fílii hóminis in cælo ; * Et vidébunt eum veniéntem cum virtúte multa & majestáte. ℣. Elevábit Dóminus signum in natiónibus procul, & ecce festínus velóciter véniet. * Et. *Matth.* 14. *Is.* 5.

Lectio iij. *Cap.* 6.

IN anno, quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum : & ea quæ sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud. Et clamábant alter ad álterum, & dicébant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus exercítuum, plena est omnis terra glóriâ ejus. Et dixi : Væ mihi, quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego sum, & in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego hábito, & regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volávit ad me unus de Séraphim, & in manu ejus cálculus, quem fórcipe túlerat de altári. Et tétigit os meum, & dixit : Ecce tétigit hoc lábia tua, & auferétur iníquitas tua, & peccátum tuum mundábitur. Et audívi vocem Dómini dicéntis : quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade, & dices pópulo huic : Audíte audiéntes, & nolíte intellígere : & vidéte visiónem, & nolíte cognóscere. Excæca cor pópuli hujus, & aures ejus ággrava : & óculos ejus claude : ne fortè vídeat óculis suis, & áuribus suis aúdiat, & corde suo intélligat, & convertátur, & sanem eum.

℟. iij. Non póterant crédere, quia dixit Isaías : Excæcávit óculos eórum, * Ut non vídeant óculis, & non intélligant corde, & convertántur, & sanem eos. ℣. Excæca cor pópuli hujus, & aures ejus ággrava, & óculos ejus claude, * Ut non. Glória. * Ut non. *Joan.* 12. *Is.* 6.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Grátia vobis & pax à Deo, ut nihil desit in ulla grátia, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi. 1. *Cor.* 1.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Ecce vénio ; beátus qui vígilat, & custódit vestiménta sua, ne nudus ámbulet. *Apoc.* 16.

FERIA QUINTA.

De Isáia Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 7.

DIxit Dóminus ad Isaíã : Egrédere in occúrsum Achaz tu, & qui derelíctus est Jasub fílius tuus, ad extrémum aquæductûs piscínæ superióris in via Agri fullónis. Et dices ad eum : Vide ut síleas : noli timére, & con

tuum ne formídet à duabus caudis titiónum fumigántium istórum in ira furóris Rasin regis Syriæ, & filii Romélia: eò quòd consílium iníerit contra te Syria in malum Ephraïm, & fílius Romélia, dicéntes: Ascendámus ad Judam, & suscitémus eum, & avellámus eum ad nos, & ponámus regem in médio ejus filium Tábeel. Hæc dicit Dóminus Deus: Non stabit, & non erit istud.

℟. *j.* Veníte, & revertámur ad Dóminum, quia ipse cepit, & sanábit nos; percútiet & curábit nos & vivificábit nos, * Et suscitábit nos. ℣. Ascendámus ad Judam, & suscitémus eum. * Et. *Os. 6. Is. 7.*

Lectio ij.

ET adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo domus David: Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus, quia moléſti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce virgo concípiet, & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Bútyrum & mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, & elígere bonum.

℟. *ij.* Ne tímeas María; ecce concípies in útero, & páries filium, * Et vocábis nomen ejus Jesum. ℣. Dabit Dóminus vobis signum: Ecce virgo concípiet, & páriet fílium; * Et vocábis. *Luc. 1. Is. 7.*

Lectio iij. *Cap. 8.*

ET adjécit Dóminus loqui ad me adhuc, dicens: Pro eo quòd abjécit pópulus iste aquas Síloë, quæ vadunt cum siléntio, & assúmpsit magis Rasin, & filium Romélia: Propter hoc ecce Dóminus addúcet super eos aquas flúminis fortes & multas, regem Assyriórum, & omnem glóriam ejus: & ascéndet super omnes rivos ejus, & fluet super univérsas ripas ejus, & ibit per Judam, inúndans, & tránsiens usque ad collum véniet. Et erit exténsio alárum ejus, implens latitúdinem terræ tuæ, ô Emmánuel. Congregámini pópuli, & vincímini, & audíte univérsæ procul terræ: confortámini, & vincímini, accíngite vos, & vincímini: iníte consílium, & dissipábitur: loquímini verbum, & non fiet: quia nobíscum Deus. Hæc enim ait Dóminus ad me: Sicut in manu forti erudívit me, ne irem in via pópuli hujus, dicens: Non dicátis, Conjurátio: ómnia enim quæ lóquitur pópulus

iste, conjurátio est: & timórem ejus ne timeátis, neque paveátis.

℟. iij. Hic erit magnus; & dabit illi Dóminus sedem David patris ejus; * Et regnábit in domo Jacob in ætérnum. ℣. Erit exténsio alárum ejus implens latitúdinem terræ tuæ, ô Emmánuel, * Et. Glória. * Et. *Luc.* 1. *Is.* 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. 2. Satágite immaculáti & inviolati ei inveníri in pace. 2. *Petr.* 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, ut cùm vénerit, aperiátis ei. *Luc.* 12.

FERIA SEXTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 8.

DOminum exercítuum ipsum sanctificáte: ipse pavor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificatiónem. In lápidem autem offensiónis, & in petrá scándali, duábus dómibus Israël; in láqueum & in ruínam habitántibus Jerúsalem. Et offéndent ex eis plúrimi, & cadent, & conteréntur, & irretiéntur, & capiéntur. Liga testimónium, signa legem in discípulis meis. Et exspectábo Dóminum, qui abscóndit fáciem suam à domo Jacob, & præstolábor eum. Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus in signum & in porténtum Israël à Dómino exercítuum, qui hábitat in monte Sion. Et cùm díxerint ad vos: Quærite à pythónibus, & à divínis, qui strident in incantatiónibus suis: Numquid non pópulus à Deo suo requíret, pro vivis à mórtuis? Ad legem magis, & ad testimónium. Quòd si non díxerint juxta verbum hoc, non erit eis matutína lux.

℟. j. Dóminum exercítuum ipsum sanctificáte; * Et erit vobis in sanctificatiónem, in lápidem autem offensiónis duábus dómibus Israël. ℣. Ecce pósitus est hic in ruínam & in resurrectiónem multórum in Israël. * Et erit. *Is.* 8. *Luc.* 2.

Lectio ij. *Cap.* 10.

VÆ qui condunt leges iníquas: & scribéntes, injustítiam scripsérunt; ut opprímerent in judício páuperes, & vim fácerent causæ humílium pópuli mei: ut essent víduæ præda eórum, & pupíllos diríperent. Quid faciétis in die visitatiónis, & calamitátis de longè veniéntis? Ad cujus confugiétis auxílium? & ubi derelinquétis glóriam vestram? Ne incurvémini sub vínculo, & cum interféctis cadátis. Super ómnibus his non est avérsus furor ejus,

sed adhuc manus ejus exténta... Væ Assur, virga furóris mei & báculus ipse est, in manu eórum indignátio mea. Ad gentem fallácem mittam eum, & contra pópulum furóris mei mandábo illi ut aúferat spólia, & dirípiat prædam, & ponat illum in conculcatiónem quasi lutum plateárum.

℟. ij. Unusquísque nostrûm pro se ratiónem reddet Deo: non ergo ámpliùs ínvicem judicémus; sed * Hoc judicáte magis ne ponátis offendículum fratri vel scándalum. ℣. Væ qui condunt leges iníquas, ut opprímerent in judício paúperes: quid faciétis in die visitatiónis? * Hoc. *Rom.* 14.

Lectio iij.

ET erit cùm impléverit Dóminus cuncta ópera sua in monte Sion, & in Jerúsalem, visitábo super fructum magnífici cordis regis Assur, & super glóriam altitúdinis oculórum ejus. Dixit enim: In fortitúdine manûs meæ feci, & in sapiéntia mea intelléxi: & ábstuli términos populórum, & príncipes eórum deprædátus sum, & detráxi quasi potens in sublími residéntes... Numquid gloriábitur secúris contra eum, qui secat in ea? aut exaltábitur serra contra eum, à quo tráhitur? quómodo si elevétur virga contra elevántem se, & exaltétur báculus, qui útique lignum est. Propter hoc mittet dominátor Dóminus exercítuum in pínguibus ejus tenuitátem: & subtus glóriam ejus succénsa ardébit quasi combústio ignis... Et erit in die illa: non adjíciet resíduum Israël, & hi qui fúgerint de domo Jacob, inníti super eo qui pércutit eos: sed innitétur super Dóminum Sanctum Israël in veritáte. Relíquiæ converténtur, relíquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.

℟. iij. Ecce dies véniet succénsa quasi camínus; & erunt omnes supérbi & omnes faciéntes impietátem stípula, * Et inflammábit eos dies véniens. ℣. Et erit lumen Israël in igne, & sanctus ejus in flamma. * Et inflammábit. Glória.* Et. *Malach.* 4. *If.* 10

Ad Benedictus, *Ant.* 1. a. Venit dies Dómini magnus & maniféstus: quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. *Act.* 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. f. Sicut fulgur corúscans de sub cælo in ea, quæ sub cælo sunt, fulget: ita erit Fílius hóminis in die sua. *Luc.* 17.

SABBATO.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 11.

EGredíétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum spíritus Dómini, spíritus sapiéntiæ & intelléctûs, spíritus consílii & fortitúdinis, spíritus sciéntiæ & pietátis, & replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndùm visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum aúrium árguet: sed judicábit in justítia paúperes, & árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris sui, & spíritu labiórũ suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus; & fides, cinctórium renum ejus. Habitábit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubábit: vítulus & leo & ovis simul morabúntur, & puer párvulus minábit eos.

℟. j. In die illa erit germen Dómini in magnificéntia & glória, * Et fructus terræ sublímis, & exultátio his qui salváti fúerint. ℣. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet. * Et qui. *Rom.* 15. *Is.* 11.

Lectio ij.

VItulus & ursus pascéntur: simul requiéscent cátuli eórum: & leo quasi bos cómedet páleas. Et delectábitur infans ab úbere super forámine áspidis: & in cavérna réguli, qui ablactátus fúerit, manum suam mittet. Non nocébunt, & non occídent in univérso monte sancto meo: quia repléta est terra sciéntiâ Dómini, sicut aquæ maris operiéntes. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, & erit sepúlcrum ejus gloriósum. Et erit in die illa, Adjíciet Dóminus secúndò manum suam ad possidéndum resíduum pópuli sui, quod relinquétur ab Assyriis, & ab Ægypto, & à Phetros, & ab Æthiópia, & ab Ælam, & à Sénnaar, & ab Emath, & & ab ínsulis maris. Et levábit signum in natiónes, & congregábit prófugos Israël, & dispérsos Juda cólliget à quátuor plagis terræ. Et auferétur zelus Ephraïm, & hostes Juda períbunt: Ephraïm non æmulábitur Judam, & Judas nõ pugnábit contra Ephraïm.

℟. ij. Alias oves hábeo quæ non sunt ex hoc ovíli, & illas opórtet me addúcere; * Et fiet unum ovíle, & unus pastor. ℣. Levábit signum in natiónes, & congregábit prófugos Israël, & dispérsos Juda cólliget à quátuor plagis terræ; * Et fiet. *Joan.* 10. *Is.* 11.

Lectio iij. *Cap.* 13.

ONus Babylónis, quod vidit Isaías fílius Amos.

Super montem caliginósum leváte signum, exaltáte vocē, leváte manum, & ingrediántur portas duces. Ego mandávi sanctificátis meis, & vocávi fortes meos in ira mea, exultántes in glória mea. Vox multitúdinis in móntibus, quasi populórum frequéntium: vox sónitus regum, géntium congregatárum: Dóminus exercítuum præcépit milítiæ belli, veniéntibus de terra procul, à summitáte cæli: Dóminus, & vasa furóris ejus, ut dispérdat omnem terram. Ululáte, quia propè est dies Dómini: quasi vástitas à Dómino véniet. Propter hoc, omnes manus dissolvéntur, & omne cor hóminis contabéscet, & conterétur. Torsiónes & dolóres tenébunt; quasi partúriens, dolébunt: unusquísque ad próximum suum stupébit; fácies combústæ, vultus eórum.

℟. *iij.* Réquies Sábbati sanctificáta est Dómino cras; * Et manè vidébitis glóriam Dómini. ℣. Quodcúmque operándum est, fácite; * Et. Glória. * Et. *Exod.* 16.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Præparáre in occúrsum Dei tui Israël, quia ecce formans montes & grádiens super excélsa terræ, Dóminus Deus exercítuum nomen ejus. *Amos* 4.

AD VESPERAS,

Semiduplex.

Antiphonæ, ut in Psalterio.

Capitulum. Rom. 13. 11.

FRatres, Hora est jam nos de somno súrgere; nunc enim própior est nostra salus, quàm cùm credídimus.

Hymnus, Cónditor. *&* ℣. Excita. *ut Sabbato præcedenti.*

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. *Matth.* 11.

Oratio, Excita Dómine corda. *ut infrà ad Laud. Mat.*

Et fit Commemor. de B. V. Maria, ut suprà pag. 175.

Completorium ut Sabbato præcedenti.

DOMINICA II.

ADVENTUS.

Invitatorium, Desiderátum. *Antiphonæ omnes, Hymni,* ℣. *& ad Horas Capitula &* ℟. *bre. ut in Dominica I. Adventûs.*

IN I. NOCT.

De Isáia Prophéta.

Lectio j. Cap. 13. *v.* 9.

ECce dies Dómini véniet, crudélis, & indignatiónis plenus, & iræ furorísque, ad ponéndam terram in solitúdinem, & peccatóres ejus conteréndos de ea: quóniam stellæ cæli, & splendor eárum non expándent lumen suum: obtenebrátus est sol in ortu suo, & luna non splen-

débit in lúmine suo. Et visitábo super orbis mala, & contra ímpios iniquitátem eórum, & quiéscere fáciam supérbiam infidélium, & arrogántiam fórtium humiliábo. Pretiósior erit vir auro, & homo mundo obrízo. Super hoc cælum turbábo: & movébitur terra de loco suo propter indignatiónem Dómini exercítuum, & propter diem iræ furóris ejus... Omnis, qui invéntus fúerit, occidétur: & omnis, qui supervénerit, cadet in gládio. Infántes eórum allidéntur in óculis eórum: diripiéntur domus eórum, & uxóres eórum violabúntur. Ecce ego suscitábo super eos Medos, qui argéntum non quærant, nec aurum velint: sed sagíttis párvulos interficient, & lactántibus úteris non miserebúntur, & super filios non parcet óculus eórum. Et erit Bábylon illa gloriósa in regnis, ínclyta supérbia Chaldæórum: sicut subvértit Dóminus Sódomam & Gomórrham.

℟. *j.* Iste dies, *ut in Dominica I. Adventûs, pag.* 167.

Lectio ij. *Cap.* 14.

PRopè est ut véniat tempus ejus, & dies ejus non elongabúntur. Miserébitur enim Dóminus Jacob, & éliget adhuc de Israël, & requiéscere eos fáciet super humum suam: adjungétur ádvena ad eos, & adhærébit dómui Jacob. Et tenébunt eos pópuli, & addúcent eos in locum suum: & possidébit eos domus Israël super terram Dómini in servos & ancíllas: & erunt capiéntes eos, qui se céperant, & subjícient exactóres suos. Et erit in die illa: cùm réquiem déderit tibi Deus à labóre tuo, & à concussióne tua, & à servitúte dura, quâ antè servísti: Sumes parábolam istam contra regem Babylónis, & dices: Quómodò cessávit exáctor, quiévit tribútum? Contrívit Dóminus báculum impiórum, virgam dominántium, cædéntem pópulos in indignatióne, plagâ insanábili, subjiciéntem in furóre gentés, persequéntem crudéliter. Conquiévit & síluit omnis terra, gavísa est & exultávit: Abíetes quoque lætátæ sunt super te, & cedri Líbani: ex quo dormísti, non ascéndet qui succídat nos.

℟. *ij.* Dies sanctificátus, *p.* 4

Lectio iij.

QUómodo cecidísti de cælo lúcifer, qui manè oriebáris? corruísti in terram, qui vulnerábas gentes, qui dicébas in corde tuo: In cælum conscéndam, super astra Dei exaltábo sólium meum, sedébo in monte testaménti, in latéribus Aquilónis. Ascén-

lum super altitúdinem núbiũ, símilis ero Altíssimo. Verúmtamen ad inférnum detrahéris in profúndum laci. Qui te víderint, ad te inclinabúntur, téque prospícient: Numquid iste est vir qui conturbávit terram, qui concússit regna, qui pósuit orbem desértum, & urbes ejus destrúxit, vinctis ejus non apéruit cárcerem.

℟. iij. Pascha nostrum, *p.* 4.

IN II. NOCT.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio iv. *Cap.* 2. *v.* 11.

NOn est accéptio personárum apud Deum. Quicúmque enim sine lege peccavérunt, sine lege períbunt: & quicúmque in lege peccavérunt, per legem judicabúntur; non enim auditóres legis justi sunt apud Deum, sed factóres legis justificabúntur. Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturáliter ea, quæ legis sunt, fáciunt, ejúsmodi legem non habéntes, ipsi sibi sunt lex: qui osténdunt opus legis scriptum in córdibus suis, testimónium reddénte illis consciéntiâ ipsórum, & inter se invicem cogitatiónibus accusántibus, aut étiam defendéntibus; in die cùm judicábit Deus occúlta hóminum, secúndùm Evangélium meum per Jesum Christum. Si autem tu Judæus cognomináris, & requiéscis in lege, & gloriáris in Deo: & nosti voluntátem ejus, & probas utilióra, instrúctus per legem, confídis teípsum esse ducem cæcórum, lumen eórum qui in ténebris sunt, eruditórem insipiéntium, magístrum infántium, habéntem formam sciéntiæ & veritátis in lege. Qui ergo álium doces, teípsum non doces.

℟. iv. Trádidit illos Deus in réprobum sensum, ut fáciant ea quæ non convéniunt; qui cùm justítiam Dei cognovíssent, non intellexérunt * Quóniam qui tália agunt digni sunt morte. ℣. Visitábo super orbis mala, & contra ímpios iniquitátem; * Quóniam. *Rom.* 1. *Is.* 13.

Lectio v.

QUi in lege gloriáris; per prævaricatiónem legis Deum inhonóras. (Nomen enim Dei per vos blasphemátur inter Gentes, sicut scriptum est.) Circumcísio quidem prodest, si legem obsérves: si autem prævaricátor legis sis, circumcísio tua præpútium facta est. Si ígitur præpútium justítias legis custódiat, nonne præpútium illíus in circumcisiónem reputábitur? Et judicábit id, quod ex natúra est præpútiũ, legẽ consúmmans,

te, qui per litteram & circumcisiónem prævaricátor legis es? Non enim qui in manifésto, Judæus est: neque quæ in manifésto, in carne, est circumcísio: Sed qui in abscóndito, Judæus est: & circumcísio cordis in spíritu, non líttera: cujus laus non ex homínibus, sed ex Deo est.

℟. *v*. Circumcísio nihil est, & præpútium nihil est, sed observátio mandatórum Dei. * Nos sumus circumcísio qui spíritu servímus Deo, & gloriámur in Christo Jesu. ℣. In Christo Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. * Nos. 1. *Cor*. 7. *Galat*. 6.

Lectio vj. *Cap.* 3.

QUid ergo ámpliùs Judæo est? aut quæ utílitas circumcisiónis? Multum per omnem modum. Primùm quidem quia crédita sunt illis elóquia Dei. Quid enim si quidam illórum non credidérunt? Numquid incredúlitas illórum fidem Dei evacuábit? Absit. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut justificéris in sermónibus tuis: & vincas cùm judicáris. Si autem iníquitas nostra justítiam Dei commméndat, quid dicémus? Numquid iníquus est Deus, qui infert iram? (Secúndùm hóminem dico,) Absit. Alióquin quómodo judicábit Deus hunc mundum? Si enim véritas Dei in meo mendácio abundávit in glóriam ipsíus; quid adhuc & ego tamquam peccátor júdicor? Et non (sicut blasphemámur, & sicut áiunt quidam nos dícere) faciámus mala, ut véniant bona: quorum damnátio justa est. Quid ergo? præcéllimus eos? Nequáquam. Causáti enim sumus, Judæos & Græcos omnes sub peccáto esse, sicut scriptum est: Quia non est justus quisquam: Non est intélligens, non est requírens Deum.

℟. *vj*. Ecce venit Dóminus in sanctis míllibus suis fácere judícium, & * Argúere omnes ímpios de ómnibus opéribus impietátis eórum, & de ómnibus duris quæ locúti sunt contra Deum. ℣. Dóminus ad judícium véniet cum sénibus pópuli sui, & princípibus ejus * Argúere. Glória. * Argúere. *Judæ* 14. *Is*. 3.

In III. Noct.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 11.

IN illo témpore: Cùm audísset Joánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et respóndens Jesus ait illis: Eúntes renun-

ciate Joánni quæ audístis & vidístis : Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, paúperes evangelizántur : & beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus cœpit Jesus dícere ad turbas de Joánne : Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

37. in Matth. cap. 11.

JEsus qui mentem Joánnis non ignorábat, non dicit: Respondéte Joánni, quia ego sum; sed quamvis ad interrogatiónem cónsequens erat, tamen quóniam póterat turbáre auditóres, ut ab ipsis rebus possent quod quærébant perdíscere, sédulò facit. Scríbitur enim ipsum multos tunc curásse cùm advenís- sent; & certè non erat cónsequens cùm interrogátus esset, Tune Christus es ad quæsítum quidem nihil repondísse, sed conféstim multos ægrotántes curásse, nisi hoc fácere voluísset quod díximus: cùm nemo ignóret, testimónium quod à rebus tráhitur, cértius esse quàm verbórum, & absque ulla suspicióne. Quia ergo sicut Deus quâ mente misísset Joánnes, non erat néscius; cæcos, claudos, aliísque morbis plúrimis laborántes íllicò curávit; non ut Joánnes hæc dísceret, non indigébat enim his ille qui credébat : sed ut discípulos ejus ambigéntes attráheret. Quibus adjécit, Et beátus est qui non scandalizátur in me. Ex quo illis osténdit non esse sibi occúltas cogitatiónes eórum. Quòd si respondísset, Ego sum : & offendísset nempe ipsos respónsum hoc, & dixíssent, aut certè cogitássent, quòd Judæi crebrò solent dícere, tu de te ipso testimónium pérhibes : idcírco non ita dicit; sed signis ipsos ad fidem addúcit, ut & omni suspicióne doctrína ejus cáreat, & dilucídior sit; quaprópter occúltè ipsos arguéndo momórdit.

℟. vij. Deus ipse véniet, & salvábit vos; tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures surdórum patébunt; * Tunc sáliet sicut cervus, claudus; & apérta erit lingua mutórum. ℣. Redémpti à Dómino converténtur, & vénient in Sion cum laude. * Tunc sáliet. Is. 35.

Lectio viij.

NAm cùm illi scándalum propter ipsum paterén- tur, passiónem mentis eórum ita detéxit, ut nullus hujus rei testis esse posset; sed consciéntiæ ipsórum qui sibi ipsis

cónscii erant, res tota relícta sit, quantum in ipso scándalum pateréntur, ac ideò attráxit eos, dicens: Beátus est qui non scandalizátur in me; illos enim notans ista dicébat. Verùm ut véritas úndique collucéscat, illa étiam quæ ab áliis hoc in loco dicúntur, in médium protrahámus, ut ex illórum comparatióne véritas maniféstior reddátur. Negant ígitur nonnúlli, ea de causa quæ jam dicta est, ad interrogándum misísse Joánnem, sed quia ignorábat: ignorábat autem (áiunt) non totum mystérium, sed ipsum quidem esse Christum non ambigébat: utrùm verò pro homínibus morti traderétur, an non, id dubitábat; proptérea étiam interrogábat, dicens: Túne es ille qui ventúrus es? id est, túne ipse ad ínferos descéndes? Sed nullâ prorsus hic sermo ratióne comprobári potest. Non enim ignorábat hoc Joánnes, qui hoc ante álios máximè prædicávit.

℟. viij. Joánnes testimónium pérhibet de Christo, & clamat dicens: Qui post me ventúrus est, * Ante me factus est, quia prior me erat; & de plenitúdine ejus nos omnes accépimus. ℣. Illum opórtet créscere, me autem mínui: qui desúrsum venit, super omnes est. * Ante me. Joan. 1. & 3.

Ex Homília S. Gregórii Papæ
Lectio ix. 6. *in Evang.*

SEd dimíssis Joánnis discípulis, quid de eódem Joánne turbis dicat, audiámus. Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Quod vidélicet non asserendo, sed negándo íntulit. Arúndinem quippe mox ut aura contígerit, in partem álteram infléctit. Et quid per arúndinem, nisi carnális ánimus designátur, qui mox ut favóre, vel detractióne tángitur, statim in partem quàmlibet inclinátur? Sed arúndo vento agitáta Joánnes non erat, quem à statûs sui rectitúdine nulla rerum várietas inflectébat. Sed quid exístis in desértum vidére? Prophétam? Etiam, dico vobis & plusquàm Prophétam. Prophétæ quippe ministérium est, ventúra prædícere, non étiam demonstráre. Joánnes ergo plusquàm Prophéta est, quia eum quem præcurréndo prophetáverat, étiam ostendéndo monstrábat.

℟. ix. Segregávit me Dóminus ex útero matris meæ, ut reveláret Fílium suum in me; * Et ego testimónium perhíbui, quia hic est Fílius Dei. ℣. Qui misit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit:

Hic est qui baptízat in Spíritu sancto; * Et. Glória. ℟. Segregávit. *Gal.* 1. *Joan.* 1.

Ad Laudes Matutinas.

℣. *Sacerd. & Aña ut in Dominica I. Adventûs, p.* 172.

Capitulum. *Rom.* 13.

NOx præcéssit, dies autem appropinquávit: abjiciamus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis: sicut in die honéstè ambulémus.

Hymnus & ℣. ut in Dom. I. Adventûs.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Eúntes renuntiáte Joánni quia cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi aúdiunt, mórtui resúrgunt, paúperes evangelizántur. *Luc* 7.

Oratio.

EXcita Dómine corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias, ut per ejus advéntum purificátis tibi méntibus servíre mereámur; Qui tecum.

Fit Commemoratio de B. V. Maria, ut suprà pag. 175.

Ad Horas,

Antiphonæ de Laudib. Mat. Dom. I. Advent. quartâ prætermissâ. Capitula & ℟. br. ut in Dom. I. Adventûs.

Ad Vesperas.

Aña, Ecce Dóminus, *&c. ut in Vesp. Dom. I. Advent. pag.* 174.

Capitulum. *Rom.* 13. 14.

FRatres, Induímini Dóminum Jesum Christum, & carnis curam ne fecéritis in desidériis.

Hymnus, Cónditor. *p.* 165.

℣. Emítte Agnum. *in Vesp. Dom. I. Advent. pag.* 174.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *d.* * Illis abeúntibus, cœpit Jesus dícere ad turbas de Joánne: Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? hóminem móllibus vestítum? Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. *Matth.* 11.

Oratio, Excita Dómine corda, *ut suprà ad Laud. Matut.*

Et fit Commemoratio de B. V. Maria, ut suprà pag. 175.

FERIA SECUNDA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 16. *&* 17.

EMitte Agnum Dómine dominatórem terræ, de Petra desérti ad Montem fíliæ Sion... Et præparábitur in misericórdia sólium, & sedébit super illud in veritáte in tabernáculo David, júdicans & quærens judícium, & velóciter reddens quod justum est... Onus Damásci. Ecce Damáscus désinet esse cívitas, & erit sicut acérvus lápidum in ruína. Derelíctæ civitátes Aroër grégibus erũt, & requiéscent ibi, & non erit

qui extérreat. Et cessábit adjutórium ab Ephraïm, & regnum à Damásco: & relíquiæ Syriæ sicut glória filiórum Israël erunt : dicit Dóminus exercítuum. Et erit in die illa, attenuábitur glória Jacob, & pinguédo carnis ejus marcéscet.

℟. *j.* Germináre fáciam David germen justítiæ; & fáciet judícium & justítiam in terra. * Et hoc est nomen quod vocábunt eum, Dóminus justus noster. ℣. Præparábitur in misericórdia sólium, & sedébit super illud in veritáte júdicans, & quærens judícium. * Et hoc. *Jerem.* 33. *Is.* 16.

Lectio ij. *Cap.* 17. *v.* 7.

IN die illa inclinábitur homo ad Factórem suum, & óculi ejus ad sanctum Israël respícient; & non inclinábitur ad altária, quæ fecérunt manus ejus : & quæ operáti sunt dígiti ejus non respíciet, lucos & delúbra. In die illa erunt civitátes fortitúdinis ejus derelíctæ sicut arátra, & ségetes quæ derelíctæ sunt à fácie filiórum Israël; & eris desérta, quia oblíta es Dei salvatóris tui, & fortis adjutoris tui non es recordáta : proptérea plantábis plantatiónem fidélem, & germen aliénum seminábis. In die plantatiónis tuæ labrúsca, & manè semen tuum florébit : abláta est messis in die hereditátis, & dolébit gráviter. Væ multitúdini populórum multórũ, ut multitúdo maris sonántis : & tumúltus turbárum, sicut sónitus aquárum multárum. Sonábunt pópuli sicut sónitus aquárum inundántium, & increpábit eum, & fúgiet procul : & rapiétur sicut pulvis móntium à fácie venti, & sicut turbo coram tempestáte. In témpore véspere, & ecce turbátio : in matutíno, & non subsístet. Hæc est pars eórum, qui vastavérunt nos, & sors diripiéntium nos.

℟. *ij.* Ecce venit. *sine Gloria Patri.*

Lectio iij. *Cap.* 18.

VÆ terræ cymbálo alárum, quæ est trans flúmina Æthiópiæ, qui mittit in mare legátos, & in vasis pápyri super aquas. Ite ángeli velóces ad gentem convúlsam, & dilacerátam : ad pópulum terríbilem, post quem non est álius : ad gentem exspectántem & conculcátam, cujus diripuérunt flúmina terram ejus. Omnes habitatóres orbis, qui morámini in terra, cùm elevátum fúerit signum in móntibus, vidébitis, & clangórem tubæ audiétis; quia hæc dicit Dóminus ad me: Quiéscam, & considerábo in loco meo sicut meridiána lux clara est, & sicut nubes roris

in

in die messis. Ante messem enim totus effloruit, & immatúra perféctio germinábit, & præcidéntur ramúsculi ejus fálcibus; & quæ derelícta fúerint, abscindéntur, & excutiéntur. Et relinquéntur simul ávibus móntium, & béstiis terræ: & æstáte perpétuâ erunt super illum vólucres, & omnes béstiæ terræ super illum hiemábunt. In témpore illo deferétur munus Dómino exercítuum à pópulo divúlso & dilaceráto ad locum nóminis Dómini exercítuũ montem Sion.

℞. iij. Paupércula, tempestáte concússa, absque ulla consolatióne; noli timére, † Quia dominábitur tuî qui fecit te, * Dixit Redémptor tuus Dóminus. ℣. In momento indignatiónis abscóndi fáciem meam parúmper à te, & in misericórdia sempitérna misértus sum tuî, * Dixit. Glória. † Quia. *Is.* 54.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *d.* * Sáliet sicut cervus claudus, & apérta erit lingua mutórũ. *Is.* 35

Ad Magníficat; *Ant.* 2. Spíritus Dómini super me, evangelizáre paupéribus misit me. *Luc.* 4.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 19.

Onus Ægypti. Ecce Dóminus ascéndet super nubem levem, & ingrediétur Ægyptum, & commovebúntur simulácra Ægypti à fácie ejus, & cor Ægypti tabéscet in médio ejus. Et concúrrere fáciam Ægyptios advérsùs Ægyptios: & pugnábit vir contra fratrem suum, & vir contra amícum suum, cívitas advérsùs civitátem, regnum advérsùs regnum. Et dirumpétur spíritus Ægypti in viscéribus ejus, & consílium ejus præcipitábo: & interrogábunt simulácra sua, & divínos suos, & pythones, & aríolos. Et tradam Ægyptum in manu dominórum crudélium, & rex fortis dominábitur eórum, ait Dóminus exercítuum. Stulti príncipes Táneos, sapiéntes consiliárii Pharaónis, dedérunt consílium insípiens. Quómodo dicétis Pharaóni: Fílius sapiéntium ego, fílius regum antiquórum? Ubi nunc sunt sapiéntes tui? annúntient tibi, & índicent quid cogitáverit Dóminus exercítuum super Ægyptum.

℞. j. Dispérdam simulácra, & cessáre fáciam idóla; * Et dux de terra Ægypti non erit ámpliùs. ℣. Ingrediétur Dóminus Ægyptum super nubem levem, & commovebúntur simulácra Ægypti à fácie ejus; * Et. *Ezech.* 30. *Is.* 19.

Lectio ij.

Dóminus míscuit in médio ejus spíritum vertí-

ginis : & erráre fecérunt Ægyptum in omni ópere suo, sicut errat ébrius & vomens. Et non erit Ægypto opus, quod fáciat caput & caudam incurvántem & refrenántem. In die illa erit Ægyptus quasi mulíeres, & stupébunt, & timébunt à fácie commotiónis manûs Dómini exercítuum, quam ipse movébit super eam. Et erit terra Juda Ægypto in pavórem : omnis, qui illíus fúerit recordátus, pavébit à fácie consílii Dómini exercítuum, quod ipse cogitávit super eam. In die illa erunt quinque civitátes in Terra Ægypti, loquéntes linguâ Chánaan, & jurántes per Dóminum exercítuum : Cívitas solis vocábitur una. In die illa erit altáre Dómini in médio terræ Ægypti, & títulus Dómini juxta términū ejus ; erit in signum, & in testimónium Dómino exercítuum in Terra Ægypti. Clamábunt enim ad Dóminum à fácie tribulántis, & mittet eis Salvatórem & propugnatórem, qui líberet eos.

℞. ij. Adhuc unum módicum est, & ego commovébo cælum, & terram, & mare, & áridam ; & movébo omnes gentes, * Et véniet desiderátus cunctis géntibus. ℣. Clamábunt ad Dóminum à fácie tribulántis, & mittet eis Salvatórem & propugnatórem, qui líberet eos ; * Et véniet. *Agg. 2. Is. 19.*

Lectio iij.

Et cognoscétur Dóminus ab Ægypto, & cognóscent Ægyptii Dóminum in die illa, & colent eum in hóstiis & in munéribus ; & vota vovébunt Dómino, & solvent. Et percútiet Dóminus Ægyptum plagâ, & sanábit eam, & reverténtur ad Dóminum, & placábitur eis, & sanábit eos. In die illa erit via de Ægypto in Assyrios, & intrábit Assyrius Ægyptum, & Ægyptius in Assyrios, & sérvient Ægyptii Assur. In die illa erit Israël tértius Ægyptio & Assyrio : benedíctio in médio terræ, cúi benedíxit Dóminus exercítuum, dicens : Benedíctus pópulus meus Ægypti, & opus mánuum meárum Assyrio : heréditas autem mea Israël.

℞. iij. Attenuábit Dóminus omnes deos terræ ; * Et adorábunt eum viri de loco suo, omnes ínsulæ géntium. ℣. Cognóscent Ægyptii Dóminum in die illa, & colent eum in hóstiis & munéribus, * Et Glória. * Et. *Sophon. 2. Is. 19.*

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *d.* * Sanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Israël prædicábunt, & scient errántes spíritu intelléctum. *Is. 29.*

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Unxit me Spíritus Dómini sanáre contrítos corde, dimíttere confráctos in remissiónem. *Luc.* 4.

FERIA QUARTA.

De Isáia Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 20.

LOcútus est Dóminus in manu Isáiæ filii Amos, dicens : Vade, & solve saccum de lumbis tuis, & calceaménta tua tolle de pédibus tuis; Et fecit sic, vadens nudus, & discalceátus. Et dixit Dóminus : Sicut ambulávit servus meus Isáias nudus, & discalceátus, trium annórum signum & porténtum erit super Ægyptum, & super Æthiópiam : sic minábit rex Assyriórum captivitátem Ægypti, & transmigratiónem Æthiópiæ, júvenum & senum, nudam & discalceátam, discoopértis nátibus ad ignomíniam Ægypti. Et timébunt, & confundéntur ab Æthiópia spe suâ, & ab Ægypto glóriâ suâ. Et dicet habitátor ínsulæ hujus in die illa : Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confúgimus in auxílium, ut liberárent nos à fácie regis Assyriórum : & quómodo effúgere potérimus nos ?

℟. *j.* Oculi impiórum defícient, & effúgium períbit ab eis; * Et spes illórum, abominátio ánimæ. ℣. Timébunt & confundéntur à spe sua & à glória sua. * Et spes, *Job.* 11. *Is.* 20.

Lectio ij. *Cap.* 21. *v.* 6.

HÆc dicit mihi Dóminus: Vade, & pone speculatórem : & quodcúmque víderit: annúntiet... Et clamávit leo : Super spéculam Dómini ego sum, stans júgiter per diem : & super custódiam meam ego sum, stans júgiter totis nóctibus. Ecce iste venit ascénsor vir bigæ équitum, & respóndit, & dixit : Cécidit, cécidit Bábylon, & ómnia sculptília deórum ejus contríta sunt in terram. Tritúra mea, & filii áreæ meæ, quæ audívi à Dómino exercítuum Deo Israël, annuntiávi vobis. Onus Duma ad me clamat ex Seir : Custos quid de nocte ? custos quid de nocte ? Dixit custos: Venit manè & nox : si quæritis, quærite; convertímini, veníte.

℟. *ij.* Quærétis me, & inveniétis cùm quæsiéritis me in toto corde vestro; * Et invéniar à vobis, ait Dóminus. ℣. Si quæritis, quærite; convertímini, veníte; * Et. *Jerem.* 29. *Is.* 21.

Lectio iij. *Cap.* 22.

VOcábit Dóminus Deus exercítuum in die illa ad fletum & ad planctum, ad calvítium, & ad cíngulum sacci: & ecce gáudium & lætítia, oc-

cídere vítulos & juguláre aríetes, comédere carnes, & bíbere vinum; comedámus, & bibámus: cras enim moriémur. Et reveláta est in aúribus meis vox Dómini exercítuum: Si dimittétur iníquitas hæc vobis, donec moriámini, dicit Dóminus Deus exercítuum. Vade, ingrédere ad eum qui hábitat in tabernáculo, ad Sobnam præpósitum templi, & dices ad eum: quid tu hîc, aut quasi quis hîc? quia excidísti tibi hîc sepúlcrum, excidísti in excélso memoriále diligénter, in petra tabernáculum tibi. Ecce Dóminus asportári te fáciet, sicut asportátur gallus gallináceus, & quasi amíctum sic sublevábit te. Corónans coronábit te tribulatióne, quasi pilam mittet te in terram latam & spatiósam: ibi moriéris, & ibi erit currus glóriæ tuæ, ignomínia domûs Dómini tui. Et expéllam te de statióne tua, & de ministério tuo depónam te.

℟. iij. Dixérunt ímpii, cogitántes apud se non rectè: Exíguum est tempus vitæ nostræ; veníte ergo & fruámur bonis quæ sunt; sumámus vinum, & impleámur ebrietáte; & erit sicut hódie; sic & cras, & multò ámpliùs; * Et reveláta est in aúribus meis vox Dómini: Si dimittétur iníquitas hæc vobis donec moriámini. ℣. Vocábit Dóminus ad fletum & ad planctum, & ecce gaúdium & lætítia. * Et reveláta. Glória. * Et reveláta. *Sap. 2. Is. 56. & 22.*

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Salvábo claudicántem, & dabo vos in laudem, cùm convértero captivitátem vestram, dicit Dóminus. *Soph. 3.*

Ad Magníficat, *Ant.* 7. b. Misit me Dóminus prædicáre captívis remissiónem, & cæcis visum, prædicáre annum Dómini accéptum, & diem retributiónis. *Luc. 4.*

FERIA QUINTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap. 22.*

Erit in die illa: Vocábo servum meum Elíacim fílium Helcíæ, & índuam illum túnicâ tuâ, & cíngulo tuo confortábo eum, & potestátem tuam dabo in manu ejus: & erit quasi pater habitántibus Jerúsalem, & dómui Juda. Et dabo clavem domûs David super húmerum ejus: & apériet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui apériat. Et figam illum paxíllum in loco fidéli, & erit in sólium glóriæ dómui patris ejus. Et suspéndent super eum omnem glóriam domûs patris ejus, vasórum divérsa génera, omne vas párvulum à vasis craterárum us-

que ad omne vas musicórum. In die illa, dicit Dóminus exercítuum, auferétur paxíllus, qui fixus fúerat in loco fidéli: & frangétur, & cadet, & períbit quod pepénderat in eo, quia Dóminus locútus est.

℟. j. Apud ipsum est sapiéntia & fortitúdo; ipse habet consílium & intelligéntiam: * Si destrúxerit, nemo est qui ædíficet; si inclúserit hóminē, nullus est qui apériat. ℣. Dabo clavem domûs David super húmerum ejus; & apériet, & non erit qui claudat; claudet, & non erit qui apériat; * Si destrúxerit. *Job. 12. Is. 22.*

Lectio ij. *Cap. 24.*

ECce Dóminus dissipábit terram, & nudábit eam, & afflíget fáciem ejus, & dispérget habitatóres ejus. Et erit sicut pópulus, sic Sacérdos: & sicut servus, sic dóminus ejus: & sicut ancílla, sic dómina ejus: sicut emens, sic ille qui vendit: sicut fœnerátor, sic is qui mútuum áccipit: sicut qui répetit, sic qui debet. Dissipatióne dissipábitur terra, & direptióne prædábitur. Dóminus enim locútus est verbum hoc. Luxit, & defluxit terra, & infirmáta est: deflúxit orbis, infirmáta est altitúdo pópuli terræ. Et terra inféсta est ab habitatóribus suis: quia transgréssi sunt leges, mutavérunt jus, dissipavérunt fœdus sempitérnum. Propter hoc maledíctio vorábit terram, & peccábunt habitatóres ejus: ideóque insánient cultóres ejus, & relinquéntur hómines pauci. Luxit vindémia, infirmáta est vitis, ingemuérunt omnes qui lætabántur corde. Cessávit gaúdium tympanórum, quiévit sónitus lætántium; contícuit dulcédo cítharæ.

℟. ij. Luxit vindémia, infirmáta est vitis. Cum cántico non bibent vinum; * Quóniam amára erit pótio bibéntibus illam. ℣. Expergiscímini ébrii, & flete, & ululáte omnes qui bíbitis vinum in dulcédine, * Quóniam. *Is. 24. Joël. 5.*

Lectio iij.

RElícta est in urbe solitúdo, & calámitas ópprimet portas. Quia hæc erunt in médio terræ, in médio populórum: quómodo si paucæ olívæ, quæ remansérunt, excutiántur ex ólea; & racémi, cùm fúerit finíta vindémia. Hi levábunt vocem suam, atque laudábunt: cùm glorificátus fúerit Dóminus, hínnient de mari. Propter hoc in doctrínis glorificáte Dóminum; in ínsulis maris nomen Dómini Dei Israël. A fínibus terræ laudes audívimus, glóriam justi. Et dixi: Secrétum meum mihi, væ mihi: prævaricántes prævaricá-

ti sunt, & prævaricatióne transgressórum prævaricáti sunt. Formído, & fóvea, & láqueus super te, qui habitátor es terræ.

℟. iij. Relíquiæ Israël non fácient iniquitátem, nec loquéntur mendácium, * Et non inveniétur in ore eórum lingua dolósa. ℣. Hi levábunt vocem suam, atque laudábunt cùm glorificátus fúerit Dóminus; * Et. Glória. * Et. *Soph.* 3. ℣. 24.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. A. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparábit viam ante fáciem meam. *Malach.* 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Joánnes hic est, de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. *Matth.* 11.

FERIA SEXTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 24.

QUi fúgerit à voce formídinis, cadet in fóveã: & qui se explicáverit de fóvea, tenébitur láqueo: quia cataráctæ de excélsis apértæ sunt, & concutiéntur fundaménta terræ. Confractióne confringétur terra, contritióne conterétur terra, cõmotióne commovébitur terra, agitatióne agitábitur terra sicut ébrius, & auferétur quasi tabernáculum unius noctis: & gravábit eam iníquitas sua, & córruet, & non adjíciet ut resúrgat. Et erit: In die illa visitábit Dóminus super milítiam cæli in excélso; & super reges terræ, qui sunt super terram. Et congregabúntur in congregatióne unius fascis in lacum, & claudéntur ibi in cárcere: & post multos dies visitabúntur. Et erubéscet luna, & confundétur sol, cùm regnáverit Dóminus exercítuum in monte Sion, & in Jerúsalem, & in conspéctu senũ suórum fúerit glorificátus.

℟. j. Væ desiderántibus diem Dómini; dies ista, ténebræ, & non lux. * Quómodo si fúgiat vir à fácie leónis, & occúrrat ei ursus; & ingrediátur domum, & mórdeat eum cóluber. ℣. Qui fúgerit à voce formídinis, cadet in fóveam; & qui se explicáverit de fóvea, tenébitur láqueo: * Quómodo. *Amos.* 5. ℣. 24.

Lectio ij. *Cap.* 28.

VÆ corónæ supérbiæ, ébriis Ephraïm, & flori decidénti, glóriæ exultatiónis ejus, qui erant in vértice vallis pinguíssimæ, errántes à vino. Ecce válidus & fortis Dóminus, sicut ímpetus grándinis; turbo confríngens, sicut ímpetus aquárum multárum inundántium, & emissárum super terram spatiósam. Pédibus conculcábitur coró-

næ supérbiæ ebriórum Ephraïm. Et erit flos décidens glóriæ exultatiónis ejus, qui est super vérticem vallis pínguium, quasi temporáneum ante maturitátem autúmni: quod cùm aspéxerit videns, statim ut manu tenúerit, devorábit illud. In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, & sertum exultatiónis resíduo pópuli sui: & spíritus judícii, sedénti super judícium, & fortitúdo reverténtibus de bello ad portam. Verùm hi quoque præ vino nesciérunt, & præ ebrietáte erravérunt: Sacérdos & Prophéta nesciérunt præ ebrietáte, absórpti sunt à vino, erravérunt in ebrietáte, nesciérunt vidéntem, ignoravérunt judícium.

℟. ij. Salvábo & convértam eos, quia miserébor eórum; ego enim Dóminus Deus eórum.* Et exultábit cor eórum in Dómino. ℣. In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, & sertum exultatiónis resíduo pópuli sui; * Et. *Zach.* 19. *Is.* 28.

Lectio. iij.

ET erit eis verbum Dómini: Manda, remánda: manda, remánda; exspécta, reexspécta; exspécta, reexspécta; módicum ibi, módicum ibi: ut vadant, & cadant retrórsum, & conteránter, & illaqueéntur, & capiántur. Propter hoc audíte verbum Dómini viri illusóres, qui dominámini super pópulum meum qui est in Jerúsalem. Dixístis enim: Percússimus fœdus cum morte, & cum inférno fécimus pactum. Flagéllum inúndans cùm transíerit, non véniet super nos: quia posúimus mendácium spem nostram, & mendácio protécti sumus. Idcírco hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego mittam in fundaméntis Sion lápidem, lápidem probátum, anguláremm, pretiósum, in fundaménto fundátum. Qui credíderit, non festínet. Et ponam in póndere judícium, & justítiam in mensúra: & subvértet grando spem mendácii: & protectiónem aquæ inundábunt. Et delébitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inférno non stabit: flagéllum inúndans cùm transíerit, éritis ei in conculcatiónem.

℟. iij. Omnis qui cecíderit super illum lápidem, conquassábitur; super quem autem cecíderit, comminuet illum; hic est lapis * Qui factus est in caput ánguli, & non est in álio áliquo salus. ℣. Ecce ego mittam in fundaméntis Sion lápidem probátum, anguláre, in fundaménto fundátum, * Qui. Glória. * Qui. *Luc.* 29. *Act.* 4. *Is.* 28

Ad Benedictus, *Ant.* 8. c. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequàm véniat dies Dómini. *Malach.* 4.

Ad Magníficat, *Ant.* 9. Omnes Prophétæ & Lex usque ad Joánnem prophetavérunt: ipse est Elías qui ventúrus est. *Matth.* 11.

Hæc Antiphona prætermittitur, si ejus loco ponenda sit prima ex majoribus Antiphonis O, quæ infrà habentur post Dominicam III. Adventûs: his enim semper cedunt aliæ Añæ ad Magnificat *assignatæ.*

SABBATO.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 29. v. 4.

HUmiliáberis, de terra loquéris, & de humo audiétur elóquium tuum: & erit quasi pythónis de terra vox tua, & de humo elóquium tuum mussitábit. Et erit sicut pulvis ténuis, multitúdo ventilántium te: & sicut favílla pertránsiens multitúdo eórum, qui contra te prævaluérunt: erítque repénte confestim. A Dómino exercítuum visitábitur in tonítruo, & commotióne terræ, & voce magnâ túrbinis & tempestátis, & flammæ ignis devorántis. Et erit sicut sómnium visiónis noctúrnæ multitúdo ómnium géntium, quæ dimicavérunt contra Ariel, & omnes qui militavérunt & obsedérunt, & prævaluérunt advérsus eam. Et sicut sómniat esúriens, & cómedit, cùm autem fúerit expergefáctus, vácua est ánima ejus: & sicut sómniat sítiens, & bibit, & postquàm fúerit expergefáctus, lassus adhuc sitit, & ánima ejus vácua est: sic erit multitúdo ómnium géntium, quæ dimicavérunt contra montem Sion. Obstupéscite, & admirámini, fluctuáte, & vacilláte: inebriámini, & non à vino: movémini, & non ab ebrietáte. Quóniam míscuit vobis Dóminus spíritum sopóris, claudet óculos vestros, prophétas & príncipes vestros, qui vident visiónes, opériet. Et erit vobis vísio ómnium sicut verba libri signáti, quem cùm déderint sciénti litteras, dicent: Lege istum: & respondébit: Non possum, signátus est enim. Et dábitur liber nesciénti litteras, dicetúrque ei: Lege: & respondébit: Néscio litteras.

℟. j. Non póterant crédere, quia dixit Isaías: Excæcávit óculos eórum, * Ut non vídeant óculis & non intélligant corde, & convertántur, & sánem eos. ℣. Erit vobis vísio ómnium, sicut verba libri signáti, * Ut non. *Joan.* 12. *Is.* 29.

Lectio ij.

ET dixit Dóminus: Eò quòd appropínquat pópulus iste

ore suo, & lábiis suis glorífícat me, cor autem ejus longè est à me, & timuérunt me mandáto hóminum & doctrínis: Ideò ecce ego addam ut admiratiónem fáciam pópulo huic miráculo grandi & stupéndo; períbit enim sapiéntia à sapiéntibus ejus, & intelléctus prudéntium ejus abscondétur. Væ qui profúndi estis corde, ut à Dómino abscondátis consílium: quorum sunt in ténebris ópera, & dicunt: Quis videt nos, & quis novit nos? Pervérsa est hæc vestra cogitátio: quasi si lutū contra fígulum cógitet, & dicat opus factóri suo: Non fecísti me; & figméntum dicat fictóri suo: Non intélligis. Nonne adhuc in módico & in brevi convertétur Líbanus in Charmel, & Charmel in saltum reputábitur?

℟. ij. Pópulus hic lábiis me honórat, cor autem eórum longè est à me; * Sed venit hora, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte. ℣. In vanum me colunt, docéntes præcépta hóminum, relinquéntes mandátum Dei: * Sed. *Marc. 7. Joan. 4.*

Lectio iij.

ET audient in die illa surdi verba libri, & de ténebris & calígine óculi cæcórū vidébunt. Et addent mites in Dómino lætítiam, & páuperes hómines in sancto Israël exultábunt: Quóniam defécit qui prævalébat, consummátus est illúsor, & succísi sunt omnes qui vigilábant super iniquitátem; qui peccáre faciébant hómines in verbo, & arguéntem in porta supplantábant, & declinavérunt frustrà à justo. Propter hoc, hæc dicit Dóminus ad domum Jacob, qui redémit Abraham: Non modò confundétur Jacob, nec modò vultus ejus erubéscet: sed cùm víderit fílios suos, ópera mánuum meárum in médio suî sanctificántes nomen meum, & sanctificábunt sanctum Jacob, & Deum Israël prædicábunt, & scient errántes spíritu intelléctum, & mussitatóres discent legem.

℟. iij. Réquies Sabbáti. *ut in Sabbato Hebdom. I. Adventûs.*

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. g. Ecce ego salvábo pópulum meum, & erunt mihi in pópulum, & ego ero eis in Deum in veritáte & justítia. *Zach. 8.*

AD VESPERAS,

¶ *In Feriis à die 13. Decemb. dicuntur Aña propriæ, ut infrà ordinantur ante Offic. Vigiliæ Nativ. Domini.*

Capitulum. Philip. 4. 5.

FRatres: Gaudéte in Dómino semper, íterùm dico, gaudéte: modéstia vestra no-

ta sit ómnibus homínibus: Dóminus propè est.

Hymnus, Cónditor; *&* ℣. Excita. *suprà pag.* 165.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. 2. Tu quis es? quid dicis de te ipso? Ait Joánnes: Ego vox clamántis in desérto, Dirígigite viam Dómini. *Joan.* 1.

Nisi ponenda sit una ex majoribus Ant. O, *juxta diem mensis.*

Oratio, Aurem tuam, *infrà ad Laud. Matut.*

DOMINICA III.

ADVENTUS.

Invitatorium, &c. ut in Dominica I. Adventûs, præter sequentia,

IN I. NOCT.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 30.

VÆ filii desertóres, dicit Dóminus, ut facerétis consílium, & non ex me: & ordirémini telam, & non per spíritum meum, ut adderétis peccátum super peccátum: qui ambulátis ut descendátis in Ægyptum, & os meum non interrogástis, sperántes auxílium in fortitúdine Pharaónis, & habéntes fidúciam in umbra Ægypti... Pópulus enim ad iracúndiam próvocans est, & filii mendáces, filii noléntes audíre legem Dei. Qui dicunt vidéntibus: Nolíte vidére: & aspiciéntibus: Nolíte aspícere nobis ea, quæ recta sunt: loquímini nobis placéntia, vidéte nobis erróres. Auférte à me viam, declináte à me sémitam, cesset à fácie nostra Sanctus Israël. Proptérea hæc dicit Sanctus Israël: Pro eo quòd reprobástis verbum hoc, & sperástis in calúmnia, & in tumúltu, & inníxi estis super eo: proptérea erit vobis iníquitas hæc sicut interrúptio cadens, & requisíta in muro excélso, quóniam súbitò, dum non sperátur, véniet contrítio ejus.

℟. j. Iste dies. *suprà in Dom. I. Advent. pag.* 167.

Lectio ij.

HÆc dicit Dóminus Deus Sanctus Israël: Si revertámini, & quiescátis; salvi éritis: in siléntio & in spe erit fortitúdo vestra; Et noluístis. Et dixístis: Nequáquam, sed ad equos fugiémus: ídeò fugiétis. Et super velóces ascendémus: ídeò velocióres erunt qui persequéntur vos. Mille hómines à fácie terróris uníus: & à fácie terróris quinque fugiétis, donec relinquámini quasi malus navis in vértice montis, & quasi signum super collem. Proptéreà exspéctat Dóminus ut misereátur vestri: & ídeò exaltábitur parcens vobis: quia Deus judícii Dóminus: beáti omnes qui exspéctant

eum. Pópulus enim Sion habitábit in Jerúsalem: plorans nequáquam plorábis, míserans miserébitur tuî: ad vocem clamóris tui statim ut audíerit, respondébit tibi. Et dabit vobis Dóminus panem arctum, & aquam brevem: & non fáciet avoláre à te ultrà doctórem tuum: & erunt óculi tui vidéntes præceptórem tuum.

℟. ij. Dies sanctificátus. p. 4.

Lectio iij.

ET aures tuæ áudient verbum post tergum monéntis: Hæc est via, ambuláte in ea; & non declináte neque ad déxteram, neque ad sinístram. Et contaminábis láminas sculptílium argénti tui, & vestiméntum conflátilis auri tui, & dispérges ea sicut immundítiam menstruátæ. Egrédere, dices ei. Et dábitur plúvia sémini tuo, ubicúmque semináveris in terra: & panis frugum terræ erit ubérrimus & pinguis, pascétur in possessióne tua in die illo agnus spatiósè: & tauri tui, & pulli asinórum, qui operántur terram, commístum migma cómedent sicut in área ventilátum est. Et erunt super omnem montem excélsum, & super omnem collem elevátum rivi curréntium aquárum, in die interfectiónis multórum, cùm cecíderint turres. Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem diérum in die, quâ alligáverit Dóminus vulnus pópuli sui, & percussúram plagæ ejus sanáverit.

℟. iij. Pascha nostrum. p. 4.

IN II. NOCT.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Románbs.

Lectio iv. *Cap. 5.*

JUstificáti ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum nostrum Jesum Christum: per quem & habémus accéssum per fidem in grátiam istam, in qua stamus, & gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. Non solùm autem, sed & gloriámur in tribulatiónibus: sciéntes quòd tribulátio patiéntiam operátur: patiéntia autem probatiónem, probátio verò spem, spes autem non confúndit: quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.... Commendat autem caritátem suam Deus in nobis; quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, secúndùm tempus, Christus pro nobis mórtuus est: multò ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsius, salvi érimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus: multò magis reconci-

liáti, salvi érimus in vita ipsíus. Non solùm autem: sed & gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus.

℟. iv. Justificáti sumus gratìs per redemptiónem quæ est in Christo Jesu,* Quem propósuit Deus propitiatiónem ad ostensiónem justítiæ suæ propter remissiónem præcedéntium delictórum. ℣. Justificáti ergo ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum nostrum Jesum Christum,* Quem, *Rom. 3. & 5.*

Lectio v.

PRoptéreà sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors, & ita in omnes hómines mors pertransívit, in quo omnes peccavérunt... Si enim uníus delícto mors regnávit per unum: multò magis abundántiam grátiæ, & donatiónis, & justítiæ accipiéntes, in vita regnábunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem: sic & per uníus justítiam in omnes hómines in justificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam uníus hóminis, peccatóres constitúti sunt multi: ita & per uníus obeditiónem justi constituéntur multi. Lex autem subintrávit ut abundáret delíctum. Ubi autem abundávit delíctum, superabundávit grátia: Ut sicut regnávit peccátum in mortem: ita & grátia regnet per justítiam in vitam ætérnam, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. v. Deus qui dives est in misericórdia propter nímiam caritátem suam quâ diléxit nos,* Cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, in quo habémus redemptiónem. ℣. Ut osténderet abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos,* Cùm. *Ephes. 2.*

Lectio vj. *Cap. 6.*

QUid ergo dicémus? permanébimus in peccáto ut grátia abúndet? Absit. Qui enim mórtui sumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo? An ignorátis quia quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus? Consepúlti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem: ut quómodo Christus surréxit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus: simul & resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifíxus est, ut destruátur

corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est à peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo: crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo: Sciéntes quòd Christus resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur. Quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimáte, vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. vij. Omnes mórtui sunt, & pro ómnibus mórtuus est Christus, * Ut & qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est & resurréxit. ℣. In hoc enim Christus mórtuus est, & resurréxit, * Ut. Glória. * Ut. 2. Cor. 5. Rom. 14

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Léctio vij. *Cap.* 1.

IN illo témpore, Misérunt Judæi ab Jerosólymis Sacerdótes & Levítas ad Joánnem, ut interrogárent eum: Tu quis es? Et conféssus est, & non negávit; & conféssus est, Quia non sum ego Christus. Et interrogavérunt eum, Quid ergo? Elías es tu? Et dixit: Non sum. Prophéta es tu? Et respóndit, Non. Dixérunt ergo ei: Quis es, ut respónsum demus his qui misérunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamántis in desérto, Dirígite viam Dómini, sicut dixit Isaías Prophéta. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ. 7. in Evang.

EX hujus nobis lectiónis verbis, fratres caríssimi, Joánnis humílitas commendátur: qui cùm tantæ virtútis esset, ut Christus credi potuísset, elégit sólidè subsístere in se, ne humánâ opinióne raperétur inániter super se. Nam conféssus est, & non negávit; & conféssus est, Quia non sum ego Christus. Cùm ergo non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi: quia dum infirmitátem suam stúduit humíliter agnóscere, illíus celsitúdinem méruit verácitier obtinére.

℟. viij. Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. * Omnis vallis exaltábitur, & omnis mons & collis humiliábitur. ℣. Joánnes conféssus est, Quia non sum ego Christus. * Omnis vallis. *Is.* 40. *Joan.* 1

Léctio viij.

INquisítus à discípulis Dóminus de Elíæ advéntu, respóndit: Elías jam venit,

& non cognovérunt eum, sed fecérunt in eum quæcúmque voluérunt: & si vultis scire, Joánnes ipse est Elías. Requisítus autem Joánnes dicit: Non sum Elías. Quid est hoc, fratres caríssimi, quia quod Véritas affírmat, hoc Prophéta Veritátis negat? Sed si subtíliter véritas ipsa requirátur, hoc quod inter se contrárium sonat, quómodo contrárium non sit, invenítur. Ad Zacharíam namque de Joánne Angelus: Ipse præcédet ante illum in Spíritu & virtúte Elíæ. Qui idcirco ventúrus in spíritu & virtúte Elíæ dícitur, quia sicut Elías secúndum Dómini advéntum prævéniet, ita Joánnes prævénit primum. Sicut ille præcúrsor ventúrus est Júdicis, ita iste præcúrsor est factus Redemptóris. Joánnes ígitur in spíritu Elías erat, in persóna Elías non erat. Quod ergo Dóminus fatétur de spíritu, hoc Joánnes dénegat de persóna.

℟. viij. Ipse præcédet ante illum in spíritu & virtúte Elíæ, * Ut convértat corda patrum in fílios, & incrédulos ad prudéntiam justórum, paráre Dómino plebem perféctam. ℣. Vox clamántis in desérto, Dirígite viam Dómini: & venit in aqua baptízans, * Ut convértat. *Luc.* 1. *Joan.* 1.

Lectio ix.

JOánnes vocem se esse ásserit, quia Verbum præcédit. Advéntum ítaque Domínicum præcúrrens, vox dícitur: quia per ejus ministérium Patris Verbum ab homínibus audítur. Qui étiam in desérto clamat; quia derelíctæ destitutæque Judææ solátium suæ redemptiónis annúntiat. Quid autem clamat, ínsinuat cùm subjúngit: Dirígite viam Dómini, sicut dixit Isaías Prophéta. Via Dómini ad cor dirígitur cùm veritátis sermo humíliter audítur. Via Dómini ad cor dirígitur cùm ad præcéptum illíus vita præparátur: unde scriptum est, si quis díligit me, sermónem meum servábit, & pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & mansiónem apud eum faciémus.

℟. ix. Læténtur cæli, & exúltet terra, commoveátur mare & plenitúdo ejus: * A fácie Dómini quia venit. ℣. Semper gaudéte, sine intermissióne oráte: in ómnibus grátias ágite * A fácie. Glória. ℟. Læténtur. *Ps.* 95. 1. *Thess.* 5.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd. ut in Dom. I. Advent. pag.* 172.

Ant. PRopè feci justítiam meam, non elongábitur, & salus mea non morábitur. *Isai.* 46.

Ant. 4. E. Ante me non est formátus Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum Dóminus, & non est absque me salvátor. *Is.* 43.

Ant. 8. G. Dabo in Sion salútem, & in Israël glóriam meam. *Is.* 46.

Ant. 8. G. Timébunt qui ab occidénte nomen Dómini; & qui ab ortu solis glóriam ejus: cùm vénerit Sion redémptor. *Is.* 59.

Ant. 3. a. Ponam desértum in stagna aquárum, & terram ínviam in rivos aquárũ. *Is.* 41.

Capitulum. *Philip.* 4. 6.

NIhil sollíciti sitis, sed in omni oratióne & obsecratióne cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum.

Hymnus. Vox clara, & ℣. Ecce Dóminus. *ut in Dom. I. Adventûs. p.* 172.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. g. Joánnes clamábat dicens: Qui post me ventúrus est, ante me factus est, quia prior me erat. *Joan.* 1.

Oratio.

AUrem tuam, quæsumus, Dómine précibus nostris accómmoda: & mentis nostræ ténebras grátiâ tuæ visitatiónis illústra; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

AD HORAS,

Aña de Laudibus Matut. quartâ prætermissâ. Capitula & ℟. brevia ut in Dom. I. Adv.

AD VESPERAS,

Ant. 1. a. MIserére nostrî Deus ómnium, & réspice nos, & osténde nobis lucem miseratiónum tuárum. *Eccli.* 36.

Ant. 2. to. Súscita prædicatiónes, quas locúti sunt in nómine tuo Prophétæ prióres. *Ibid.*

Ant. 3. g. Da mercédem sustinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniántur. *Ibid.*

Ant. 4. E. Ubi est zelus tuus, & fortitúdo tua; multitúdo víscerum tuórum & miseratiónum tuárum? *Is.* 63.

Ant. 5. a. Dóminus sicut fortis egrediétur, sicut vir prælliátor suscitábit zelum. *Is.* 42.

¶ [*Sed loco quinque Antiphonarum præcedentium dicuntur Antiphonæ juxta diem mensis Decemb. si jam inceptæ fuerint Antiphonæ majores O.*

Capitulum. *Philip.* 4. 7.

ET pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra & intelligéntias vestras, in Christo Jesu Dómino nostro.

Hymnus & ℣. ut in Dominica I. Adventûs, pag. 174.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Ego baptízo in aqua: qui post me ventúrus est, hic est qui baptízat in Spíritu sancto. *Joan.* 1.

¶ *Hæc Antiphona prætermittitur, si hodie ejus loco ponenda sit una ex Antiphonis majoribus O: quibus semper cedunt aliæ Antiphonæ ad Magnificat in Feriis assignatæ.*

13. Dec. Ad Vesperas.

Quinque Añæ de Dominicâ I. Adventûs ad Vesp. p. 174.

Ad Magníficat, *Ant. 2. toni.*

O Sapiéntia, quæ ex ore Altíssimi prodiísti, attíngens à fine usque ad finem fórtiter, suavitérque dispónens ómnia: veni, & doce nos viam prudéntiæ. *Eccli. 24. Sap. 8. Luc. 11. Is. 40.*

Quæ Antiphona triphonatur sicut & aliæ majores O. 1. dicitur integra ante Canticum Magníficat, *2. ante* Glória Patri, *3. post* Sicut erat, *sicut in Annualibus. Et dicuntur per ordinem usque ad Vigiliam Nativitatis Domini.* [*Si verò Festum fuerit, dicuntur post Orationem Festi, pro Commemoratione Adventûs, ritu sequenti. Dicitur integra Ant. O. deinde* ℣. Glória Patri, *tum repetitur integra, etiamque post* Sicut erat. *sequitur* ℣. Emitte Agnum *p. 174.*

Non dicuntur Preces.

Collecta Dominicæ præcedentis.

14. Dec. Ad Vesperas.

Añæ de Dominica III. Adventûs ad Laudes, p. 172.

Ad Magníficat, *Ant. 2. to.*

O Adónai, & dux domûs Israël, qui Móysi in igne flammæ rubi apparuísti, & in Sina legem dedísti: veni ad rédimendum nos in bráchio extento: *Exod. 3. & 6. & 1. Reg. 17.*

15. Dec. Ad Vesperas.

Añæ de Dominica III. Adventûs ad Vesp. pag. 10[...]

Ad Magníficat, *Ant. 2.*

O Radix Jesse, qui stas in signum populórum, super quem continébunt reges os suum, quem Gentes deprecabúntur: veni & líbera nos, ne tardáre jam nolis. *Is. 11. & 52. Esther. Ps. 39.*

16. Dec. Ad Vesperas.

Ant. 1. a. Ecce Deus salvátor meus, non timébo: quia factus est mihi in fortitúdinem. *Is. 12.*

Ant. 2. to. Fílius hóminis véniens, putas, invéniet fidem in terra? *Luc. 18.*

Ant. 3. a. Præparáre in occúrsum Dei tui Israël, quia annúntians hómini elóquium suum, ecce festínus velóciter véniet. *Amos. 4. Is. 5.*

Ant. 4. E. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. *Is. 12.*

Ant. 6. F. Ego ad Dóminum aspíciam, exspectábo Deum salvatórem meum. *Mich. 7.*

Ad Magníficat, *Ant.*

O clavis David, & sceptrum domûs Israël; qui áperis,

claudit; claudis, & ne-
erit: veni, & educ vin-
de domo cárceris; & se-
in ténebris. *Apoc.* 3.
& 52. *Ps.* 106.
Dec. Ad Vesperas.
R Oráte cæli désuper,
& nubes pluant ju-
: aperiátur terra, & gér-
Salvatórem. *Is.* 45.
2. 10. Emítte Agnum
ne, dominatórem terræ,
deserti ad montem
Sion. *Is.* 16.
3. 2. Ut cognoscámus
ine in terra viam tuam,
omnibus géntibus salutáre
Ps. 66.
4. A. Ecce dies véniunt,
Dóminus, & convértam
ersiónem pópuli mei Is-
& Juda. *Jer.* 30.
8. G. Non dominabún-
ri ámpliùs alièni: sed ser-
Dómino Deo suo, &
regi suo, quem susci-
eis. *Jer.* 6.
Magníficat, *Ant.* 2.
Oriens splendor lucis
næ, & sol justítiæ: veni,
úmina sedéntes in téne-
& umbra mortis. *Zach.*
Sap. 7. *Malach.* 4. *Luc.* 1.
Dec. Ad Vesperas.
D Ominus dabit im-
périum Regi suo;
blimábit cornu Christi
1. *Reg.* 2.
Ant. 1. f. Spíritus Dómini
me; ad annuntiándum
mansuétis terræ misit me, ut
medérer contrítis terræ. *Is.*
61.

Ant. 6. F. Et véniet super me misericórdia tua, Dómine: salutáre tuum secúndùm elóquium tuum. *Ps.* 118.

Ant. 2. 10. Præparábitur in misericórdia sólium, & sedébit super illud in veritáte. *Is.* 16.

Ant. 4. e. Propter Sion non tacébo, donec egrediátur, ut splendor, justus ejus. *Is.* 62.

Ad Magníficat, *Ant.* 2.
O Rex Israël, & desiderátus géntibus, lapísque anguláris, qui facis útraque unum; veni, & salva hóminem, quem de limo formásti. *Agg.* 2. *Is.* 28. *Ephes.* 2. *Gen.* 2.

19. Dec. Ad Vesperas.
Ant. 1. a. E Rit dies in quâ clamábunt: Súrgite, & ascendámus in Sion ad Dóminum Deum nostrum. *Jer.* 31.

Ant. 8. c. Pavebunt in univérsis bonis, & in omni pace quam ego fáciam eis. *Jer.* 33.

Ant. 8. G. Noli timére vermis Jacob: ego auxiliátus sum tibi, dicit Redémptor tuus sanctus Israël. *Is.* 41.

Ant. 4. e. Iste Deus meus, & glorificábo eum; Deus patris mei, & exaltábo eum. *Exod.* 15.

Ant. 5. a. Exspectábo Dóminum, qui abscóndit fáciem suam à domo Jacob, & præ-

stolábor eum. *Is.* 8.

Ad Magníficat, *Ant.* 2.

O Sancte sanctórum, spéculum sine máculâ Dei majestátis, & imágo bonitátis illíus; veni, ut deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempitérna. *Sap.* 7. *Dan.* 9.

20. Dec. Ad Vesperas.

Añæ de Communi Apostolorum ad I. Vesp. p. j.

¶ [*Sed si Festum S. Thomæ evenerit in Dominicâ, quinque ad Psalmos Añæ diei* 22. *Decembris assignatæ anticipabuntur hâc die* 20, *quia Vesperæ erunt de Sabbato.*]

Pro Adventu, Ant. 2. *toni.*

O Emmánuel Rex & Légifer noster, exspectátio géntium, & Salvátor eárum, veni, & salva nos Deus Redémptor noster. *Is.* 8. & 33. *Gen.* 49. 1. *Par.* 16.

21 Dec. Ad Vesperas,

Añæ de Communi Apostolorum ad II. Vesp. p. v. [*Sed si sit Dominica, Añæ erunt de I. Vesp. Apostolorum.*]

Pro Adventu, Ant. 2. *toni.*

O Dominátor in Israël, cujus egréssus ab inítio, à diébus æternitátis; veni ut pascas pópulum tuum, & gregem hereditátis tuæ, & regnes in justítia & judício. *Mich* 5. & 7. *Is.* 32.

22. Dec. Ad Vesperas,

Ant. 1. a. Ego ego locútus sum, & vocávi eum: addúxi eum, & dirécta est via ejus. *Is.* 48.

Ant. 2. 10. Ad te levávi ánimam meam: éripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi. *Ps.* 142.

Ant. 1. 2. Tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die. *Ps.* 24.

Ant. 1. g. Deus ab austro véniet, & splendor ejus ut lux erit. *Habac.* 3.

Ant. 8. G. Véniat super nos misericórdia tua Dómine salutáre tuum secúndum elóquium tuum. *Ps.* 118.

Ad Magníficat, *Ant.* 2.

O Bone Pastor vísita nos in salutári tuo; requíre quod périit, reduc quod abjéctum, consólida quod infírmum: fac mirabília, cogitatiónes antíquas fidéles; amen. *Joan.* 10. *Ps.* 104. *Ezech.* 34. *Luc.* 3. *Is.* 25.

23. Dec. Ad Vesperas.

Ant. 5. a. Consúrge, consúrge, indúere fortitúdine bráchium Dómini. *Is.* 51.

Ant. 8. G. Elevâre, eleváre, consúrge Jerúsalem, dicit dominátor tuus Dóminus, & Deus tuus, qui pugnábit pro pópulo suo. *Is.* 51.

Ant 5. a. Utinam dirúmperes cælos, & descénderes: à fácie tua montes deflúerent. *Is.* 64.

Ant. 1. a. Júbila Israël: lætáre & exsúlta in omni cor-

filia Jerúsalem. Rex Israël in médio tuì, fortis ipse salvábit. *Sophon.* 3.

Ant. 3. a. Exsúlta satis filia Sion, júbila filia Israël: Ecce Rex tuus véniet tibi justus & Salvátor. *Zach.* 9.

Ad Magnificat, *Ant.* 2. *toni.* O Radix & genus David, stella spléndida & matutína; primus & novíssimus, princípium & finis. Sponsus & sponsa dicunt, veni. Et qui audit, dicat, veni; Amen, veni Dómine Jesu. *Apoc.* 22. *v.* 13. 16. 17. 20.

FERIA SECUNDA.

Intra Hebdom. III. Adventûs.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 31.

VÆ qui descéndunt in Ægyptum ad auxílium, in equis sperántes, & habéntes fidúciam super quadrígis, quia multæ sunt, & super equítibus, quia præválidi nimis; & non sunt confísi super Sanctum Israël, & Dóminum non requisiérunt. Ipse autem sápiens, addúxit malum, & verba sua non ábstulit: & consúrget contra domum pessimórum, & contra auxílium operántium iniquitátem. Ægyptus, homo, & non Deus: & equi eorum, caro, & non spíritus: & Dóminus inclinábit manum suam, & córruet auxiliátor, & cadet cùi præstátur auxílium, simúlque omnes consuméntur. Quia hæc dicit Dóminus ad me: Quómodò si rúgiat leo & cátulus leónis super prædam suam, & cùm occúrrerit ei multitúdo pastórum, à voce eórum non formidábit, & à multitúdine eórum non pavébit: sic descéndet Dóminus exercítuum ut præliétur super montem Sion; & super collem ejus. Sicut aves volántes, sic próteget Dóminus exercítuum Jerúsalem, prótegens & líberans, tránsiens & salvans. Convertímini, sicut in profúndum recessératis filii Israël. In die enim illa abjíciet vir idóla argénti sui, & idóla auri sui, quæ fecérunt vobis manus vestræ in peccátum.

℟. *j.* Convertímini, & ágite pœniténtiam ab ómnibus iniquitátibus vestris: * Et non erit vobis in ruínam iníquitas. ℣. Convertímini sicut in profúndum recesserátis filii Israël; * Et non *Ezech.* 18. *Is.* 31

Lectio ij. Cap. 32.

ECce in justítia regnábit rex, & príncipes in judício præerunt. Et erit vir sicut qui abscónditur à vento, & celat se à tempestáte, sicut rivi aquárum in siti, & umbra petræ prominéntis in terra desérta. Non caligábunt óculi vidéntium, & aures audiéntium diligénter auscultábunt. Et cor stultórum intélliget

sciéntiam, & lingua balbórum velóciter loquétur & planè. Non vocábitur ultrà is, qui insípiens est, princeps: neque frauduléntus appellábitur major: Stultus enim fátua loquétur, & cor ejus fáciet iniquitátem, ut perficiat simulatiónem, & loquátur ad Dóminum fraudulénter, & vácuam fáciat ánimam esuriéntis, & potum sitiénti áuferat. Fraudulénti vasa péssima sunt: ipse enim cogitatiónes concinnávit ad perdéndos mites in sermóne mendácii, cùm loquerétur pauper judícium.

℟. ij. Frange esuriénti panem tuum, & egénos induc in domum tuam: * Cùm víderis nudum, óperi eum, & carnem tuam ne despéxeris; & anteíbit fáciem tuam justítia tua, & glória Dómini cólliget te. ℣. Cor stulti fáciet iniquitátem, ut vácuam fáciat ánimam esuriéntis, & potum sitiénti áuferat. * Cùm *Ezech.* 18. *Is.* 31.

Lectio iij.

SUper humum pópuli mei spinæ & vepres ascéndent: quantò magis super omnes domos gáudii civitátis exultántis? Domus enim dimíssa est, multitúdo urbis relícta est, ténebræ & palpátio factæ sunt super spelúncas usque in ætérnum. Gáudium onagrórum páscua gregum, donec effundátur super nos spíritus de excélso: & erit desértum in Charmel, & Charmel in saltum reputábitur. Et habitábit in solitúdine judícium, & justítia in Charmel sedébit. Et erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempitérnum. Et sedébit pópulus meus in pulcritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opuléntá. Grando autem in descensióne saltûs, & humilitáte humiliábitur cívitas. Beáti, qui seminátis super omnes aquas, immitténtes pedem bovis & ásini.

℟. iij. Justítia & pax osculátæ sunt: étenim Dóminus dabit benignitátem, * Et terra nostra dabit fructum suum. ℣. Habitábit in solitúdine judícium, & justítia in Charmel sedébit; & erit opus justítiæ, pax. * Et terra. Glória. * Et. *Ps.* 84. *Is.* 32.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Scies quia ego Dóminus: super quo non confundéntur qui exspéctant eum. *Isai.* 49.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 33.

VÆ qui prædáris, nonne & ipse prædáberis? & qui spernis, nonne & ipse spernéris? cùm consummáveris deprædatiónem, de-

prædáberis: cùm fatigátus desíeris contémnere, contemnéris. Dómine miserére nostri: te enim exspectávimus: esto bráchium nostrum in manè, & salus nostra in témpore tribulatiónis. A voce ángeli fugérunt pópuli, & ab exaltatióne tua dispérsæ sunt gentes. Et congregabúntur spólia vestra sicut collígitur bruchus, velut cùm fossæ plenæ fúerint de eo. Magnificátus est Dóminus, quóniam habitávit in excélso: implévit Sion judício & justítiâ. Et erit fides in tempóribus tuis: divítiæ salútis sapiéntia & sciéntia, timor Dómini ipse est thesaúrus ejus. Ecce vidéntes clamábunt foris, ángeli pacis amárè flebunt.

℟. *j.* Maledíctus homo qui confídit in hómine, & ponit carnem bráchium suum, & à Dómino recédit cor ejus. * Dómine miserére nostrî, te enim exspectávimus. ℣. Esto bráchium nostrum in mane, & salus nostra in témpore tribulatiónis. * Dómine. *Jer.* 17 *Is.* 33.

Lectio ij.

NUnc consúrgam, dicit Dóminus: nunc exaltábor, nunc sublevábor... Audíte qui longè estis, quæ fécerim, & cognóscite vicíni fortitúdinem meam. Contériti sunt in Sion peccatóres; possédit tremor hypócritas. Quis póterit habitáre de vobis cum igne devoránte? quis habitábit ex vobis cum ardóribus sempitérnis? Qui ámbulat in justítiis, & lóquitur veritátem, qui prójicit avarítiam ex calúmnia, & éxcutit manus suas ab omni múnere, qui obtúrat aures suas ne aúdiat sánguinem, & claudit óculos suos ne vídeat malum. Iste in excélsis habitábit, muniménta saxórum sublímitas ejus: panis ei datus est, aquæ ejus fidéles sunt. Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus, cernent terram de longè. Cor tuum meditábitur timórem: ubi est litterátus? ubi legis verba pónderans? ubi doctor parvulórum?

℟. *ij.* Dómine quis habitábit in tabernáculo tuo? Qui ingréditur sine mácula & operátur justítiam, qui lóquitur veritátem, nec facit próximo suo malum: qui facit hæc * Non movébitur in ætérnum. ℣. Qui ámbulat in justítiis & lóquitur veritátem, qui prójicit avarítiam, & éxcutit manus suas ab omni múnere, * Non. *Ps.* 14. *Is.* 33.

Lectio iij.

POpulum impudéntem non vidébis, pópulum alti sermónis: ita ut non possis intellígere disertitúdinem linguæ ejus, in quo nulla est sapién-

tia. Réspice Sion civitátem solemnitatis nostræ: óculi tui vidébunt Jerúsalem, habitatiónem opuléntã, tabernáculum, quòd nequáquam transferri póterit: nec auferéntur clavi ejus in sempitérnum, & omnes funículi ejus non rumpéntur: Quia solúmmodò ibi magníficus est Dóminus noster: locus fluviórum rivi latíssimi & paténtes: non transíbit per eum navis rémigum, neque triéris magna transgrediétur eum. Dóminus enim judex noster, Dóminus légifer noster, Dóminus rex noster: ipse salvábit nos. Laxáti sunt funículi tui, & non prævalébunt: sic erit malus tuus ut dilatáre signum non queas. Tunc dividéntur spólia prædárum multárum: claudi dirípient rapínam. Nec dicet vicínus: Elángui: pópulus qui hábitat in ea, auferétur ab eo iníquitas.

℟. iij. Convértam conversiónem Jerúsalem, & ædificábo eos, & emundábo illos ab omni iniquitáte; * Et erit in nomen & in gaúdium cunctis géntibus terræ. ℣. Oculi tui vidébunt Jerúsalem habitatiónem opuléntam, tabernáculum quod nequáquam transférri póterit, quia solúmmodò ibi magníficus est Dóminus; * Et. Glória. * Et. *Jer.* 33. *Is.* 33.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. a. Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam mínima es in princípibus Juda, ex te enim éxiet dux qui regat pópulum meum Israël. *Matth.* 2.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Elevàre, eleváre, consúrge Jerúsalem, solve víncula colli tui captíva fília Sion. *Is.* 51. & 52. [*nisi dic. O.*]

FERIA QUARTA, Quatuor Temporum.

¶ [*Si in hanc Feriam, seu aliam 4 Temporum, vel in Vigiliam inciderit alicujus Sancti Commemoratio, tunc ex duabus primis Scripturæ occurrentis Lectionibus fiet una; secunda erit de Homilia Feriæ vel Vigiliæ; tertia de Sancto cum suo* ℟.]

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 34. & 35.

ACcédite gentes, & audíte, & pópuli atténdite: aúdiat terra, & plenitúdo ejus, orbis, & omne germen ejus. Quia indignátio Dómini super omnes gentes, & furor super univérsam milítiam eórum: interfécit eos, & dedit eos in occisiónem. Et ipse misit eis sortem, & manus ejus divísit eam illis in mensúram: usque in ætérnum possidébunt eam, in generatiónem & generatiónem habitábunt in ea. Lætábitur desérta & ínvia, & exultábit solitúdo, & florébit quasi lílium. Gérminans ger-

mitâbit, & exultâbit lætabúndâ & laudans : glória Líbani data est ei : decor Carméli, & Saron, ipsi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, & génua debília roboráte.

℟. j. Ecce revelábo illis deprecatiónem pacis & veritátis; & * Obdúcam eis cicatrícem & sanitátem, & curábo eos. ℣. Confortáte manus dissolútas, & génua debília roboráte; * Obdúcam. *Jer.* 33. *Is.* 35.

Lectio ij. Cap. 35. v. 4.

Dícite pusillánimis : Confortámini, & nolíte timére : ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis : Deus ipse véniet, & salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, & apérta erit lingua mutórum : quia scissæ sunt in desérto aquæ, & torréntes in solitúdine. Et quæ erat árida, erit in stagnum, & sítiens in fontes aquárum, in cubílibus in quibus priùs dracónes habitábant, oriétur viror cálami & junci. Et erit ibi sémita & via, & via sancta vocábitur : non transíbit per eam pollútus, & hæc erit vobis diré{c}ta via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala béstia non ascéndet per eam, nec inveniétur ibi : & ambulábunt qui liberáti fúerint. Et redémpti à Dómino converténtur, & vénient in Sion cùm laude : & lætítia sempitérna super caput eórum : gaúdium & lætítiam obtinébunt, & fúgiet dolor & gémitus.

℟. ij. In témpore illo congregabúntur omnes gentes in nómine Dómini in Jerúsalem. * Et non ambulábunt post pravitátem cordis sui péssimi. ℣. Redémpti à Dómino converténtur, & vénient in Sion cum laude; * Et non. *Jer.* 3. *Is.* 35.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 1.

In illo témpore; Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cúi nomen Názaret, ad Vírginem desponsátam viro, cúi nomen erat Joseph, de domo David; & nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit : Ave grátiâ plena : Dóminus tecum : Benedícta tu in muliéribus. Quæ cùm audísset, turbáta est in sermóne ejus, & cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas María, invenísti enim grátiam apud Deum : Ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jesum. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Lucam.

LAtent quidem divína mystéria, nec facilè, juxta Prophéticum dictum, quisquam hóminum potest scire consilium Dei: sed tamen ex céteris factis atque præcéptis Dómini Salvatóris póssumus intellígere; & hoc propensióris fuisse consilii, quòd ea potíssimum elécta est ut Dóminum páreret, quæ erat desponsáta viro. Cur autem non ántequam desponsarétur, impléta est? Fortásse ne dicerétur, quòd concéperat ex adultério. Et ingréssus ad eam Angelus. Tanti namque mandáti mystérium, non hóminis fuit, sed Angeli ore proméndum. Hódie primùm audítur: Spíritus sanctus supervéniet in te. Et audítur, & créditur. Dénique, Ecce, inquit, ancílla Dómini: contíngat mihi secúndùm verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancíllam se dicit Dómini, quæ mater elígitur: nec repentíno exaltáta promísso est: mitem enim humilémque paritúra, humilitátem débuit étiam ipsa præférre.

℟. *iij.* Nova ego annúntio, dicit Dóminus redémptor tuus, *Súscitans verbum servi sui, & consílium nunciórum suórum complens. ℣. Eréxit cornu salútis nobis, in domo David púeri sui, sicut locútus est per os Sanctórum Prophetárum ejus, * Súscitans. Glória. * Súscitans. *Is. 42. & 44. v. 26. Luc. 1.*

Ad Benedíctus, *Ant. 5. a.* Exspectábo Dóminum qui abscóndit faciem suam à domo Jacob, & præstolábor eum. *Isai. 8.*

Oratio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut redemptiónis nostræ ventúra solémnitas, & præséntis nobis vitæ subsídia conférat, & ætérnæ beatitúdinis præmia largiátur; Per Dóminum.

Et dicitur ad Laudes & ad Horas tantùm.

Ad Magníficat, *Ant. 1. f.* Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus, & regnábit in ætérnum. *Luc. 1. (nisi dic. Ant. O.)*

Oratio, Aurem tuam. *suprà in Dom. III. Adv. p. 207.*

FERIA QUINTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap. 40. v. 12.*

QUis mensus est pugíllo aquas, & cælos palmo ponderávit? Quis appéndit tribus dígitis molem terræ, & librávit in póndere montes, & colles in statéra? Quis adjúvit spíritum Dómini? aut quis consiliárius ejus fuit, & osténdit illi? Cum quo iniit consílium, & instrúxit eum,

tum, & dócuit eum sémitam justítiæ, & erudívit eum sciéntiam, & viam prudéntiæ osténdit illi? Ecce Gentes quasi stilla sítulæ, & quasi moméntum statéræ reputátæ sunt: ecce ínsulæ quasi púlvis exíguus. Et Líbanus non sufficiet ad succendéndum, & animália ejus non sufficient ad holocaústum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi níhilum & inane reputátæ sunt ei.

℟. j. Quis hóminum póterit scire consílium Dei? * Quóniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt ómnia. ℣. Quis adjúvit spíritum Dómini, aut quis consiliárius ejus fuit? * Quóniam. *Sap.* 9. *Rom.* 11. *If.* 40.

Lectio ij. *Cap.* 41.

QUis suscitávit ab Oriénte justum, vocávit eum ut sequerétur se? dabit in conspéctu ejus gentes, & reges obtinébit: dabit quasi púlverem gládio ejus, sicut stípulam vento raptam árcui ejus. Et tu Israël serve meus, Jacob quem elégi, semen Abraham amíci mei; in quo apprehéndi te ab extrémis terræ, & à longínquis ejus vocávi te, & dixi tibi: Servus meus es tu, elégi te, & non abjéci te. Ne tímeas, quia ego tecum sum: ne declínes, quia ego Deus tuus: confortávi te, & auxiliátus sum tibi, & suscépit te déxtera justi mei. Noli timére vermis Jacob, qui mórtui estis ex Israël: ego auxiliátus sum tibi, dicit Dóminus, & redémptor tuus Sanctus Israël... Suscitávi ab Aquilóne, & véniet ab ortu solis: vocábit nomen meum, & addúcet magistrátus quasi lutum, & velut plastes concúlcans humum.

℟. ij. Ne tímeas serve meus Jacob, & ne páveas Israël; quia ecce ego * Salvum te fáciam & semen tuum. ℣. Noli timére vermis Jacob; ego redémptor tuus Sanctus Israël. * Salvum. *Jer.* 46. *If.* 41.

Lectio iij. *Cap.* 42.

ECce servus meus, suscípiam eum; eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: dedi spíritum meum super eum, judícium Géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam, nec audiétur vox ejus foris. Cálamum quassátum non cónteret, & linum fúmigans non extínguet: in veritáte edúcet judícium... Ego Dóminus vocávi te in justítia, & apprehéndi manum tuam, & servávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem Géntium: ut aperíres óculos cæcórum, & edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedéntes in ténebris. Ego Dóminus, hoc

est nomen meum : glóriam meam álteri non dabo, & laudem meam sculptílibus. Quæ prima fuérunt, ecce venérunt : nova quoque ego annúntio : ántequam oriántur, audíta vobis fáciam. Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus ab extrémis terræ : qui descénditis in mare, & plenitúdo ejus ; ínsulæ, & habitatóres eárum.

℟. iij. Ecce puer meus, quem elégi ; diléctus meus, in quo bene complácuit ánimæ meæ : * In nómine ejus Gentes sperábunt. ℣. Ecce servus meus, suscípiam eum ; eléctus meus ; complácuit sibi in illo ánima mea. * In. Glória. * In. *Matth.* 12. *Is.* 42.

Ad Benedíctus, *Ant* 8. G. Sicut terra profert germen suum ; sic Dóminus Deus germinábit justítiam & laudem coram univérsis géntibus. *Isai.* 61.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Qui post me ventúrus est, fórtior me est, cujus non sum dignus calceaménta portáre, ipse vos baptizábit in Spíritu sancto & igni. *Matth.* 3.
(*nisi dicenda sit Antiphona O.*)

FERIA SEXTA
QUATUOR TEMPORUM.
De Isaía Prophéta.
Lectio j. Cap. 42. *v.* 16.

DUcam cæcos in vi
quam nésciunt ; &
sémitis, quas ign
vérunt, ambuláre eos faci
ponam ténebras coram e
lucem, & prava in recta
verba feci eis, & non de
qui eos. Convérsi sunt re
sum : confundántur conf
ne qui confídunt in sculp
qui dicunt conflátili : V
nostri. Surdi audíte, &
intuémini ad vidéndum.
cæcus, nisi servus meu
surdus, nisi ad quem nu
meos misi ? quis cæcus,
qui venúmdatus est ? &
cæcus, nisi servus Dóm
Qui vides multa, nonn
stódies ? qui apértas habe
res, nonne audies ? Et D
nus vóluit ut sanctific
eum, & magnificáret leg
& extólleret. Ipse auten
pulus dirèptus, & vasta
láqueus júvenum omnes
in dómibus cárcerum abs
diti sunt : facti sunt in
nam : nec est qui éruat
direptiónem, nec est qui
cat : Redde. Quis est in v
qui áudiat hoc, attend
auscúltet futúra ?

℟. j. Vidébit omnis
Salutáre Dei : omnis v
implébitur, & omnis m
& collis humiliábitur
erunt prava in dirécta,
áspera in vias planas. ℣.
cam cæcos in viam quam

sciant, & ponam ténebras coram eis in lucem, & prava in recta, * Et. *Luc. 3. Is. 42.*

Lectio ij. Cap. 43. v. 19.

ECce ego fácio nova, & nunc oriéntur, útique cognoscétis ea: ponam in desérto viam, & in ínvio flúmina. Glorificábit me béstia agri, dracónes & struthiónes: quia dedi in desérto aquas, flúmina in ínvio, ut darem potum pópulo meo, elécto meo. Pópulum istum formávi mihi, laudem meam narrábit. Non me invocásti Jacob, nec laborásti in me Israël. Non obtulísti mihi aríetem holocáusti tui, & víctimis tuis non glorificásti me: non te servíre feci in oblatióne, nec labórem tibi præbui in thure. Non emísti mihi argénto cálamum, & ádipe victimárum tuárum non inebriásti me. Verúmtamen servíre me fecísti in peccátis tuis: præbuísti mihi labórem in iniquitátibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui déleo iniquitátes tuas propter me, & peccatórum tuórum non recordábor. Reduc me in memóriam, & judicémur simul: narra si quid habes ut justificéris. Pater tuus primus peccávit, & intérpretes tui prævaricáti sunt in me. Et contaminávi príncipes sanctos, dedi ad interneciónem Jacob, & Israël in blasphémiam.

℟. ij. In Christo nova creatúra; vétera transiérunt, * Ecce facta sunt ómnia nova. ℣. Ecce ego fácio nova; ne meminéritis priórum, & antíqua ne intueámini: * Ecce 2. *Cor. 5. Is. 43.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 1.

IN illo témpore; Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda, & intrávit in domum Zacharíæ, & salutávit Elísabet. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabet, exultávit infans in útero ejus: & repléta est Spíritu sancto Elísabet: Et exclamávit voce magnâ, & dixit, Benedícta tu inter mulíeres, & Benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Lucam.

MOrále est ómnibus, ut qui fidem éxigunt, fidem ádstruant. Et ídeo Angelus, cùm abscóndita nuntiáret, ut fides adstruerétur exémplo, senióris féminæ sterilísque concéptum Vírgini Maríæ nuntiávit; ut possíbile Deo omne quod ei placúerit, asséreret. Ubi audívit hoc María, non quasi

incrédula de oráculo, nec quasi incérta de núntio, nec quasi dúbitans de exémplo; sed quasi læta pro voto, religiósa pro officio, festína pro gaúdio, in montána perréxit. Quò enim jam Deo plena, nisi ad superióra cum festinatióne conténderet? Nescit tarda molímina sancti Spíritûs grátia... Díscite vírgines non circumcursáre per aliénas ædes, non demorári in platéis, non áliquos in públicò miscére sermónes. María in domo séria, festína in público, mansit apud cognátam suam tribus ménsibus. Didicístis vírgines pudórem Maríæ, díscite humilitátem. Venit propínqua ad próximam, júnior ad senióren; nec solùm venit, sed étiam prior salutávit. Decet enim, ut quantò cástior virgo, tantò humílior sit. Nóverit honórem deférre senióribus: sit magístra humilitátis, in qua est proféssio castitátis.

℟. iij. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, & coram Deo invénies grátiam: * Quia omnis, qui se exáltat, humiliábitur; & qui se humíliat, exaltábitur. ℣. Humiliámini sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis; * Quia. Glória. * Quia. *Eccli.* 3. *Luc.* 14. 1. *Petr.* 5.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. a. Ponam visitatiónem tuam pacem; super te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Is.* 60.

Oratio.

Deus qui cónspicis, quia ex nostra pravitáte afflígimur; concéde propítius, ut ex tua visitatióne consolémur; Qui vivis.

Et dicitur ad Laudes & Horas tantùm.

In Vesperis *Ad* Magníficat, *Ant.* O.

Oratio, Aurem tuam. *ut in Dom. III. Adv. p.* 207.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 44.

Et nunc audi Jacob serve meus, & Israël quem elégi: Hæc dicit Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus; noli timére serve meus Jacob, & rectíssime, quem elégi. Effúndam enim aquas super sitiéntem, & fluénta super áridam: effúndam spíritum meum super semen tuum, & benedictiónem meam super stirpem tuam. Et germinábunt inter herbas quasi sálices juxta præterfluéntes aquas. Hæc dicit Dóminus rex Israël, & redémptor ejus Dóminus exercítuum: Ego primus, & ego novíssimus, & absque me

non est Deus. Quis símilis mei? vocet, & annúntiet: & órdinem expónat mihi, ex quo constítui pópulum antíquum: ventúra & quæ futúra sunt annúntient eis... Quis formávit Deum, & scúlptile conflávit ad nihil útile? Ecce omnes partícipes ejus confundéntur: fabri enim sunt ex homínibus: convénient omnes, stabunt & pavébunt, & confundéntur simul.

℟. *j.* Effúndam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris; * Et dabo vobis cor novum, & spíritum novum ponam in médio vestrî. ℣. Effúndam aquas super sitiéntes, & fluénta super áridam; effúndam spíritum meũ super semen tuum, & benedictiónem meam super stirpem tuam; * Et dabo. *Ezech.* 36. *Is.* 44.

Lectio ij. *Cap.* 44.

HÆc dicit Dóminus Redémptor tuus, & formátor tuus ex útero: Ego sum Dóminus, fáciens ómnia, exténdens cælos solus, stabíliens terram, & nullus mecum. Irrita fáciens signa divinórum, & aríolos in furórem vertens. Convértens sapiéntes retrórsum: & sciéntiam eórum stultam fáciens. Súscitans verbum servi sui, & consílium nuntiórum suórum complens. Qui dico Jerúsalem: Habitáberis; & civitátibus Juda: Ædificabímini; & desérta ejus suscitábo. Qui dico profúndo: Desoláre, & flúmina tua arefáciam. Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntátem meam complébis. Qui dico Jerúsalem: Ædificáberis; & templo: Fundáberis.

℟. *ij.* Réquies Sábbati. *ut in Psalterio, p.* 146.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio iij. *Cap.* 3.

ANno quintodécimo impérii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Judæam, tetrárchâ autem Galilææ Heróde, Philíppo autem fratre ejus tetrárchâ Iturææ, & Trachonítidis regiónis, & Lysániâ Abilínæ tetrárchâ; sub princípibus sacerdótum Annâ & Cáiphâ: factum est verbum Dómini super Joánnem. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

Homil. 20. *in Evang.*

REdemptóris nostri Præcúrsor quo témpore prædicatiónis verbum accéperit, memoráto Románæ Reipúblicæ Príncipe & Judææ Regibus designátur. Quia enim illum prædicáre veniébat, qui & ex Judæa quosdam, & multos ex Géntibus redemptúrus erat, per regem Géntium &

príncipes Judæórum prædicatiónis ejus témpora designántur. Quia autem Gentílitas colligénda erat, & Judæa pro culpa perfídiæ dispergénda, ipsa quoque descríptio terréni principátûs osténdit, quóniam & in Romána República unus præfuísse descríbitur, & in Judææ regno per quartam partem plúrimi participabántur. Voce étenim Redemptóris nostri dícitur: Omne regnum in seípsum divísum desolábitur. Liquet ergo quòd ad finem regni Judæa pervénerat, quæ tot régibus divísa subjacébat. Aptè quoque non solùm quibus régibus, sed étiam quibus sacerdótibus actum sit, demonstrátur; & quia illum Joánnes Baptísta prædicáret qui simul rex & sacérdos exísteret, Lucas Evangelísta prædicatiónis ejus témpora per regnum & sacerdótium designávit.

℟. iij. Fuit homo missus à Deo, cúi nomen erat Joánnes: * Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. ℣. Cùm vénerit verbum ejus, sciétur Prophéta quem misit Dóminus in veritáte. * Non. Glória. * Non *Joan. 1. Jer. 28.*

Ad Benedíctus, *Ant. 1. D.* Fuit Joánnes in desérto baptízans, & prædicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. *Marc. 1.*

Oratio.

EXcita, quæsumus Dómine, poténtiam tuam, & veni; ut hi, qui in tua pietáte confídunt, ab omni ocyùs adversitáte liberéntur: Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Et dicitur ad Horas.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Sabbato ante Dominicam I. Advent. præter

Capitulum. Genes. 49.

NOn auferétur sceptrum de Juda, & dux de fémore ejus, donec véniat qui mitténdus est: & ipse erit exspectátio Géntium.

Ad Magníficat, *Ant. 1.* O... *Oratio*, Excita, *infrà in Laud. Matut.*

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Semiduplex.

Omnia ut in Dominica I. Adventûs, præter

IN I. NOCT.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 45.

PRopter servum meum Jacob, & Israël eléctum meum, & vocávi te nómine tuo; assimilávi te, & non cognovísti me. Ego Dóminus, & non est ámpliùs; extra me non est Deus; accínxi te, & non cognovísti me: Ut sciant hi, qui ab ori...

m solis, & qui ab occidénte, quóniam absque me non est: Ego Dóminus, & non est alter, formans lucem, & creans ténebras, fáciens pacem, & creans malum: ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte cæli désuper, & nubes pluant justum: aperiátur terra & gérminet salvatórem: & justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eum. Væ qui contradícit fictóri suo, testa de sámiis terræ: numquid dicet lutum fígulo suo: Quid facis, & opus tuum absque mánibus est? Væ qui dicit patri: Quid géneras? & mulíeri: Quid párturis?

℟. j. Iste dies, *ut in Dominica I. Adventûs, pag.* 167.

Lectio ij.

EGo suscitávi eum ad justítiam, & omnes vias ejus dírigam: ipse ædificábit civitátem meam, & captivitátem meam dimíttet, non in prétio, neque in munéribus, dicit Dóminus Deus exercítuum. Hæc dicit Dóminus: Labor Ægypti, & negotiátio Æthiópiæ, & Sábaïm viri sublímes ad te transíbunt, & tui erunt: Post te ambulábunt, vincti mánicis pergent: & te adorábunt, teque deprecabúntur: Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israël salvátor. Confúsi sunt, & erubuérunt omnes simul: abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum. Israël salvátus est in Dómino salúte ætérnâ: non confundémini, & non erubescétis usque in séculum séculi.

℟. ij. Dies sanctificátus. *p.* 4

Lectio iij.

ANnuntiáte, & veníte, & consiliámini simul: quis audítum fecit hoc ab inítio, ex tunc prædíxit illud: numquid non ego Dóminus, & non est ultrà Deus absque me? Deus justus, & salvans non est præter me; convertímini ad me, & salvi éritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est álius. In memetípso jurávi, egrediétur de ore meo justítiæ verbum, & non revertétur. Quia mihi curvábitur omne genu, & jurábit omnis lingua. Ergo in Dómino, dicet, meæ sunt justítiæ & impérium, ad eum vénient, & confundéntur omnes qui repúgnant ei. In Dómino justificábitur, & laudábitur omne semen Israël.

℟. iij. Pascha nostrum. *p.* 4.

IN II. NOCT.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio iv. Cap. 6. *v.* 12.

NOn ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis

concupiscéntiis ejus. Sed neque exhibeátis membra vestra arma iniquitátis peccáto: sed exhibéte vos Deo, tamquam ex mórtuis vivéntes: & membra vestra arma justítiæ Deo. Peccátum enim vobis non dominábitur: non enim sub lege estis, sed sub grátia. Quid ergo? peccábimus, quóniam non sumus sub lege, sed sub grátia? Absit. Nescítis quóniam cúi exhibétis vos servos ad obediéndum, servi estis ejus, cúi obedítis, sive peccáti ad mortem, sive obeditiónis ad justítiam? ... Stipéndia enim peccáti, mors. Grátia autem Dei, vita ætérna, in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. *iv.* Invídiâ diáboli mors introívit in orbem terrárum. * Grátia autem Dei, vita ætérna in Christo Jesu Dómino nostro. ℣. Stipéndia peccáti, mors; * Grátia. *Sap.* 2. *Rom.* 6

Lectio v. *Cap.* 7.

AN ignorátis, fratres, (sciéntibus enim legem loquor) quia lex in hómine dominátur quanto témpore vivit? Nam quæ sub viro est múlier, vivénte viro, alligáta est legi: si autem mórtuus fúerit vir ejus, solúta est à lege viri. Igitur vivénte viro, vocábitur adúltera si fúerit cum álio viro: si autem mórtuus fúerit vir ejus, liberáta est à lege viri: ut non sit adúltera si fúerit cum álio viro. Itaque fratres mei, & vos mortificáti estis legi per corpus Christi; ut sitis altérius, qui ex mórtuis resurréxit, ut fructificémus Deo. Cùm enim essémus in carne, passiónes peccatórum, quæ per legem erant, operabántur in membris nostris, ut fructificárent morti. Nunc autē solúti sumus à lege mortis, in qua detinebámur, ita ut serviámus in novitáte spíritûs, & non in vetustáte lítteræ. Quid ergo dicémus? lex peccátum est? Absit. Sed peccátum non cognóvi, nisi per legem: nam concupiscéntiam nesciébam, nisi lex díceret: Non concupísces. Occasióne autem accéptâ, peccátum per mandátum operátum est in me omnem concupiscéntiam. Sine lege enim peccátum mórtuum erat.

℟. *v.* In Christo nova creatúra; vétera transiérunt, * Ecce facta sunt ómnia nova. ℣. Serviámus in novitáte spíritûs, & non in vetustáte lítteræ. * Ecce. 2. *Cor.* 5. *Rom.* 7

Lectio vj.

EGo autem vivébam sine lege aliquándo: sed cùm venísset mandátum, peccátum revíxit... Scimus enim quia lex spirituális est, ego autem carnális sum, venúmdatus sub peccáto. Quod enim óperor, non intélligo: non enim quod

volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud fácio... Invénio ígitur legem, voléntі mihi fácere bonum, quóniam mihi malum ádjacet: Condeléctor enim legi Dei secúndùm interiórem hóminem: vídeo autem áliam legem in membris meis, repugnántem legi mentis meæ, & captivántem me in lege peccáti, quæ est in membris meis. Infélix ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? Grátia Dei per Jesum Christum Dóminum nostrum. Igitur ego ipse mente sérvio legi Dei: carne autem, legi peccáti.

℟. vj. Mortificáti estis legi per corpus Christi, ut sitis altérius qui ex mórtuis resurréxit * Ut fructificémus Deo. ℣. Cùm essémus in carne, passiónes peccatórum operabántur in membris nostris, ut fructificárent morti; nunc autem solúti sumus à lege mortis, * Ut. Glória. * Ut. *Rom.* 7.

In III. Noct.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 3.

ANno quintodécimo Impérii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Judæam, Tetrárchâ autem Galilææ Heróde, Philíppo autem fratre ejus Tetrárchâ Ituræ & Trachonítidis regiónis, & Lysániâ Abilínæ Tetrárchâ, sub Príncipibus Sacerdótum Annâ & Cáïpha, factum est verbum Dómini super Joánnem, Zacharíæ fílium, in desérto. Et venit in omnem regiónem Jordánis prædicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónē peccatórum, sicut scriptum est in Libro sermónum Isaíæ prophétæ: Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini; rectas fácite sémitas ejus. Et relíqua.

Homília sancti Gregórii Papæ. 20. *in Evang.*

CUnctis legéntibus liquet, quia Joánnes non solùm baptísmum pœniténtiæ prædicávit, verùm étiam quibúsdam dedit: sed tamen baptísmum suum in remissiónem peccatórum dare non pótuit. Remíssio étenim peccatórum in solo nobis baptísmo Christi tribúitur. Notándum ítaque, quod dícitur, Prædicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum: quóniam baptísmum quod peccáta sólveret, quia dare non póterat, prædicábat: ut sicut incarnátum Verbum Patris præcurrébat verbo prædicatiónis, ita baptísmum pœniténtiæ, quo peccáta solvúntur, præcúrreret suo baptísmate, quo peccáta solvi non possunt; ut quia ejus ser-

mo præcurrébat præséntiam Redemptóris, ipsum quoque ejus baptísma præcedéndo fieret umbra veritátis.

℟. vij. Appropinquávit regnum cælórum: * Fácite ergo fructus dignos pœniténtiæ: paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. ℣. Ego quidem baptízo vos in aqua in pœniténtiam. * Fácite. *Matth. 3. Luc. 3.*

Lectio viij.

IDem Joánnes Baptísta requisítus, quis esset, respóndit dicens: Ego vox clamántis in desérto. Qui sicut antè per nos dictum est, ideò vox à Prophéta vocátus est, quia verbum præíbat. Quid autem clamáret, aperítur cùm súbditur: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. Omnis qui fidem rectam & bona ópera prædicat, quid áliud quàm veniénti Dómino ad corda audiéntium viam parat? ut hæc vis grátiæ pénetret, ut lumen veritátis illústret, ut rectas Deo sémitas fáciat, dum mundas in ánimo cogitatiónes per sermónem bonæ prædicatiónis format. Omnis vallis implébitur, & omnis mons & collis humiliábitur.

℟. viij. Constítuit Deus humiliáre omnem montem excélsum, & conválles replére in æqualitátem; * Ut ámbulet Israël diligénter in honórem Dei. ℣. Omnis vallis implébitur, & omnis mons & collis humiliábitur; * Ut. *Bar. 5. Luc. 3.*

Lectio ix.

SCiéndum est quia quisquis illícita nulla commísit, huic jure concéditur ut lícitis utátur: sicque pietátis ópera fáciat, ut tamen si noluerit, ea quæ mundi sunt non relínquat. At si quis in fornicatiónis culpam, vel fortásse (quod est grávius) in adultérium lapsus est, tantò à se lícita debet abscíndere, quantò se méminit & illícita perpetrásse. Neque enim par fructus boni óperis esse debet ejus qui minùs, & ejus qui ámpliùs deliquit: aut ejus qui in nullis, & ejus qui in quibúsdam facinóribus cécidit, & ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dícitur: Fácite fructus dignos pœniténtiæ; uniuscujúsque consciéntia convenitur: ut tantò majóra quærat bonórum óperum lucra per pœniténtiam, quanto gravióra sibi íntulit damna per culpam.

℟. ix. Projícite à vobis omnes prævaricatiónes vestras, & fácite vobis cor novum, & spíritum novum. Quia nolo mortem moriéntis, * Revertímini, & vívite. ℣. Paráte viam Dómini, rectas fácite sémi-

ejus; *Revertímini. Glória. Projícite. Ezech. 18. Luc. 3.

AD LAUDES MATUTINAS, in Dominica III. Adventûs.

Capitulum. *Isaiæ 2.*

VEníte, & ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob: & docébit nos vias suas, & ambulábimus in sémitis ejus: quia de Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúsalem.

Hymnus, Vox clara. ℣. Ecce Dóminus. *p.* 172.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. *D.* Non auferétur sceptrum de Juda & dux de fémore ejus, donec véniat qui mitténdus est; & ipse erit exspectátio géntium. *Genes.* 49.

Oratio.

EXcita, quǽsumus Dómine, poténtiam tuam, & veni, & magnâ nobis virtúte succúrre: ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret; Qui vivis & regnas.

AD HORAS,

Añæ de Laudibus Matut. Dominicæ III. Advent. quartâ prætermissâ. Capitula & ℟. brevia ut in Dom. I. Adventûs.

AD VESPERAS,

Añæ ad Psalmos juxta diem mensis suprà assignatæ.

Capitulum. *Philip. 3.*

SAlvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ.

Hymnus, Cónditor, ℣. Excita, *suprà pag.* 165.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. *n.* O.

Oratio, Excita, *suprà ad Laudes.*

FERIA SECUNDA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 46. *v.* 3.

AUdíte me domus Jacob, & omne resíduum domûs Israël, qui portámini à meo útero, qui gestámini à mea vulva. Usque ad senéctam ego ipse, & usque ad canos ego portábo: ego feci, & ego feram: ego portábo, & salvábo... Recordámini prióris séculi, quóniam ego sum Deus, & non est ultrà Deus, nec est símilis mei: Annúntians ab exórdio novíssimum, & ab inítio quæ necdum facta sunt, dicens: Consílium meum stabit, & omnis volúntas mea fiet. Audíte me, duro corde, qui longè estis à justítia. Propè feci justítiam meam, non elongábitur, & salus mea non morábitur. Dabo in Sion salútem, & in Israël glóriam meam.

℟. j. Ne despícias Dómine partem quam redemísti tibi. * Dómine non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israël. ℣. Con-

silium meum stabit, & omnis volúntas mea fiet: propè feci justítiam meam, non elongábitur, & salus mea non morábitur. * Dómine. *Esther.* 13. *If.* 46.

Lectio ij. Cap. 47. *v.* 4.

Redémptor noster, Dóminus exercítuum, nomen illíus, Sanctus Israël. Sede tacens, & intra in ténebras filia Chaldæórum: quia non vocáberis ultrà dómina regnórum. Irátus sum super pópulum meum, contaminávi hereditátem meam, & dedi eos in manu tua: non posuísti eis misericórdias: super senem aggravásti jugum tuum valde. Defecísti in multitúdine consiliórum tuórum: stent, & salvent te aúgures cæli, qui contemplabántur sídera, & supputábant menses, ut ex eis annuntiárent ventúra tibi. Ecce facti sunt quasi stípula, ignis combússit eos: non liberábunt ánimam suam de manu flammæ: non sunt prunæ quibus calefiant, nec focus, ut sédeant ad eum. Sic facta sunt tibi in quibuscúmque laboráveras: negotiatóres tui ab adolescéntia tua, unusquísque in via sua erravérunt: non est qui salvet te.

℟. ij. Quid gloriáris filia delicáta, quæ gloriáris in thesaúris tuis? Ecce ego indúcam super te terrórem: * Audi verba mèa atque consília: & erit Deus tecum. ℣. Audi hæc delicáta & hábitans confidénter; véniet super te malum, & néscies ortum ejus; írruet super te calámitas, quam non póteris expiáre. * Audi. *Jer.* 49. *Deut.* 18. *If.* 47.

Lectio iij. Cap. 48. *v.* 17.

Hæc dicit Dóminus redémptor tuus Sanctus Israël: Ego Dóminus Deus tuus docens te utília, gubérnans te in via quâ ámbulas. Utinam attendísses mandáta mea: facta fuísset sicut flumen pax tua, & justítia tua sicut gúrgites maris. Et fuísset quasi aréna semen tuum, & stirps úteri tui ut lapílli ejus: non interísset, & non fuísset attrítum nomen ejus à fácie mea. Egredímini de Babylóne, fúgite à Chaldæis, in voce exultatiónis annuntiáte: audítum fácite hoc, & efférte illud usque ad extréma terræ. Dícite: Redémit Dóminus servum suum Jacob. Non sitiérunt in desérto, cùm edúceret eos: aquam de petra prodúxit eis, & scidit petram, & fluxérunt aquæ. Non est pax ímpiis, dicit Dóminus.

℟. iij. Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * Cùm convérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israël. ℣. In voce exultatiónis annun-

tiáte & efférte illud usque ad extréma terræ; dícite, Redémit Dóminus servum suum Jacob. * Cùm. Glória. * Cùm. *Ps.* 52. *Is.* 48.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. c. Sciet omnis caro, quia ego Dóminus salvans te, & Redémptor tuus. *Is.* 49.

Ad Magníficat, *Ant.* O.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 49. v. 5.

NUnc dicit Dóminus, formans me ex útero servum sibi, ut redúcam Jacob ad eum, & Israël non congregábitur: & glorificátus sum in óculis Dómini, & Deus meus factus est fortitúdo mea. Et dixit: Parum est ut sis mihi servus ad suscitándas tribus Jacob, & fæces Israël convertendas. Ecce dedi te in lucem Géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ. Hæc dicit Dóminus: In témpore plácito exaudívi te, & in die salútis auxiliátus sum tuî: & servávi te, & dedi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram, & possidéres hereditátes dissipátas: ut díceres his, qui vincti sunt: Exite; & his, qui in ténebris: Revelámini. Super vias pascéntur, & in ómnibus planis páscua eórum. Non esúrient, neque sítient, & non percútiet eos æstus & sol: quia miserátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos.

℟. j. In die illa, dicit Dóminus, suscitábo tabernáculum David quod décidit; & ea quæ corrúerant, instaurábo sicut in diébus antiquis, * Ut possídeant omnes natiónes, eo quòd invocátum sit nomen meum super eos. ℣. Et nunc dicit Dóminus, formans me ex útero servum sibi ut redúcam Jacob ad eum, * Ut. *Amos* 9. *Is.* 40.

Lectio ij.

ET ponam omnes montes meos in viam, & sémitæ meæ exaltabúntur. Ecce isti de longè vénient, & ecce illi ab Aquilóne & mari, & isti de terra Austráli. Laudáte cæli, & exúlta terra, jubiláte montes laudem; quia consolátus est Dóminus pópulum suum, & paúperum suórum miserébitur. Et dixit Sion: Derelíquit me Dóminus, & Dóminus oblítus est meî. Numquid oblivísci potest múlier infántem suum, ut non misereátur fílio úteri sui? & si illa oblíta fúerit, ego tamen non oblivíscar tuî. Ecce in mánibus meis descrípsi te: muri tui coram óculis meis semper. Venérunt structóres tui: destruéntes te, & dissipántes à te exibunt... Et scies quia ego Dóminus, su-

per quo non confundéntur qui exspéctant eum. Numquid tollétur à forti præda? aut quod captum fúerit à robústo, salvum esse póterit? Quia hæc dicit Dóminus: Equidem, & captívitas à forti tollétur: & quod ablátum fúerit à robústo, salvábitur. Eos verò, qui judicavérunt te, ego judicábo, & filios tuos ego salvábo.

℟. ij. Exhortámur ne in vácuum grátiam Dei recipiátis; ait enim: Témpore accépto exaudívi te, & in die salútis adjúvi te; * Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. ℣. Numquid oblivísci potest múlier infántem suum, ut non misereátur fílio úteri sui. * Ecce. 2. *Cor.* 6. *Is.* 49.

Lectio iij. Cap. 50. *v.* 4.

Dominus dedit mihi linguam eruditam ut sciam sustentáre eum, qui lassus est verbo: érigit manè, manè érigit mihi aurem, ut áudiam quasi magístrum. Dóminus Deus apéruit mihi aurem, ego autem non contradíco: retrórsum non ábii. Corpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas velléntibus: fáciem meam non avérti ab increpántibus, & conspuéntibus in me. Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus: ídeo pósui fáciem meam ut petram duríssimam, & scio quóniam non confúndar. Juxtà est qui justíficat me, quis contradícet mihi? stemus simul, quis est adversárius meus? accédat ad me. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus: quis est qui condémnet me? Ecce omnes quasi vestiméntum conteréntur, tínea cômedet eos. Quis ex vobis timens Dóminum, áudiens vocem servi sui? qui ambulávit in ténebris, & non est lumen ei, speret in nómine Dómini, & innitátur super Deum suum. Ecce vos omnes accendéntes ignem accíncti flammis, ambuláte in lúmine ignis vestri, & in flammis, quas succendístis: de manu mea factum est hoc vobis, in dolóribus dormiétis.

℟. iij. Non voléntis, neque curréntis, sed miseréntis est Dei. Voluntáti enim ejus quis resístit? Quis accusábit advérsùs eléctos Dei? Deus qui justíficat, * Quis est qui condémnet? ℣. Juxtà est qui justíficat me, quis contradícet mihi? Ecce Dóminus auxiliátor meus; * Quis est. Glória. * Quis est. *Rom.* 9 *&* 8. *Is.* 50.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. *G.* Dicit Dóminus, Pœniténtiam ágite, appropinquávit enim regnum cælórū. *Mat.* 4.

Ad Magníficat, *Ant.* O.

FERIA QUARTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 51. v. 3.

Consolábitur ergo Dóminus Sion, & consolábitur omnes ruínas ejus: & ponet desértum ejus quasi delícias, & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gaúdium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio & vox laudis. Attèndite ad me pópule meus, & tribus mea me audíte: quia lex à me éxiet, & judícium meum in lucem populórum requiéscet. Propè est justus meus, egréssus est Salvátor meus; & bráchia mea pópulos judicábunt; me ínsulæ exspectábunt, & bráchium meum sustinébunt. ... Audíte me qui scitis justum, pópulus meus, lex mea in corde eórum: nolíte timére oppróbrium hóminum, & blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis: & sicut lanam, sic devorábit eos tínea: Salus autē mea in sempitérnum erit, & justítia mea in generatiónes generatiónū.

℟. *j.* Exspécta Dóminum, & custódi viam ejus. Salus justórum à Dómino, * Et adjuvábit eos, & liberábit eos, & salvábit eos. ℣ Propè est justus meus; consolábitur Sion, & ponet desértum ejus quasi delícias; * Et adjuvábit. *Ps.* 36. *Is.* 51.

Lectio ij.

Consúrge, consúrge, indúere fortitúdinem bráchium Dómini: consúrge sicut in diébus antíquis, in generatiónibus seculórū. Numquid non tu siccásti mare, aquam abyssi veheméntis: qui posuísti profúndum maris viam, ut transírent liberáti? Et nunc qui redémpti sunt à Dómino, reverténtur, & vénient in Sion laudántes; & lætítia sempitérna super cápita eórum, gaúdium & lætítiam tenébunt, fúgiet dolor & gémitus. Ego, ego ipse consolábor vos; quis tu, ut timéres ab hómine mortáli, & à fílio hóminis, qui quasi fœnum ita aréscet? Et oblítus es Dómini factóris tui, qui tetèndit cœlos, & fundávit terram: & formidásti júgiter totâ die à fácie furóris ejus qui te tribulábat, & paráverat ad perdéndum: ubi nunc est furor tribulántis? Citò véniet grádiens ad aperiéndum, & non interfíciet usque ad interneciónem, nec defíciet panis ejus. Ego autem sum Dóminus Deus tuus, qui contúrbo mare, & intuméscunt fluctus ejus: Dóminus exercítuum nomen meū.

℟. Visitábo oves meas, & liberábo eas de ómnibus locis in quibus dispérsæ fúerant in die nubis & calíginis, & in-

dúcam eas in terram suam, * Et in páscuis pínguibus pascéntur super montes Isräël. ℣. Posuísti viam ut transírent liberáti; & redémpti à Dómino reverténtur; * Et in. *Ezech. 34. Is. 50.*

Lectio iij.

POsui verba mea in ore tuo, & in umbra manûs meæ protéxi te, ut plantes cœlos, & fundes terram: & dicas ad Sion: Pópulus meus es tu. Eleváre, eleváre, consúrge Jerúsalem, quæ bibísti de manu Dómini cálicem iræ ejus: usque ad fundum cálicis sopóris bibísti, & potásti usque ad fæces. Non est qui sustíneat eam ex ómnibus fíliis, quos génuit: & non est qui apprehéndat manum ejus ex ómnibus fíliis quos enutrívit. Duo sunt quæ occurrérunt tibi; quis contristábitur super te? vástitas, & contrítio, & fames, & gládius; quis consolábitur te? Fílii tui projécti sunt, dormiérunt in cápite ómnium viárum, sicut oryx illaqueátus: pleni indignatióne Dómini, increpatióne Dei tui. Idcircò audi hoc paupércula, & ébria non à vino. Hæc dicit dominátor tuus Dóminus, & Deus tuus, qui pugnábit pro pópulo suo: Ecce tuli de manu tua cálicem sopóris, fundum cálicis indignatiónis meæ, non adjícies ut bibas illum ultrà.

℟. iij. Exue te Jerúsalem stolâ luctûs, índue te decóre & honóre; Deus enim osténdet splendórem suum in te omni qui sub cælo est, * Ut ámbulet Isräël diligénter in honórem Dei. ℣. Eleváre, consúrge Jerúsalem; ecce tuli de manu tua cálicem indignatiónis meæ, non adjícies ut bibas illum ultrà. * Ut. Glória. * Ut. *Baruch. 5. Is. 51.*

Ad Benedíctus, *Ant. 7. a.* Ego levávi manum meam, ut vos montes Isräël ramos vestros germinétis, & fructum vestrum afferátis pópulo meo; propè enim est ut véniat. *Ezech. 36.*

Ad Magníficat, *Ant.* O.

FERIA QUINTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap. 54.*

LAuda stérilis quæ non paris: decánta laudem, & hinni quæ non pariébas: quóniam multi fílii desértæ, magis quàm ejus quæ habet virum, dicit Dóminus. Diláta locum tentórii tui, & pelles tabernaculórum tuórum exténde, ne parcas: longos fac funículos tuos, & clavos tuos consólida. Ad déxteram enim, & ad lævam penetrábis: & semen tuum gentes hereditábit, & civitátes desértas inhabitábit. Noli

timére, quia non confundéris, neque erubéſces: non enim te pudébit, quia confuſiónis adoleſcéntiæ tuæ oblivíſcéris, & oppróbrii viduitátis tuæ non recordáberis ámpliùs. Quia dominábitur tuî qui fecit te, Dóminus exercítuum nomen ejus: & Redémptor tuus Sanctus Iſraël, Deus omnis terræ vocábitur. Quia ut mulíerem derelíctam & mœréntem ſpíritu vocávit te Dóminus, & uxórem ab adoleſcéntia abjéctam, dixit Deus tuus, ad punctum in módico derelíqui te, & in miſeratiónibus magnis congregábo te. In moménto indignatiónis abſcóndi fáciem meam parúmper à te, & in miſericórdia ſempitérna miſértus ſum tuî: dixit Redémptor tuus Dóminus.

℟. j. Animæquióres eſtóte filii; ego ſperávi in ætérnum ſalútem veſtram, & venit mihi gáudium à ſancto ſuper miſericórdia * Quæ véniet vobis ab ætérno Salutári veſtro. ℣. In moménto indignatiónis abſcóndi fáciem meam parúmper à te, & miſértus ſum tuî in miſericórdia ſempitérna, * Quæ véniet. *Baruch.* 4. *Iſ.* 54.

Lectio ij.

MOntes enim commovebúntur, & colles contremiſcent: miſericórdia autem mea non recédet à te, & fœdus pacis meæ non movébitur: dixit miſerátor tuus Dóminus. Paupércula tempeſtáte convúlſa, abſque ulla conſolatióne. Ecce ego ſternam per ordinem lápides tuos, & fundábo te in ſapphíris, & ponam jáſpidem propugnácula tua, & portas tuas in lápides ſculptos, & omnes términos tuos in lápides deſiderábiles. Univérſos filios tuos doctos à Dómino; & multitúdinem pacis filiis tuis. Et in juſtítia fundáberis: recéde procul à calúmnia, quia non timébis: & à pavóre, quia non appropinquábit tibi. Ecce áccola véniet, qui non erat mecum, ádvena quondam tuus adjungétur tibi.

℟. ij. Nemo poteſt veníre ad me, niſi Pater qui miſit me tráxerit eum. Eſt ſcriptum in Prophétis: * Et erunt docíbiles Dei; & omnis qui audívit à Patre venit ad me. ℣. Ponam univérſos filios tuos doctos à Dómino, & multitúdinem pacis filiis tuis. * Et erunt. *Joan.* 6. *Iſ.* 56.

Lectio iij. Cap. 56. v. 7.

ADdúcam eos in montem ſanctum meum, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ; holocaúſta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi ſuper altári meo: quia domus mea domus oratiónis vocábi-

tur cunctis pópulis. Ait Dóminus Deus, qui cóngregat dispérsos Israël: Adhuc congregábo ad eum congregátos ejus. Omnes bestiæ agri veníte ad devorándum, univérsæ béstiæ saltûs. Speculatóres ejus cæci omnes, nesciérunt univérsi: canes muti non valéntes latráre, vidéntes vana, dormiéntes, & amántes sómnia. Et canes impudentíssimi nesciérunt saturitátem: ipsi pastóres ignoravérunt intelligéntiam: omnes in viam suam declinavérunt, unusquísque ad avarítiam suam à summo usque ad novíssimum.

℟. iij. Erravérunt greges mei, facti sunt in rapínam; neque enim quæsiérunt pastóres mei gregem meum, sed pascébant semetípsos: * Proptéreà ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas. ℣. Ipsi pastóres cæci omnes; canes muti, non valéntes latráre, vidéntes vana, ignoravérunt intelligéntiam, omnes in viam suam declinavérunt unusquísque ad avarítiam suam: * Proptérea. Glória. * Proptérea. *Ezech.* 34. *Is.* 56.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. A. Ego ad Dóminum aspíciam, exspectábo Deum Salvatórem meum. *Mich.* 7.

Ad Magníficat, *Ant.* O.

FERIA SEXTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 57.

Justus perit, & non est qui recógitet in corde suo: & viri misericórdiæ colligúntur, quia non est qui intélligat: à fácie enim malítiæ colléctus est justus. Véniat pax, requiéscat in cubíli suo qui ambulávit in directióne sua... Viam fácite, præbéte iter, declináte de sémita, auférte offendícula de via pópuli mei. Quia hæc dicit Excélsus, & sublímis hábitans æternitátem: & sanctum nomen ejus in excélso, & in sancto hábitans, & cum contríto & húmili spíritu: ut vivíficet spíritum humílium, & vivíficet cor contritórum. Non enim in sempitérnum litigábo, neque usque ad finem iráscar: quia spíritus à fácie mea egrediétur, & flatus ego fáciam. Propter iniquitátem avarítiæ ejus irátus sum, & percússi eum: abscóndi à te fáciem meam, & indignátus sum: & ábiit vagus in via cordis sui. Vias ejus vidi, & sanávi eum, & redúxi eum, & réddidi consolatiónes ipsi, & lugéntibus ejus.

℟. j. Emísi vos cum luctu & plorátu, redúcet autem vos Dóminus cum gáudio & jucunditáte; * Qui enim indúxit vobis mala, ipse rursum

addúcet vobis sempitérnam jucunditátem cum salúte vestra. ℣. Non in sempitérnum litigábo, neque usque ad finem iráscar, quia spíritus à fácie mea egrediétur, & flatus ego fáciam; * Qui enim. *Baruch. 4. Is. 57.*

Lectio ij. *Cap. 59.*

ECce non est abbreviáta manus Dómini, ut salváre néqueat, neque aggraváta est auris ejus ut non exaúdiat: sed iniquitátes vestræ divisérunt inter vos & Deum vestrum, & peccáta vestra abscondérunt fáciem ejus à vobis ne exaudíret. Manus enim vestræ pollútæ sunt sánguine, & dígiti vestri iniquitáte; lábia vestra locúta sunt mendácium, & lingua vestra iniquitátem fatur. Non est qui ínvocet justítiam, neque est qui júdicet verè: sed confídunt in níhilo, & loquúntur vanitátes: concepérunt labórem, & peperérunt iniquitátem. Ova áspidum rupérunt, & telas aráneæ texuérunt: qui coméderit de ovis eórum, moriétur: & quod confótum est, erúmpet in régulum. Telæ eórum non erunt in vestiméntum, neque operiéntur opéribus suis: ópera eórum, ópera inutília, & opus iniquitátis in mánibus eórum. Pedes eórum ad malum currunt; & festínant ut effúndant sánguinem innocéntem: cogitatiónes eórum, cogitatiónes inútiles: vástitas & contrítio in viis eórum. Viam pacis nesciérunt, & non est judícium in gréssibus eórum: sémitæ eórum incurvátæ sunt eis; omnis qui calcat in eis, ignórat pacem.

℟. ij. Projícite à vobis omnes prævaricatiónes vestras, & * Fácite vobis cor novum & spíritum novum. ℣. Non est qui júdicet verè; sed confídunt in níhilo, & loquúntur vanitátes. * Fácite. *Ezech. 18. Is. 59.*

Lectio iij.

MUltiplicátæ sunt enim iniquitátes nostræ coram te, & peccáta nostra respondérunt nobis: quia scélera nostra nobíscum, & iniquitátes nostras cognóvimus, peccáre & mentíri contra Dóminum: & avérsi sumus ne irémus post tergum Dei nostri, ut loquerémur calúmniam & transgressiónem: concépimus, & locúti sumus de corde verba mendácii. Et convérsum est retrórsum judícium, & justítia longè stetit: quia córruit in platéa véritas, & æquitas non pótuit ingredi. Et facta est véritas in oblivиónem: & qui recéssit à malo, prædæ pátuit: & vidit Dóminus, & malum appáruit in óculis ejus, quia non

est judícium. Et timébunt qui ab occidénte, nomen Dómini; & qui ab ortu solis, glóriã ejus; cùm vénerit quasi flúvius violéntus, quem spíritus Dómini cogit: & vénerit Sion Redémptor, & eis qui rédeunt ab iniquitáte in Jacob, dicit Dóminus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dóminus; Spíritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ pósui in ore tuo, non recédent de ore tuo, & de ore séminis tui, & de ore séminis séminis tui, dicit Dóminus, ámodò & usque in sempitérnum.

℟. iij. Ecce dies vénient, dicit Dóminus; & fériam dómui Israël & dómui Juda fœdus novum: dabo legem in viscéribus eórum; &* In corde eórum scribam eam, ℣. Non atraménto, sed Spíritu Dei vivi; non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus, * In corde. Glória. * In corde. *Jer.* 31. 2. *Cor.* 3.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Salvábo vos, & éritis benedíctio; nolíte timére, confortêntur manus vestræ. *Zach.* 8.

VIGILIA

NATIVITATIS DOMINI,

[¶ *Si venerit in Dominica, Officium fit hoc modo:*

Invitatorium, Cras erit, *ut infrà. Hymn.* Verbum, *suprà pag.* 166.

I. & II. Noct. de Dom IV. Adventûs.

In III. Noct. tres Añæ de Vigilia, cum Lectionib Homilia, de qua fient Lec 7. 8. 9. divisione factâ asteriscos. ℟. ℟. ℟. *de Vi & nihil legitur de Homili minicæ. Reliqua omnia de lia, sine Commemoratione minicæ.*]

Si privato die venerit

AD NOCT.

Invitat. Cras erit vob lus: Deus ipse véniet, & vábit vos;* Veníte adoré 1. *Reg.* 11. *Is.* 35.

Psalm. 94. Veníte. *p.* 1

Hymn. Verbum. *sup. p.*

Ant. 1. g. Ecce tuli de nu tua cálicem sopóris, dum cálicis indignati meæ. *Is.* 51.

Ant. 8. c. Descéndet plúvia in vellus, & án paúperum salvas fáciet.

Ant. 4. f. Pars mea D nus, dixit ánima mea: ptéreà exspectábo eum *Thren.* 3.

℣. Citò antícipent no sericórdiæ tuæ, ℟. Quia peres facti sumus nimis 78.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 63. &

ATténde Dómine cælo, & vide de táculo sancto tuo glóriæ tuæ: ubi est zelus t

& fortitúdo tua, multitúdo víscerum tuórũ, & miseratiónum tuárum? super me continuérunt se. Tu enim pater noster, & Abraham nescívit nos, & Israël ignorávit nos: tu Dómine pater noster, redémptor noster, à seculo nomen tuum.... Utinam dirúmperes cælos, & descénderes! à fácie tua montes defluérent. Cùm féceris mirabília, non sustinébimus: descendísti, & à fácie tua montes defluxérunt.... A século non audiérunt, neque aúribus percepérunt: óculus non vidit, Deus absque te, quæ præparásti exspectántibus te. Occurrísti lætánti, & faciénti justítiam: in viis tuis recordabúntur tuî: ecce tu irátus es, & peccávimus: in ipsis fúimus semper, & salvábimur. Non est qui ínvocet nomen tuum; qui consúrgat, & téneat te; abscondísti fáciem tuam à nobis, & allisísti nos in manu iniquitátis nostræ. Et nunc Dómine, pater noster es tu, nos verò lutum; & fictor noster tu, & ópera mánuum tuárum omnes nos.

℟. *j.* Dóminus Deus misit Angelum suum osténdere servis suis quæ opórtet fieri citò; * Et ecce vénio velóciter. ℣. Ego qui loquor justítiam, & propugnátor sum ad salvándum; annus redemptiónis meæ venit. * Et ecce. *Apoc. 22. Is. 63.*

Lectio ij. *c. 66. v. 8.*

Audíte verbum Dómini, qui trémitis ad verbum ejus; dixérunt fratres vestri odiéntes vos, & abjiciéntes propter nomen meum; glorificétur Dóminus, & vidébimus in lætítia vestra; ipsi autem confundéntur. Vox pópuli de civitáte, vox de templo, vox Dómini reddéntis retributiónem inimícis suis. Antequàm parturíret, péperit; ántequàm veníret partus ejus, péperit másculum. Quis audívit unquam tale? & quis vidit huic símile? numquid partúriet terra in die una? aut pariétur gens simul, quia parturívit & péperit Sion filios suos? Numquid ego qui álios párere fácio, ipse non páriam, dicit Dóminus? Si ego, qui generatiónem céteris tríbuo, stérilis ero, aït Dóminus Deus tuus? Lætámini cum Jerúsalem, & exultáte in ea omnes qui dilígitis eam; gaudéte cum ea gáudio univérsi qui lugétis super eam, ut sugátis, & repleámini ab úbere consolatiónis ejus; ut mulgeátis, & delíciis affluátis ab omnímoda glória ejus; quia hæc dicit Dóminus: Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, & quasi torréntem inundán-

tem glóriam géntium, quam sugétis, ad úbera portabímini, & super génua blandiéntur vobis. Quómodò si cúi mater blandiátur, ita ego consolábor vos, & in Jerúsalem consolabímini.

℟. ij. Lauda & lætáre fília Sion, quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî. Síleat omnis caro à fácie Dómini; * Quia consurréxit de habitáculo sancto suo. ℣. Lætámini cum Jerúsalem, & repleámini ab úbere consolatiónis ejus, quia ecce Dóminus véniet; * Quia. *Zach.* 2. *Is.* 66.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio iij. *Cap*: 1.

CUm esset desponsáta mater Jesu María Joseph; antequàm convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homília S. Bernárdi Abbátis. 2. *super Missus est.*

QUare desponsáta cùm esset Virgo elécta, conceptúra, paritúra, mirum cur despõsáta fúerit non nuptúra. Numquid vel hoc casu factum quis díxerit? Non est casu factum, quód rationábilis causa cõméndat, causa valde útilis & necessária, & divíni prórsùs adinventióne consílii digna. Dicam quod mihi, immò quod ante me Pátribus visum fuit. * Illa útique fuit rátio desponsatiónis Maríæ, quæ & dubitatiónis Thomæ. Mos si quidem Judæórum erat, ut a die desponsatiónis suæ, usque ad tempus nuptiárum, sponsis sponsæ traderéntur custodiéndæ: quátenus eárum ipsi eò sibi pudicítiam curiósiùs servárent, quò sibi ipsi fideliores exísterent. Sicut ergo Thomas dubitándo, palpándo constantíssimus factus est Domínicæ conféssor resurrectiónis: ita & Joseph Maríam sibi desponsándo, ejúsque conversatiónem in témpore custódiæ studiósiùs comprobándo, factus est pudicítiæ fidelíssimus testis. Pulcra utriúsque rei conveniéntia: & dubitátio Thomæ, & desponsátio Maríæ. * Póterant quidem símilis erróris láqueum nobis injícere; fídei vidélicet in illo, castitátis in illa, veritátem in suspiciónem addúcere: sed valde prudénter & piè factum est per contrárium, ut unde metuebátur suspício, firma fit certitúdo. Nam & de Fílii resurrectióne cítiùs quidem ego, qui infirmus sum, credidérim Thomæ dubitánti & palpánti, quàm Cephæ audiénti & credénti: & de Matris continéntia facíliùs sponso ejus custodiénti & experiénti, quàm ipsi quoque Vírgini de sola sua consciéntia se defendénti.

Dic, quæso, quis eam videns non desponsátam & grávidam, non pótiùs díceret meretrícem, quàm vírginem? Non autem decébat hoc dici de matre Dómini. Tolerabílius verò atque honéstius fuit putári ad tempus Christum de conjúgio fuísse natum, quàm de fornicatióne.

℟. iij. Estóte paráti in mane, & sanctificámini : cras enim * Fáciet Dóminus inter vos mirabília. ℣. Sicut locútus est ad Patres nostros, Abraham, & sémini ejus in sécula, * Fáciet. Glória. * Fáciet. 1. *Mach.* 3. *Luc.* 1.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

[& ad Horas,]

Fit Duplex.

℣. *Sacerd.* Siléte à fácie Dómini Dei, ℟. Quia juxtà est dies Dómini. *Sophon.* 1.

Ant. 4. *e.* CONfidénter state, & vidébitis auxílium Dómini super vos, ô Juda & Jerúsalem. 2. *Par.* 20.

Ant. 4. *e.* Nolíte timére, nec paveátis; cras egrediémini, & Dóminus erit vobíscum. *Ibid.*

Ant. 8. G. Propè est Justus meus, egressus est Salvátor meus. *Isa.* 51.

Ant. 1. 2. Dómine opus tuum, in médio annórum vivífica illud. *Habac.* 3.

Ant. 5. 2. Apparébit in finem, & non mentiétur: exspécta illum, quia véniens véniet, & non tardábit. *Habac.* 2.

Capitulum. *Dan.* 9. 24.

SEptuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempitérna, & impleátur vísio & prophetía, & ungátur Sanctus Sanctórum.

Hymnus, Vox clara, *ut in Dom. I. Adv. p.* 172.

℣. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, ℟. Quia in te sperávi. *Ps.* 91.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. 2. Ecce ego addúcam servum meum Oriéntem, & áuferam iniquitátem terræ. *Zachar.* 3.

Non dicuntur Preces.

Oratio.

DEus, qui nos redemptiónis nostræ ánnuâ exspectatióne lætíficas; præsta ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque júdicem secúri videámus Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

Et dicitur ad Horas; sine Precibus.

AD PRIMAM.

Ant. 4. *e.* Confidénter state.

AD TERTIAM.

Ant. 4. e. Nolíte timére.

Capitulum. *Jer.* 29. 10.

HÆc dicit Dóminus: Cùm cœperint impléri septuagínta anni, visitábo vos, & suscitábo super vos verbum meum bonum.

℟. *br.* Propè feci justítiam meam; * Non elongábitur. ℟. Propè. ℣. Et salus mea non morábitur; * Non elongábitur. Glória. ℟. Propè feci. *Is.* 46.

℣. Propè est ut véniat tempus ejus; ℟. Et dies ejus non elongabúntur. *Is.* 14.

AD SEXTAM.

Ant. 8. G. Propè est.

Capitulum. Zachar. 1. 12.

DOmine exercítuum úsquequo tu non miserébe-ris Jerúsalem & úrbium Juda, quibus irátus es? Iste jam septuagésimus annus est.

℟. *br.* Scitóte * Quóni propè est regnum Dei. ℟. Scitóte. ℣. Vigilate ítaque, o ni témpore orántes, * Quóniam. Glória. ℟. Scitóte. 21.

℣. Annus redemp meæ venit; ℟. Dies ult in corde meo. *Is.* 63.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Apparébit.

Capitulum. 1. *Reg.* 9.

CRas mittam virum d super pópulum me raël; & salvábit pó meum: quia respéxi pó meum.

℟. *b.* Exúltet terra * cie Dómini, ℟. Exúl Quia venit. * A fácie ni. Glória. Exúltet.

℣. Propè timéntes e lutáre ipsius, ℟. Ut in tet glória in terra nostra 84.



DIE X

DIE XXV. DECEMBRIS,

IN NATIVITATE D. N. JESU-CHRISTI,

ANNUALE.

AD I. VESPERAS,

Psalmi de Feria, *Ant.* 1. g.

LEváte cápita vestra, quóniã appropínquat redémptio vestra. *Luc.* 21.

Ant. 2. Filius qui nascétur, Pacíficus vocábitur: & ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem. 1. *Paral.* 22.

Ant. 3. a. Magnificábitur usque ad términos terræ; & erit iste pax. *Mich.* 5.

Ant. 5. f. Univérsa terra desiderábit vultum ejus, ut audíret sapiéntiam ejus. 3. *Reg.* 10.

Ant. 7. d* Gaudéte in Dómino, íterum dicó gaudéte, Dóminus propè est. *Phil.* 4.

Capitulum. *Hebr.* 10.

ADhuc módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet, & non tardábit.

℟. Véspere sciétis quòd Dóminus edúxerit vos de terra Ægypti, * Et manè vidébitis glóriam Dómini. ℣. Patiéntes estóte, & confirmáte corda vestra, quóniam advéntus Dómini appropinquávit, * Et manè. Glória Patri. ℟. Véspere. *Exod.* 16. *Jac.* 5.

Hymnus. *S. Ambros.*

VEni Redémptor géntium,
Osténde partum Vírginis,
Mirétur omne séculum,
Talis decet partus Deum.

Non ex viri consórtio,
Sed mystico spirámine
Verbum Dei factum caro,
Fructúsque ventris flóruit.

Alvus tuméscit Vírginis,
Claustrum pudóris pérmanet,
Vexílla virtútum micant,
Versátur in templo Deus.

Procédens de thálamo suo
Pudóris aula régia,
Géminæ gigas substántiæ
Alacris ut currat viam.

Egréssus ejus à Patre,
Regréssus ejus ad Patrem,

Excúrsus usque ad ínferos,
Recúrsus ad sedem Dei.
Æquális ætérno Patri,
Carnis trophæo accíngere,
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Præsépe jam fulget tuum,
Luménque nox spirat novum,
Quod nulla nox intérpolet,
Fidéque jugi lúceat.
Laus & perénnis glória
Deo Patri, cum Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.
℣. Dícite fíliæ Sion, ℟. Ecce Salvátor tuus venit. *Is.* 62.
Aña ad Magnificat *dicitur integra ante & post Canticum in Festis Annualibus, Solemnibus, & Duplicibus; etiamque ante* Glória Patri, *in Annualibus.*
Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Ecce venit, dicit Dóminus exercítuum, & quis póterit cogitáre diem advéntûs ejus? generatiónem ejus quis enarrábit; Allelúia. *Mal.* 3. *Is.* 53.

Oratio.

DEus, qui nos redemptiónis nostræ ánnuâ expectatióne lætíficas; præsta ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque júdicem secúri videámus Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, Qui tecum.

AD COMPLETORIUM,

Psalmi super Ant. 8. G. Vigiláte, & oráte, ne cùm vénerit Dóminus, invéniat vos dormiéntes. *Marc* 13.
Hymnus, Virgo Dei génitrix, *ut in Officio parvo B. Mariæ V. Et dicitur usque ad Purificatiónem inclusivè, exceptâ solemnitate Epiphaniæ ejusque Octavâ.*
Capitulum, Sóbrii estóte. *&c. ut in Psalterio, p.* 33.
Ad Nunc dimittis *Ant.* 5. *to.* a. Allelúia, Consúrge, lauda in nocte; allelúia, in princípio vigiliárum; Allelúia, allelúia. *Thren.* 2.
Cetera ut in Psalterio.

AD VIGILIAS,

Invitatorium, Verbum caro factum est; Allelúia: * Veníte adorémus; Allelúia. *Joan.* 1.
Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

Hymnus.

CHriste Redémptor ómnium,
Ex Patre Patris Unice,
Solus ante princípium
Natus ineffabíliter.
Tu lumen & splendor Patris,
Tu spes perénnis ómnium,
Inténde quas fundunt preces
Tui per orbem fámuli.
Meménto salútis autor,
Quòd nostri quondam córporis,
Ex illibáta Vírgine
Nascéndo, formam súmpseris.
Sic præsens testátur dies,
Currens per anni círculum,
Quòd solus à sede Patris,

Mundi salus advéneris.
Hunc cælum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis est,
Autórem advéntûs tui
Laudans exúltat cántico.
Nos quoque, qui sancto tuo
Sumus redémpti sánguine
Ob diem Natális tui,
Hymnũ novum concínimus.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.

Sic terminantur omnes Hymni ejusdem metri usque ad Epiphaniam, nisi habeant propriam Doxologiam.

IN I. NOCT.

Ant. 8. c. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Ant. 7. *d* * In splendóribus Sanctorum ante lucíferum génui te. *Ps.* 109.

Ant. 4. A. Speciósus formâ præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis. *Ps.* 44.

℣. Tamquam sponsus, ℟. Dóminus, procédens de thálamo suo.

Benedictiones ut ante Psalter.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 9.

PRimo témpore alleviáta est terra Zábulon, & terra Néphtali: & novíssimò aggraváta est via maris trans Jordánem Galilææ Géntium. Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicásti gentem, & non magnificásti lætítiã. Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exúltant victóres captâ prædâ, quando dívidunt spólia. Jugum enim óneris ejus, & virgam húmeri ejus, & sceptrum exactóris ejus superásti, sicut in die Mádian. Quia omnis violénta prædátio cum tumúltu, & vestiméntum mixtum sánguine, erit in combustiónem, & cibus ignis. Párvulus enim natus est nobis, & fílius datus est nobis, & factus est principátus super húmerum ejus: & vocábitur nomen ejus, Admirábilis, consiliárius, Deus, fortis, pater futúri séculi, princeps pacis. Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis: super sólium David, & super regnum ejus sedébit: ut confirmet illud, & corróboret in judício & justítia ámodò & usque in sempitérnum.

℟. j. Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos Oriens ex alto, * Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis sedent. ℣. Pópulus qui ambulábat in ténebris vidit lucem magnam; habitántibus in regióne umbræ mor-

tis lux orta est eis, * Illumináre. *Luc.* 1. *Isa.* 9.

Lectio ij. *Cap.* 40.

Consolámini, consolámini pópule meus, dicit Deus vester. Loquímini ad cor Jerúsalem, & advocáte eam: quóniam compléta est malítia ejus, dimíssa est iníquitas illíus: suscépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccátis suis. Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, & omnis mons & collis humiliábitur, & erunt prava in dirécta, & áspera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, & vidébit omnis caro páriter quòd os Dómini locútum est. Vox dicéntis: Clama. Et dixi: Quid clamábo? Omnis caro fœnum, & omnis glória ejus quasi flos agri. Ecce Deus vester: ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, & bráchium ejus dominábitur; ecce merces ejus cum eo, & opus illíus coram illo.

℟. ij. Nolíte timére, ecce enim evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo: * Quia natus est vobis hódie Salvátor. ℣. Consolámini pópule meus, dicit Deus vester; consolámini, * Quia. *Luc.* 2. *Is.* 40.

Lectio iij. *Cap.* 52.

Consúrge, consúrge, indúere fortitúdine tuâ Sion, indúere vestiméntis glóriæ tuæ Jerúsalem, cívitas sancti: quia non adjíciet ultrà ut pertránseat per te incircumcísus & immúndus. Excútere de púlvere, consúrge; sede Jerúsalem; solve víncula colli tui, captíva fília Sion, quia hæc dicit Dóminus: Gratis venúmdati estis, & sine argénto redimémini. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum. Quàm pulcri super montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem; annuntiántis bonum, prædicántis salútem, dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus! Gaudéte, & laudáte simul desérta Jerúsalem: quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium Géntium; & vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. Iste aspérget gentes multas; super ipsum continébunt reges os suum, quia quibus non est narrátum de eo, vidérunt; & qui non audiérunt, contempláti sunt.

℟. iij. Cánticum erit vobis sicut nox sanctificátæ solemnitátis, & lætítia cordis: In

voce exultatiónis annuntiáte & efférte illud usque ad extréma terræ: * Quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit servum suum Jacob. ℣. Laudáte cæli, quóniam misericórdiam fecit Dóminus; jubiláte extréma terræ, resonáte montes laudatiónem, * Quia. Glória. ℟. Cánticum. *Is.* 30. & 49. & 44.

IN II. NOCT.

Ant. 8. G. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui. *Ps.* 47.

Ant. 7. d * Oriétur in diébus Dómini abundántia pacis, & dominábitur. *Ps.* 71.

Ant. 8. c. Véritas de terra orta est, & justítia de cælo prospéxit. *Ps.* 84.

℣. Dóminus virtútum nobíscum, ℟. Suscéptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

Pater noster, &c.

Benedictiones, ut ante Psalterium.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 1.

MUltifáriam, multísque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis, novíssimè diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit & sécula: qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portánsque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excélsis: tantò mélior Angelis effféctus, quantò differéntius præ illis nomen hereditávit. Cúi enim dixit aliquándo Angelórum: Fílius meus es tu, ego hódiè génui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in fílium? Et cùm íterum introdúcit primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spíritus, & minístros suos flammam ignis.

℟. iv. Párvulus natus est nobis, & Fílius datus est nobis; & vocábitur * Nomen ejus, Admirábilis, Consiliárius, Deus, fortis, Pater futúri séculi, Princeps pacis. ℣. Habet nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse. * Nomen. *Is.* 9. *Apoc.* 19.

Lectio v.

AD Fílium autem: Thronus tuus, Deus, in séculum séculi; virga æquitátis, virga regni tui. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo exultatiónis præ particípibus tuis. Et, Tu in princípio Dómine terram fundásti: & ópera mánuum tuárum sunt cæli. Ipsi períbunt, tu autem permanébis:

& omnes ut vestiméntum veteráscent : & velut amíctum mutábis eos, & mutabúntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient. Ad quem autem Angelórum dixit aliquándo: Sede à dextris meis, quoadúsque ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? Nonne omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos, qui hereditátem cápient salútis.

℟. v. Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum Unigénitum daret : * Ut omnis qui credit in eum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. ℣. Non enim misit Deus Fílium suum ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum, * Ut omnis. *Joan.* 3.

Lectio vj. *Cap.* 2.

Testátus est autem in quodam loco quis dicens : Quid est homo quòd memor es ejus, aut filius hóminis, quóniam vísitas eum? Minuísti eum paulóminus ab ángelis : glóriâ & honóre coronásti eum, & constituísti eum super ópera mánuum tuárum, ómnia subjecísti sub pédibus ejus. In eo enim quòd ómnia ei subjécit, nihil dimísit non subjéctum ei. Nunc autem necdum vidémus ómnia subjécta ei. Eum autem qui módico quàm ángeli minorátus est, vidémus Jesum propter passiónē mortis glóriâ & honóre coronátum : ut grátiâ Dei pro ómnibus gustáret mortem. Decébat enim eum, propter quem ómnia & per quem ómnia, qui multos filios in glóriam addúxerat, autórem salútis eórum per passiónem consummáre. Qui enim sanctíficat & qui sanctificántur, ex uno omnes. Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens : Nuntiábo nomen tuum frátribus meis, in médio ecclésiæ laudábo te. Et íterum : Ego ero fidens in eum. Et íterum : Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipse simíliter participávit eísdem ; ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est diábolum ; & liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquam enim ángelos apprehéndit, sed semen Abrahæ apprehéndit.

℟. vj. Cùm in forma Dei esset, semetípsum exinanívit, formam servi accípiens: * In similitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo. ℣. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israël Salvátor, * In similitúdinem.

...lória. ℟. Cùm in forma ... Philip. 2. Is. 45.

IN III. NOCT.

Ant. 1. f. Deus ex sémine David secúndùm promissiónem edúxit Israël salvatórem Jesum. Act. 13.

Ant. 5. f. Notum fecit Dóminus salutáre suum. Ps. 97.

Ant. 6. F. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabéllum pedum ejus; quóniam sanctum est. Ps. 98.

℣. Læténtur cæli, & exúltet terra ℣. A fácie Dómini, quia venit. Ps. 95.

Pater noster, &c.

Benedictiones, ut ante Psalmum. Et sic in Festis 9 Lect.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN diébus illis exiit edíctum à Cæsare Augusto, ut describerétur univérsus orbis. Hæc descríptio prima facta est à præside Syriæ Cyríno. Et ibant omnes, ut profiteréntur singuli, in suam civitátem. Ascéndit autem & Joseph à Galilæa de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, eo quòd esset de domo & família David, ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre prægnánte. Factum est autem cùm essent ibi, impléti sunt dies ut páreret, & péperit Filium suum primogénitum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

8. in Evang.

QUia largiénte Dómino, Missárum solémnia ter hódie celebratúri sumus, loqui diu de Evangélica lectióne non póssumus. Sed nos áliquid vel bréviter dícere Redemptóris nostri Natívitas ipsa compéllit. Quid est quòd nascitúro Dómino mundus descríbitur, nisi hoc quod apértè monstrátur, quia ille apparébat in carne, qui eléctos suos adscríberet in æternitáte? Quò contrà de réprobis per Prophétam dícitur: Deleántur de libro vivéntium, & cum justis non scribántur. Qui benè étiam in Béthleem náscitur; Béthleem quippe domus panis interpretátur. Ipse namque est qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Locus ergo in quo Dóminus náscitur, domus panis ánteà vocátus est; quia futúrum profectò erat, ut ille ibi per matériam carnis apparéret, qui electórum mentes internâ satietáte reficeret. Qui non in paréntum domo, sed in via náscitur: ut profectò osténderet quia per humanitátem suam quam assúmpserat, quasi in alieno nascebátur.

℟. vij. Impléti sunt dies Maríæ ut páreret, & péperit

filium suum primogénitum, * Et pannis eum invólvit, & reclinávit eum in præsépio. ℣. Péperit filium suum másculum, qui rectúrus erat omnes gentes, * Et pannis. *Luc. 2. Apoc. 12.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio viij. *Cap. 2.*

IN illo témpore; Pastóres loquebántur ad ínvicem, Transeámus usque Béthleem, & videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Lucam.

VIdéte Ecclésiæ surgéntis exórdium: Christus náscitur, & pastóres vigiláre cœpérunt, qui géntium greges, pécudum modo ante viventes, in aulam Dómini congregárent, ne quos spirituáliũ bestiárum per offúsas nóctium ténebras pateréntur incúrsus. Et benè pastóres vígilant, quos bonus Pastor infórmat. Grex ígitur, pópulus; nox, séculum; pastóres sunt Sacerdótes. Aut fortásse étiam sit pastor ille cúi dícitur: Esto vígilans, & confírma; quia non solùm Epíscopos ad tuéndum gregem Dóminus ordinávit, sed étiam Angelos destinávit.

℟. *viij.* Natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus in civitáte David; * Et hoc vobis signum: inveniétis infántem pannis involútum, & pósitum in præsépio. ℣. Fílius Dei factus est ex sémine David secúndùm carnem: * Et hoc. *Luc. 2. Rom. 1.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio ix. *Cap. 1.*

IN princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et réliqua.

Homília S. Bernárdi Abbátis.

Serm. I. in Vig. Nat. Dñi.

NAscitur Altíssimi Fílius, Deus de Deo génitus ante sécula; náscitur Verbum infans: quis vel satis mirétur? Náscitur Fílius Dei: exsúltet qui magna solet desideráre, quia magnus munerátor ádvenit. Fratres, hic est heres, devótè suscipiámus eum, sic enim & heréditas nostra erit. Qui enim próprium Fílium dedit, quómodo non ómnia nobis simul cum Fílio donávit? Nemo discrédat, nemo hæsitet; habémus testimóniũ credíbile nimis: Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. Fratres habére vóluit Unigénitus Dei, ut esset in multis frátribus primogénitus ipse. Utque nihil hæsitet ipsa pusillanímitas fragilitátis humánæ, priùs ipse factus est

hóminum frater, factus est hóminis filius, factus est homo. Si & hoc homo júdicat incredíbile, fidem ádstruunt óculi.

℟. *ix.* In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: * Hoc erat in princípio apud Deum; ómnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. ℣. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis; & vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre. * Hoc erat. Glória. ℟. In princípio. *Joann.* 1.

Post Responsorium, in Choro legitur Evangelium, Liber generatiónis: *quo finito dicitur* Te Deum, *p.* 9. *Et statim dicitur Missa in galli cantu. Communionis Antiphonâ cantatâ, dicuntur Matutinæ Laudes (Sacerdote juxta altare sedente cum ministris) incipiendo ab impositione Antiphonæ*, Pastóres, 1. to. g.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes gentes;* laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Pastóres erant vigilántes, & custodiéntes vigílias noctis super gregem suum. *Luc.* 2. 8.

Ant. 1. D. Ecce Angelus.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine:* Dómine exaúdi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine,* Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus; * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israël in Dómino:

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Ecce Angelus Dómini stetit juxta illos, & cláritas Dei circumfúlsit illos, & timuérunt timóre magno. *Luc.* 2. 9.

Ant. 1. f. Dixit illis.

Canticum. *Is.* 25.

DOmine Deus meus es tu, * exaltábo te, & confitébor nómini tuo:

Quóniam fecísti mirabília, * cogitatiónes antíquas fidéles; amen:

Quia posuísti civitátem in túmulum, * urbem fortem in

ruínam, domum alienórum,

Ut non sit cívitas, * & in sempitérnum non ædificétur.

Super hoc laudábit te pópulus fortis, * cívitas géntiũ robustárum timébit te.

Quia factus es fortitúdo paúperi, fortitúdo egéno in tribulatióne sua; * spes à túrbine, umbráculum ab æstu.

Spíritus enim robustórum, * quasi turbo impéllens paríetem.

Ant. Dixit illis Angelus: Nolíte timére; ecce enim evangelízo vobis gaúdium magnum. *Luc.* 2. 10.

Ant. 7 *d* *. Facta est.

Ex eodem Cantico Is. 25.

Sicut æstus in siti, tumúltum alienórum humiliábis, * & quasi calóre sub nube torrénte propáginem fórtium marcéscere fácies.

Et fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium, convívium vindémiæ, * pínguium medullatórum, vindémiæ defæcátæ.

Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos, * & telam quam orditus est super omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in sempitérnum: * & aúferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie;

Et oppróbrium pópuli sui aúferet de univérsa terra: quia Dóminus locútus est.

Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, * exspectávimus eum, & salvábit nos.

Iste Dóminus, sustinúimus eum; * exultábimus, & lætábimur in salutári ejus.

Ant. Facta est cum Angelo multitúdo milítiæ cæléstis laudántium Deum, & dicéntium: Glória in altíssimis Deo, & in terra pax homínibus bonæ voluntátis. *Luc.* 2. 13.

Ant. 7. *a.* Pastóres.

Psalmus 130.

Domine non est exaltátum cor meum, * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam:

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino, * ex hoc nunc & usque in sǽculum.

Ant. Pastóres loquebántur ad ínvicem: Transeámus usque Béthleem; & videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. *Luc.* 2. 15.

Finitâ istâ Antiphonâ à Choro, Sacerdos incipit cantare sequentem

Ad Benedictus, *Ant. 7. d* * Pastóres venérunt festinántes; & invenérunt Maríam & Joseph, & infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem cognovérunt de verbo quod dictum erat illis de púero hoc; allelúia. *Luc. 2. 16.*

Dum cantatur Canticum Benedictus, *incensatur Celebrans & Chorus tantùm.*

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, ut qui Nativitátem Dómini nostri Jesu Christi nos frequentáre gaudémus, dignis conversatiónibus ad ejus mereámur pertíngere consórtium; Qui tecum.

Sacerdos dicit, Dóminus vobíscum; *& Diaconus*, Ite, missa est. ℟. Deo grátias.

Sic hodie dicuntur Laudes.

Loco Ite, missa est, *dicitur privatim* Benedicámus Dómino.

AD PRIMAM.

In Hymno, Jam lucis, *dicitur Doxologia*,

Qui natus es de Vírgine,
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.

* *Quæ Doxologia dicitur in fine Hymnorum hujus metri, etiam cùm fit de Sancto, usque ad Purificationem, nisi aliter notetur.*

Psalmi de Feria.

Ant. 7 d. * Revérsi sunt pastóres glorificántes Deum in ómnibus quæ audíerant & víderant, sicut dictum est ad illos. *Luc. 2. 20.*

Capitulum. 2. Thess. 2. v. 15.

DOminus noster Jesus Christus, & Deus, & Pater noster qui diléxit nos, & dedit consolatiónem ætérnã, & spem bonam in grátia, exhortétur corda vestra, & confírmet in omni ópere & sermóne bono.

Quod Capitulum ad Primam dicitur usque ad Purificationem.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Omnes qui audiérunt, miráti sunt, & de his quæ dicta erant à pastóribus ad ipsos. *Luc. 2. 18.*

Capitulum. Tit. 3. 4.

BEnígnitas & humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei, non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secúndùm suam misericórdiam salvos nos fecit.

℟. *br.* Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo, * Allelúia, allelúia. ℟. Redemptiónem. ℣. Mandávit in ætérnum testaméntum suum; * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Redemptiónem. ℣. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi, ℟. Justítia & pax osculátæ sunt. *Ps. 110. & 84.*

Oratio.

COncéde quæsumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet; Per eúmdem.

Quæ Oratio dicitur etiam ad Sextam, Nonam, & Vesperas.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Egréssus es in salútem pópuli tui, Dómine, in salútem cum Christo tuo. *Hab.* 3.

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 14.

NOs vídimus, & testificámur quóniam Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi.

℟. *br.* Misit Verbum suum, & sanávit eos; * Allelúia, allelúia. ℟. Misit. ℣. Et erípuit eos de interitiónibus eórum. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Misit. *Ps.* 106.

℣. Misit Deus filium suum in mundum, ℟. Ut salvétur mundus per ipsum, *Joan.* 3.

Oratio, Concéde, *suprà ad Tertiam.*

AD NONAM.

Ant. 6. F. Audívi vocem angelórum multórum, dicéntium: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno. *Apoc.* 5. & 7.

Capitulum. *Heb.* 1.

CUm íterum introdúcit primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes ángeli Dei.

℟. *br.* Adoráte eum omnes ángeli ejus * Allelúia, allelúia. ℟. Adoráte. ℣. Audívit & lætáta est Sion.* Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Adoráte. *Ps.* 96

℣. Cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, ℟. Et adoravérunt Deum, dicéntes, Amen. *Apoc.* 7.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Feria super

Ant. 3. g. FIdélis sermo & omni acceptióne dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere. 1. *Tim.* 1.

Ant. 4. E. In hoc appáruit Fílius Dei, ut dissólvat ópera diáboli. 1. *Joan.* 3.

Ant. 5. f. Misit Deus Fílium suum, ut convértat se unusquísque à nequítia sua. *Act.* 3.

Ant. 7. d * Ipse est pax nostra, solvens inimicítias in carne sua, ut reconcíliet Deo. *Ephes.* 2.

Ant. 8. c. Ego à Deo procéssi, & veni ut vitam hábeant, & abundántiùs hábeant *Joan.* 8.

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 9.

IN hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

℟. Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus ho-

mínibus, erúdiens nos, * Ut abnegántes impietátem & secuľária desidéria, sóbriè & justè, & piè vivámus in hoc século. ℣. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis; * Ut. Glória. ℟. Appáruit. *Tit.* 2.

Hymnus. *Sedul.*

A Solis ortûs cárdine
Ad usque terræ límitem,
Christum canamus príncipem
Natum Maríâ Vírgine.
Beátus autor séculi,
Servíle corpus índuit,
Ut carne carnem líberans,
Ne pérderet quos cóndidit.
Castæ paréntis víscera
Cæléstis intrat grátia:
Venter puéllæ bájulat
Secréta quæ non nóverat.
Domus pudíci péctoris
Templum repéntè fit Dei:
Intácta nésciens virum,
Verbo concépit Fílium.
Eníxa est puérpera,
Quem Gábriel prædíxerat,
Quem matris alvo géstiens,
Clausus Joánnes sénserat.
Fœno jacére pértulit,
Præsépe non abhórruit,
Parvóque lacte pastus est,
Per quem nec ales ésurit.
Gaudet chorus cæléstium,
Et Angeli canunt Deo;
Palámque fit Pastóribus
Pastor, Creátor ómnium.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.

℣. Apud Dóminum misericórdia, ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 96. & 129.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno; allelúia. *Hebr.* 4.

Oratio.

Concéde quæsumus omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet; Per eúmdem Dóminum.

Pro Commemoratione S. Stephani, *Ant.* 8. G. Elegérunt Stéphanum virum plenum fide & Spíritu sancto, & statuérunt eum ante conspéctum Apostolórum, & orántes Apóstoli imposuérunt ei manus. *Act.* 6.

℣. Beátus quem elegísti & assumpsísti, ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Oratio.

Da nobis quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus & inimícos dilígere; quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Et fit Processio *ad Capellam B. Mariæ, cantando* ℟. Impléti sunt, *ut suprà pag.* 247.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *d* * Miráti sunt de his quæ dicta erant à pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. *Luc.* 2.

Oratio.

Deus qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda humáno géneri prǽmia præstitísti; tríbue, quǽsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus autórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

Ad Completorium.

Ant. 8. G. Ego lux in mundum veni; ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat. *Joan.* 12.

Hymnus, Virgo Dei génitrix, *&c. ut in Officio parvo B. V. Mariæ.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Allelúia, Vidérunt óculi mei, allelúia, Salutáre tuum; allelúia, allelúia. *Luc.* 2.

Et sic per totam Octavam. Cetera ut in Psalterio.

Die xxvi. Decembris,
SANCTI STEPHANI
Protomartyris.
Duplex majus.

Ad Vigilias,

Invitatorium. Verbum caro factum est: * Veníte adorémus. *Joan.* 1.

Et dicitur singulis diebus intra Octavam.

Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

Hymnus. *Santol. Vict.*

O Qui tuo, dux Mártyrũ,
Præfers corónam nómine;
Non de cadúcis flóribus
Tibi corónam néctimus.

Tuo corúsca sánguine
Quàm saxa te decent magis
Aptáta sacro vértici!
Non sic micárent sídera.

Impréssa fronti vúlnera,
Ceu tela lucis émicant;
Quod exit è vultu jubar,
Solem vel ipsum vínceret.

Tu prima Christo víctimæ
Vitam repéndis víctima;
Primúsque testis, æmulâ
Tu morte Christum prædicas.

Tu primus osténsam tibi
Maris rubri pandis viam;
Quò te sequéntur Mártyrum,
Quos dux præis, exércitus!

Tunc adminíster páuperum,
Nunc nuptiáli spléndidus
Tui cruóris púrpurâ,
Mensis supérnis áccubas.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.

In I. Noct.

Ant. 8. c. Véritas de terra orta est, & justítia de cælo prospéxit. *Ps.* 84.

Ant. 7. a. Recordátus est

Dóminus pópuli sui, ac misértus est hereditátis suæ. *Esther.* 10.

Ant. 5.C. Notum fecit Dóminus salutáre suum. *Ps.* 97.

℣. Misit Deus filium suum in mundum, ℟. Ut salvétur mundus per ipsum. *Joan.* 3.

Pater noster &c.

Benedictiones, ut ante Psalterium.

Incipit Liber Ezechiélis Prophétæ.

Lectio j. *Cap.* 1.

FActum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in médio captivórũ juxta flúvium Chobar, apérti sunt cæli, & vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Joachin, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem filium Buzi sacerdótẽ in terra Chaldæórum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne: & nubes magna, & ignis invólvens, & splendor in circúitu ejus: & de médio ejus quasi spécies eléctri, id est de médio ignis: & in médio ejus similitúdo quátuor animálium; & hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, & planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli, & scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus: & fácies, & pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum: non revertebántur cùm incéderent; sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur.

℟. j. Párvulus natus est nobis, & Fílius datus est nobis; * Et vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Consiliárius, Deus, fortis, Pater futúri séculi, Princeps pacis. ℣. Lex per Móysen data est, grátia & véritas per Jesum Christum facta est; * Et vocábitur. *Is.* 9. *Joan.* 1.

Lectio ij.

SImilitúdo autem vultûs eórum: fácies hóminis, & fácies leónis à dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis à sinístris ipsórum quátuor, & fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, & pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungebántur, & duæ tegébant córpora eórum: & unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritûs, illuc gradiebántur, nec revertebántur cùm ambulárent. Et similitúdo animálium, aspéctus eó-

rum quasi carbónum ignis ardéntium, & quasi aspéctus lampadárum. Hæc erat vísio discúrrens in médio animálium, splendor ignis, & de igne fúlgur egrédiens. Et animália ibant, & revertebántur in similitúdinem fúlguris coruscántis. Cúmque aspícerem animália, appáruit rota una super terram juxta animália, habens quátuor fácies. Et aspéctus rotárum, & opus eárum, quasi vísio maris: & una similitúdo ipsárum quátuor: & aspéctus eárum & ópera, quasi sit rota in médio rotæ. Per quátuor partes eárum eúntes ibant: & non revertebántur cùm ambulárent. Statúra quoque erat rotis, & altitúdo, & horríbilis aspéctus: & totum corpus óculis plenum in circúitu ipsárum quátuor.

℟. ij. Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fieri*: propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre: * Partícipes enim Christi effécti sumus; si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem firmum retineámus. ℣. Advocátum habémus apud Patrem Jesum Christum justum; & ipse est propitiátio pro peccátis nostris. * Partícipes. *Hebr.* 2. & 3. 1. *Joan.* 2.

Lectio iij.

Cumquè ambulárent animália, ambulábant páriter & rotæ juxta ea: & cùm elevaréntur animália de terra, elevabántur simul & rotæ. Quocúmque ibat spíritus, illuc eúnte spíritu, & rotæ páriter elevabántur, sequéntes eum. Spíritus enim vitæ erat in rotis. Cum eúntibus ibant, & cum stántibus stabant: & cum elevátis à terra, páriter elevabántur & rotæ, sequéntes ea: quia spíritus vitæ erat in rotis. Et similitúdo super cápita animálium firmaménti, quasi aspéctus crystálli horríbilis, & extènti super cápita eórum désuper. Sub firmaménto autem pennæ eórum rectæ altérius ad álterum: unumquódque duábus alis velábat corpus suum, & álterum simíliter velabátur. Et audiébam sonum alárum, quasi sonum aquárum multárum, quasi sonum sublímis Dei: cùm ambulárent, quasi sonus erat multitúdinis ut sonus castrórum. Cúmque starent, demittebántur pennæ eórum. Nam cùm fíeret vox super firmaméntum, quod erat super caput eórum, stabant, & submittébant alas suas. Et super firmaméntum, quod erat ímminens cápiti eórum, quasi aspéctus lápidis sapphíri similitúdo throni: & super si-

similitúdinem throni, similitúdo quasi aspéctus hóminis désuper. Et vidi quasi spéciem eléctri, velut aspéctum ignis, intrínsecus ejus per circúitum: à lumbis ejus & désuper, & à lumbis ejus usque deórsum, vidi quasi spéciem ignis splendéntis in circúitu, velut aspéctum arcûs cùm fuerit in nube in die plúviæ. Hic erat aspéctus splendóris per gyrum.

℟. iij. Per víscera. *p.* 243.

IN II. NOCT.

Ant. 5. 2. Egréssus es in salútem pópuli tui Dómine, in salútem cum Christo tuo. *Habac.* 3.

Ant. 8. G. Venit Fílius hóminis quærere & salvum fácere quod períerat. *Luc.* 19.

Ant. 3. 2. Ego ex Deo procéssi, & veni, ut vitam hábeant, & abundántiùs hábeant. *Joan.* 8.

℣. Exúlta & lauda habitátio Sion, ℟. Quia magnus in médio tuî sanctus Israël. *Is.* 12.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio iv. *Cap.* 8.

Nihil ergo nunc damnatiónis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secúndùm carnem ámbulant. Lex enim spíritus vitæ in Christo Jesu liberávit me à lege peccáti & mortis. Nam quod impossíbile erat legi, in quo infirmabátur per carnem: Deus fílium suum mittens in similitúdinem carnis peccáti, & de peccáto damnávit peccátum in carne, ut justificátio legis impleréntur in nobis, qui non secúndùm carnem ambulámus, sed secúndùm spíritum. Qui enim secúndùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sápiunt; qui verò secúndùm spíritum sunt, quæ sunt spíritûs séntiunt. Nam prudéntia carnis, mors est; prudéntia autem spíritûs, vita & pax; quóniam sapiéntia carnis inimíca est Deo: legi enim Dei non est subjécta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spíritu: si tamen Spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem Spíritum Christi non habet, hic non est ejus.

℟. iv. In princípio. *p.* 249. *sine Gloria Patri.*

Lectio v.

Quòd si Spíritus ejus, qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitat in vobis: qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis. Ergo fratres debitóres sumus non carni, ut secúndùm carnem vivámus. Si enim secúndùm carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu

facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba (Pater.) Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei. Si autem fílii, & herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi: si tamen compátimur, ut & conglorificémur.

℟. v. Appáruit. p. 252.

Lectio vj.

SCimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum; quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsùs eléctos Dei? Deus qui justíficat; quis est qui condémnet? Christus Jesus, qui mó[...] est, immo qui & resurr[...] qui est ad déxteram Dei [...] étiam interpéllat pro n[...] Quis ergo nos separábit [...] ritáte Christi? tribulátio [...] angústia? an fames? an [...] tas? an perículum? an [...] cútio? an gládius? ([...] scriptum est: Quía prop[...] mortificámur totâ die [...] máti sumus sicut oves oc[...] nis.) Sed in his ómnibus [...] rámus propter eum qu[...] xit nos.

℟. vj. Natus est. p. 24[...]

IN III. NOCT.

Ant. 7. g. Advérsùm me [...] venérunt, subsannavéru[...] subsannatióne; frend[...] super me déntibus suis. [...]

Ant. 8. G. Furor illi[...] cúndùm similitúdinem ser[...] tis; sicut áspidis surdæ & [...] turántis aures suas. *Ps.* [...]

Ant. 7 d*. Sermónibus [...] circumdedérunt me; & e[...] gnavérunt me gratis. *Ps.* [...]

℣. Non est iníquitas in [...] nibus meis, ℟. Non ré[...] retribuéntibus mihi mala.

Léctio sancti Evangélii [...] cúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 2[...]

IN illo témpore; Dic[...] Jesus turbis Judæóru[...] princípibus Sacerdótum: [...] ce ego mitto ad vos Proph[...] & sapiéntes, & scribas; & [...] illis occidétis, & crucifigé[...]

& ex eis flagellábitis in synagógis vestris, & persequémini de civitáte in civitátem. Et réliqua.

De Actibus Apostolórum. *Cap.* 6.

Crescénte número discipulórum, factum est murmur Græcórum advérsùs Hebræos, eò quòd despiceréntur in ministério quotidiáno víduæ eórum. Convocántes autem duódecim multitúdinem discipulórum, dixérunt: Non est æquum nos derelínquere verbum Dei, & ministráre mensis. Consideráte ergo, fratres, viros ex vobis boni testimónii septem, plenos Spíritu sancto, & sapiéntiâ, quos constituámus super hoc opus. Nos verò oratióni, & ministério verbi instántes érimus. Et plácuit sermo coram omni multitúdine. Et elegérunt Stéphanum, virum plenum fide & Spíritu sancto, & Philíppum, & Próchorum, & Nicánorem, & Timónem, & Pármenam, & Nicoláum ádvenam Antiochénum. Hos statuérunt ante conspéctum Apostolórum; & orántes imposuérunt eis manus. Et verbum Dómini crescébat, & multiplicabátur númerus discipulórum in Jerúsalem valdè: multa étiam turba sacerdótum obediébat fidei.

℟. *vij.* Præpósitus erat iis quæ sponte offerebántur Dómino, * Ut fidéliter distribúeret frátribus suis partes. ℣. Fidélis dispensátor & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, * Ut. 2. *Paral.* 31. *Luc.* 12.

Lectio viij.

Stéphanus autẽ plenus gratiâ & fortitúdine, faciébat prodígia & signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagóga quæ appellátur Libertinórum, & Cyrenénsium, & Alexandrinórum, & eórũ qui erant à Cilícia & Asia, disputántes cum Stéphano: & non póterant resístere sapiéntiæ, & Spirítui qui loquebátur. Tunc submisérunt viros qui dícerent se audivísse eum dicéntem verba blasphémiæ in Móysen & in Deum. Commovérunt ítaque plebem, & Senióres, & Scribas; & concurréntes rapuérunt eum, & adduxérunt in concílium, & statuérunt falsos testes, qui dícerent: Homo iste non cessat loqui verba advérsùs locũ sanctum & legem; audívimus enim eum dicéntem: Quóniã Jesus Nazarénus hic déstruet locum istum, & mutábit traditiónes, quas trádidit nobis Móyses. Et intuéntes in eum omnes qui sedébant in concílio, vidérunt fáciem ejus tamquam fáciem Angeli.

℟. *viij.* Deus, iníqui in-

surrexérunt advérsùm me, & fortes quæsiérunt ánimam meam; réspice in me, & miserére meî * Illústra fáciem tuam super servum tuum. ℣. Ad te levávi óculos meos: qui hábitas in cælis;* Illústra. *Ps. 85. & 122.*

Lectio ix. Cap. 7. & 8.

CUm autem esset plenus Spíritu sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce vídeo cælos apértos, & Fílium hóminis stantem à dextris Dei. Exclamántes autem voce magnâ continuérunt aures suas, & ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant: & testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, & dicéntem: Dómine Jesu súscipe spíritum meũ. Pósitis autem génibus, clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixísset, obdormívit in Dómino. Saulus autem erat consénti ens neci ejus. Facta est autem in illa die persecútio magna in Ecclésia quæ erat Jerosólymis, & omnes dispersi sunt per regiónes Judææ & Samaríæ, præter Apóstolos. Curavérunt autem Stéphanum viri timoráti, & fecérunt planctum magnum super eum.

℟. ix. Pósitis génibus, clamávit voce magnâ, dicens:* Dómine ne státuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixísset, obdormívit in Dómino. ℣. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; ego autem orábam, * Dómine. Glória. ℟. Pósitis génibus. *Act. 7. Ps. 108.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *sacerd.* Tu Dómine suscéptor meus es, ℟. Glória mea, & exáltans caput meum. *Ps. 3.*

Ant. 1. f. STéphanus plenus grátiâ & fortitúdine faciébat prodígia & signa magna in pópulo. *Act. 6.*

Ant. 3. E. Spíritus Dei índuit eum; & dixit: Quare transgredímini præcéptum Dómini. 2. *Paral.* 24.

Ant. 4. E. Vidéntes Judæi repléti sunt zelo, & contradicébant his quæ ab eo dicebántur, blasphemántes. *Act.* 13.

Ant. 7. a. Non dedi ad peccándum guttur meum, ut expéterem maledícens ánimã ejus qui me óderat. *Job.* 31.

Ant. 6. F. Passus sum absque iniquitáte manûs meæ, cùm habérem mundas ad Deum preces. *Job.* 16.

Capitulum. Jerem. 1.

ACcinge lumbos tuos, & surge, & lóquere ad eos

omnia quæ ego præcípio tibi ; ne formídes à fácie eórum ; nec enim timére te fáciam vultum eórum.

Hymnus. *Santol. V.*

Quid obstináta péctora
Verbo Dei resístitis ?
Sacras docéntis páginas
Sacrum quid os contúnditis ?
Omnes in unum sæviunt,
Saxis graves armant manus,
Gentes tot inter bárbaras,
Christum canébat prædicans.
Adhuc loquénti pánditur
Imménsa cæli régia :
Ad déxteram Patris videt
Sublímè stantem Fílium.
Non déserit dux mílitem,
Dum róborat quem réspicit,
Stat árbiter certáminis,
Futúrus ipse præmium.
Deo mori sub júdice
Pugnantis est victória ;
Dum grando saxórum pluit,
Nil sentit atténtus polo.
Mens nempe largo vívidæ
Torrénte lucis ébria,
Nec córporis memor sui
Jam plena numen ébibit.
Qui natus es de Vírgine &c.

℣. Glóriâ & honóre coronásti eum, ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D. Mendáces osténdit Dóminus, qui maculavérunt illum, & dedit illi claritátem ætérnam. *Sap.* 10.

Orémus. *Oratio.*

Da nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus & inimícos dilígere, quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, Qui tecum vivit.

Fit Commemoratio Octavæ Nativit. per Ant. Pastóres. *ut in die Nativit. pag.* 251.

℣. Recordátus est misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israël. *Ps.* 97.

Oratio, Concéde, *ut in Nat. ad Tertiam, pag.* 252.

Et de Beata Virgine, ut in die 2. *Januar.*

AD PRIMAM.

Hymnus, Jam lucis, *cum Doxologia*,

Qui natus es de Vírgine,
Jesu tibi sit glória &c. *Quæ dicitur etiam ad alias Horas.*

Ant. 1. f. Stéphanus.

AD TERTIAM.

Ant. 3. E. Spíritus Dei.

Capitulum. *Act.* 7. 52.

Quem Prophetárum non sunt persecúti patres vestri ? Et occidérunt eos qui prænuntiábant de advéntu Justi, cujus vos nunc proditóres & homicídæ fuístis... Audiéntes autem hæc dissecabántur córdibus suis, & stridébant déntibus in eum.

℟. *br.* Replétus sum forti-

túdine spíritûs Dómini, *Allelúia, allelúia. ℟. Replétus. ℣. Ut annúntiem Jacob scelus suum. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Replétus. *Mich.* 3.

℣. Sermo Dómini in corde meo, ℟. Quasi ignis exæstuans *Jer.* 30.

AD SEXTAM.

Ant. 4. E. Vidéntes Judæi.

Capitulum. *Act.* 7. 56.

EXclamántes autem voce magnâ continuérunt aures suas, & ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem, lapidábant.

℟. *br.* Posuérunt advérsùm me mala pro bonis,* Allelúia, allelúia. ℟. Posuérunt. ℣. Et ódium pro dilectióne mea. * Allelúia, Allelúia. ℣. Glória Patri ℟. Posuérunt. *Ps.* 108.

℣. Non réddidi malum pro malo, nec maledíctum pro maledícto; ℟. Sed è contrário benedíxi. 1. *Petr.* 3.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Passus sum.

Capitulum. *Act.* 7. 55.

CUm autem esset Stéphanus plenus Spíritu sancto, inténdens in cælum vidit glóriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei.

℟. *br.* Ecce vídeo cælos apértos, * Allelúia, allelúia. ℟. Ecce. ℣. Et Fílium hóminis stantem à dextris Dei. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Ecce. *Act.* 7.

℣. Dóminus illuminátio mea, & salus mea: ℟. Quem timébo? *Ps.* 26.

AD VESPERAS,

Antiphonæ de secundis Vesperis Nativit. Domini.

Capitulum. *Apoc.* 3. 21.

QUi vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.

℟. Rapuérunt eum, & adduxérunt in concílium; * Et intuéntes eum vidérunt fáciem ejus tamquam fáciem Angeli. ℣. Cóntulit ei Dóminus splendórem, ut incomparábili decóre ómnium óculis apparéret * Et. Glória. ℟. Rapuérunt. *Act.* 6. *Judith.* 10

Hymnus. *Santol. Vict.*

MIris probat sese modis
Prodésse prompta cáritas,
Et bláudiens & íncrepans
Amíca semper cáritas.

Dum saxa corpus ópprimunt,
Ad astra mens attóllitur,
O Christe, dixit, súscipe
Quem pono pro te spíritum.

Qui stans perorábat sibi,
Cruéntus & flexo genu,
Linguâ simul cum sánguine
Suis perórat hóstibus.

Audívit è cælo Deus
Supréma verba Mártyris;
Prædátor antè qui fuit,

Supræda Saulus grátiæ!
O Christe, quid non, cùm jubes,
Humana possunt péctora!
Cujus triúmphum pángimus,
Fac nos & exémplum sequi.
Qui natus es de Vírgine *&c.*

℣. Posuísti super caput ejus corónam ℟. De lápide pretióso. *Ps.* 20.

Antiphona ad Magníficat *dicitur integra ante & post Canticum in omnibus Festis Duplicibus, & suprà.*

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Recogitáte eum qui talem sustínuit à peccatóribus advérsùm semetípsum contradictiónem: ut ne fatigémini, ánimis vestris deficiéntes. *Hebr.* 12.

Oratio, Da nobis quǽsumus. *suprà in Laud. Mat.*

Fit Commemoratio S. Joannis, per Ant. 8. G. Amantíssimus Dómini habitábit confidénter in eo; quasi in thálamo totâ die morábitur, & inter húmeros illíus requiéscet. *Deut.* 33.

℣. In velaménto alárum tuárum exultábo, ℟. Adhǽsit ánima mea post te. *Ps.* 62.

Oratio, Ecclésiam, *ut infrà ad Laud. Mat.*

Pro Commemoratione de Octava Nativit. Ant. 7. 2. Redemptiónem habémus in Christo, qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ. *Coloss.* 1.

℣. Tamquam sponsus, ℟. Dóminus procédens de thálamo suo. *Ps.* 18.

Oratio, Concéde. *p.* 252.

Et Comm. de Beata V. ut infrà die 2. *Januar.*

AD COMPLETORIUM,

Per totam Octavam ut in Nativitate, suprà pag. 254.

DIE XXVII. DECEMBRIS,

S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

Duplex majus.

AD VIGILIAS,

Invitat. Verbum, *ut heri.*

Hymnus. *Santol. Vict.*

QUEM nox, quem ténebræ, dénsaque núbila
Circumfúsa tegunt, lúmine spléndidum,
Imbélles óculos terríficus Deus
Ne fulgóribus óbruat.
O diléćte Deo, quàm tibi cláriùs,
Dum tu vivis adhuc, se dedit áspici!
Tu secréta Dei mentis & íntimæ
Rimáris penetrália.
Ceu pennis áquilæ raptus in æthera
Cælum mente petis, sídera tránsvolas;
(Nil obstant rútili fúlgura lúminis,)
Nudo Númine páсceris.
ÆTERNO génitum de Patre Fílium
Demptâ nube vides, æque

Deo Deum,
Descendisse sacros de pátrio sinu,
Castæ Vírginis in sinus.
In nos hoc pótuit tantus amor Dei!
Terris ipse sui Núminis ímmemor,
Nobis factus homo, se facit éxulem,
Ut cælo trahat éxules.
Per te sacra patent ábdita vátibus;
Quæ lux in ténebris fúlgeat, índicas.
A quo vita fluit, princípium petis,
Et primórdia lúminis.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ámborúmque sacro máxima Flámini;
Hæc est certa fides, fóntibus è tuis
Quam divínitus haúsimus.
Amen.

In I. Noct.

Ant. 8. G. Egréssus est Salvátor meus: & nunc qui redémpti sunt à Dómino, reverténtur, & vénient in Sion laudántes. *Is.* 51.

Ant. 6. F. Fílius Dei factus est ex sémine David secúndùm carnem. *Rom.* 1.

Ant. 5. a. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israël Salvátor. *Is.* 45.

℣. Dóminus virtútum nobíscum, ℟. Suscéptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 2.

HÆc vísio similitúdinis glóriæ Dómini. Et vidi, & cécidi in fáciem meam, & audívi vocem loquéntis. Et dixit ad me: Fili hóminis, sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingréssus est in me spíritus postquàm locútus est mihi, & státuit me supra pedes meos; & audívi loquéntem ad me, & dicéntem: Fili hóminis, mitto ego te ad fílios Israël, ad gentes apostatríces, quæ recessérunt à me: ipsi & patres eórum prævaricáti sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et filii durâ fácie, & indomábili corde sunt, ad quos ego mitto te; & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Si fortè vel ipsi aúdiant, & si fortè quiéscant, quóniam domus exásperans est: & scient quia prophéta fúerit in médio eórum. Tu ergo fili hóminis ne tímeas eos, neque sermónes eórum métuas: quóniam incréduli & subversóres sunt tecum, & cum scorpiónibus hábitas. Verba eórum ne tímeas, & vultus eórum ne formídes quia domus exásperans est. Loquéris ergo verba mea ad eos, si fortè aúdiant, & quiéscant: quóniam irritatóres sunt. Tu autem fili hóminis audi

quæcúmque loquor ad
noli esse exásperans, si-
domus exasperátrix est :
os tuum, & cómede quæ-
que ego do tibi. Et vidi,
ecce manus missa ad me, in
erat involútus liber : &
pándit illum coram me, qui
scriptus intus & foris :
scriptæ erant in eo lamen-
s, & carmen, & væ.
℟. Cùm in forma Dei es-
semetípsum exinanívit,
am servi accípiens : * In
túdinem hóminum fa-
& hábitu invéntus ut
℣. Tu es Deus abscón-
, Deus Israël Salvátor ;
Philip. 2. Is. 45.

Lectio ij. Cap. 3.

T dixit ad me : Fili hó-
minis quodcúmque invé-
s cómede : cómede volú-
istud, & vadens lóquere
lios Israël. Et apérui os
m, & cibávit me volúmi-
illo ; & dixit ad me : Fili
inis venter tuus cómedet,
íscera tua complebúntur
mine isto, quod ego do
Et comédi illud : & fa-
m est in ore meo sicut mel
ce. Et dixit ad me: Fili hó-
is vade ad domum Israël,
quéris verba mea ad eos.
enim ad pópulum pro-
di sermónis, & ignótæ lin-
tu mítteris ad domum Is-
: neque ad pópulos mul-
profúndi sermónis, &
ignótæ linguæ, quorum non possis audíre sermónes : & si ad illos mitteréris, ipsi audírent te. Domus autem Israël nolunt audíre te : quia nolunt audíre me. Omnis quippe domus Israël attrítâ fronte est, & duro corde. Ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum, & frontem tuam duriórem fróntibus eórum. Ut adamántem, & ut sílicem dedi fáciem tuam : ne tímeas eos, neque métuas à fácie eórum : quia domus exásperans est.

℟. ij. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, * Quóniam Filium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. ℣. Si sic Deus diléxit nos, & nos debémus altérutrum dilígere ; * Quóniam. 1. Joan. 4.

Lectio iij.

ET dixit ad me : Fili hóminis omnes sermónes meos, quos ego loquor ad te, assúme in corde tuo, & áuribus tuis audi ; & vade, ingrédere ad transmigratiónem, ad filios pópuli tui, & loquéris ad eos, & dices eis : Hæc dicit Dóminus Deus : si fortè áudiant, & quiéscant. Et assúmpsit me spíritus, & audívi post me vocem commotiónis magnæ : Benedícta glória Dómini de loco suo, & vocem alárum animálium percutiéntium álte-

ram ad álteram, & vocem rotárum sequéntium animália, & vocem commotiónis magnæ. Spíritus quoque levávit me, & assúmpsit me: & ábii amárus in indignatióne spíritûs mei: manus enim Dómini erat mecum, confórtans me. Et veni ad transmigratiónem, ad acérvum novárum frugum, ad eos, qui habitábant juxta flumen Chobar, & sedi ubi illi sedébant: & mansi ibi septem diébus mœrens in médio eórum.

℟. *iij*. In hoc est cáritas: non quasi nos dilexérimus Deum; sed quóniam ipse prior diléxit nos, * Et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. ℣. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos, * Et. Glória. * Et. 1. *Joan.* 4.

IN II. NOCT.

Ant. 7. a. Párvulus natus est nobis, & fílius datus est nobis. *Is.* 9.

Ant. 5. a. Factus est nobis Christus Jesus sapiéntia à Deo, & justítia, & sanctificátio, & redémptio. 1. *Cor.* 1.

Ant. 4. E. Quia púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipse participávit eísdem. *Hebr.* 2.

℣. Consolátus est Dóminus pópulum suum, ℟. Redémit Jerúsalem.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio iv. *Cap.* 9. ℣. 9.

PRomissiónis verbum hoc est: Secúndùm hoc tempus véniam: & erit Saræ fílius. Non solùm autem illa: sed & Rebécca ex uno concúbitu habens, Isaac patris nostri. Cùm enim nondum nati fuíssent, aut áliquid boni egíssent, aut mali, (ut secúndùm electiónem propósitum Dei manéret) non ex opéribus, sed ex vocánte dictum est ei: Quia major sérviet minóri, sicut scriptum est: Jacob diléxi, Esaü autem ódio hábui. Quid ergo dicémus? numquid iníquitas apud Deum? Absit. Móysi enim [illegible] Deus: Miserébor cujus miséreor: & misericórdiam præstábo cujus miserébor. Igitur non voléntis, neque curréntis, sed miseréntis est Dei. Dicit enim Scriptúra Pharaóni: Quia in hoc ipsum excitávi te, ut osténdam in te virtútem meam: & ut annuntiétur nomen meũ in univérsa terra. Ergo cujus vult miserétur, & quem vult indúrat. Dicis ítaque mihi: Quid adhuc quéritur? voluntáti enim ejus quis resístit? O homo, tu quis es, qui respóndeas Deo? Numquid dicit figméntum ei, qui se finxit: Quid me fecísti sic? An non habet potestátem fígulus luti ex eádem massa fácere áliud

quidem vas in honórem, áliud verò in contuméliam?

℟. iv. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis, * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi unigéniti à Patre. ℣. In terris visus est, & cum homínibus conversátus est; * Et vídimus. *Joan.* 1. *Baruch.* 3.

Lectio v. *Cap.* 10.

FRatres, volúntas quidem cordis mei, & obsecrátio ad Deum fit pro illis in salútem. Testimónium enim perhíbeo illis quòd æmulatiónem Dei habent, sed non secúndùm sciéntiam. Ignorántes enim ju[illegible]iam Dei, & suam quæ[illegible]atúere, justítiæ Dei non sunt subjécti. Finis enim legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam, quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justítia, sic dicit; Ne díxeris in corde tuo: quis ascéndet in cælum? Id est Christum dedúcere: Aut quis descéndet in abyssum? Hoc est, Christum à mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fídei, quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, & in corde tuo credíderis quòd Deus illum suscitávit à mórtuis, salvus eris.

℟. v. In ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre;* Et per eum reconciliáre ómnia in ipsum. ℣. Propósuit Deus instauráre in ipso quæ in cælis, & quæ in terra sunt, * Et. *Coloss.* 1. *Eph.* 1.

Lectio vj.

COrde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi, & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo verò prædicábunt nisi mittántur? Sicut scriptum est: Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum.

℟. vj. Sic Deus diléxit mun-

dum, *p.246. cum* Gloria Patri.

IN III. NOCT.

Ant. 1. a. Qui díligit cordis mundítiam, habébit amícum regem. *Prov.* 22.

Ant. 4. f. Dabo tibi thesaúros abscónditos, & arcána secretórum; ut scias quia ego Dóminus. *Is.* 45.

Ant. 3. g. Erudítus es in juventúte tua, & implétus es quasi flumen sapiéntiâ, & diléctus es in pace tua. *Eccli.* 47.

℣. Introíbo in poténtias Dómini, ℟. Usque in altíssima quæ fecísti magnália. *Ps.* 70.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 21.

IN illo témpore; Dixit Jesus Petro: Séquere me. Convérsus Petrus vidit illum discípulum quem diligébat Jesus, sequéntem, qui & recúbuit in cœna super pectus ejus; & dixit, Dómine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cùm vidísset Petrus, dixit Jesu: Dómine, hic autem quid? Dicit ei Jesus: Sic eum volo manére donec véniam, quid ad te? tu me séquere. Et réliqua.

Incipit Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

QUod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, & manus nostræ contrectavérunt de Verbo vitæ: & Vita manifestáta est, & vídimus, & testámur, & annuntiámus vobis Vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis: quod vídimus & audívimus, annuntiámus vobis, ut & vos societátẽ habeátis nobíscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Fílio ejus Jesu Christo. Et hæc scríbimus vobis, ut gaudeátis, & gáudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiátio quam audívimus ab eo, & annuntiámus vobis: Quóniam Deus lux est, & ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam societátem habémus cum eo, & in ténebris ambulámus, mentímur, & veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, sicut & ipse est in luce; societátem habémus ad ínvicem, & sánguis Jesu Christi Filii ejus emúndat nos ab omni peccáto.

℟. *vij.* Hic est Discípulus ille qui testimónium pérhibet de his, & scripsit hæc; scripta sunt autem ut credátis Quia Jesus est Christus Fílius Dei; & ut credéntes, vitam habeátis in nómine ejus. ℣. Et ille scit quia vera dicit, ut & vos credátis * Quia. *Joan.* 21. 20. 19.

Incipit Liber Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio viij. *Cap. 1.*

Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri citò: & significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimonium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcúmque vidit... Ego Joánnes frater vester & particeps in tribulatióne, & regno, & patiéntia in Christo Jesu: fui in ínsula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei & testimónium Jesu. Fui in spíritu in Domínica die; & audívi post me vocem magnam tamquam tubæ dicentis: Quod vides, scribe in libro; & mitte septem Ecclésiis, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pérgamo, & Thyatíræ, & Sardis, & Philadelphíæ, & Laodicíæ.

℟. viij. Exiit sermo inter fratres quia discípulus ille non móritur. Et non dixit Jesus, Non móritur; sed * Si eum volo manére donec véniam, quid ad te? ℣. Quis est homo qui vivet, & non vidébit mortem? éruet ánimam suam de manu ínferi? * Si eum. *Joan.* 21. *Ps.* 88.

Ex Libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio ix.

Joánnes Apóstolus, quem Jesus amávit plúrimum, fílius Zebedæi, frater Jacóbi Apóstoli quem Heródes post passiónem Dómini decollávit, novíssimus ómnium scripsit Evangélium, rogátus ab Asiæ Epíscopis, advérsùs Cerínthum, aliósque hæréticos & máximè tunc Ebionitárum dogma consúrgens, qui ásserunt Christum ante Maríam non fuísse: unde & compúlsus est divínam ejus nativitátem edícere. Quarto-décimo autem anno, secúndam post Nerónem persecutiónem movénte Domitiáno, in Patmos ínsulam relegátus, scripsit Apocalypsim, quã interpretátur Justínus martyr, & Irenæus. Interfécto autem Domitiáno, & actis ejus ob nímiam crudelitátem à Senátu rescíssis, sub Nerva príncipe rédiit Ephesum, ibíque usque ad Trajánum príncipem persevérans, totas Asiæ fundávit rexítque Ecclésias: Et conféctus sénio, sexagésimo octávo post passiónem Dómini anno mórtuus, juxta eámdem urbem sepúltus est.

℟. ix. In hoc cognóvimus caritátem Dei; quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit, * Et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. ℣. Filíoli mei, non diligámus verbo, neque linguâ, sed ópe-

re & veritáte ; * Et nos. Glória. ℞. In hoc. 1. *Joan.* 3.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Qui non díligit, non novit Deum, ℞. Quóniam Deus cáritas est.

Ant. 2. *to.* QUæ opórtet fieri citò, significávit Deus mittens per Angelum suũ servo suo Joánni. *Apoc.* 1.

Ant. 1. *D.* Testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi quæcúmque vidit. *Ibid.*

Ant. 1. a. Beátus qui legit & audit verba prophetíæ hujus ; & servat ea quæ in ea scripta sunt : tempus enim propè est. *Ibid.*

Ant. 8. c. Hæc verba fidelíssima sunt & vera, quæ opórtet fieri citò. Et ego Joánnes audívi & vidi hæc. *Apoc.* 22.

Ant. 7. *d* * Ego Jesus misi Angelum meum testificári vobis hæc in Ecclésiis. *Ibid.*

Capitulum. 1. *Joan.* 5. 20.

SCimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscámus verum Deum, & simus in vero Fílio ejus. Hic est verus Deus, & Vita ætérna.

Hymnus. *Santol. Vict.*

TU, quem præ réliquis
Christus amáverat,
O dulces hóminis delíciæ Dei,
Curárum sócius, fúneris & comes,
Et testis quoque glóriæ :
FORTUNATE nimis, cui lícitum fuit
Attrectáre manu Verbum, hóminem Deum,
Hunc audíre, óculis cérnere, mútuo
Quin & collóquio frui !
Hæc dos quanta fuit, cùm tibi crédidit
Sensus Christus amans péctoris íntimos,
Quando monte super, totus homo Deus
Sese Númine véstiit ?
JESU tu plácido dum récubas sinu,
Potas plena Deo vívida flúmina ;
Illápsu tácito se própiùs tuis
Numen sénsibus ínserit.
HINC tu semper amans, semper amábilis,
Hinc & frontis honor, virgíneus pudor,
Hinc cæléste jubar, quod súperos decet,
Toto vértice fúnditur.
HINC creber répetis, creber idem sonas ;
Quidquid faris, Amor, sic Amor ímperat :
Vix se se cápiens æstuat, & suis
Pectus rúmpitur ígnibus.
SIT laus summa Patri, summaque Fílio,
Sit par sancte tibi glória, Spíritus ;
Hæc est certa fides, fóntibus

è tuis,
Quam divínitùs haúsimus.
Amen.

℣. Veritátem dilexísti, ℟. Occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi. *Ps.* 50.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei; & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis novæ Jerúsalem. *Apoc.* 3.

Oratio.

ECclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra, ut beáti Joánnis Apóstoli tui & Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna; Per Dóminum.

* *Pro Commemoratione de Nativitate Ant.* 5. f. Ecce Deus noster iste, exspectávimus eum, & salvábit nos; iste Dóminus, sustinúimus eum; exultábimus & lætábimur in salutári ejus. *Is.* 25.

℣. Notum fecit Dóminus ℟. Salutáre suum. *Ps.* 97.

Oratio, Concéde. *pag.* 252.

De B. V. Maria, ut infrà 2. *Januar.*

AD PRIMAM.

Ant. 2. *to.* Quæ opórtet.

AD TERTIAM.

Ant. 1. *D.* Testimónium.

Capitulum. *Apoc.* 1.

EGo Joánnes frater vester, & párticeps in tribulatióne & regno & patiéntiâ in Christo Jesu, fui in ínsula quæ appellátur Patmos propter verbum Dei & testimónium Jesu.

℟. *br.* In terra desérta & ínvia appárui tibi, * Allelúia, allelúia. ℟. In. ℣. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. * Allelúia. Glória. ℟. In terra.

℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ ℟. In loco peregrinatiónis meæ. *Ps.* 62. & 118.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Beátus.

Capitulum *Apoc.* 10. 9.

DIxit mihi Angelus: Accipe librum & dévora illum, & fáciet amaricári ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel.

℟. *br.* Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua, * Allelúia, allelúia. ℟. Quàm. ℣. Super mel ori meo. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Quàm. ℣. Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum, ℟. Et dulcióra super mel & favum. *Ps.* 118 & 18

AD NONAM.

Ant. 7. *d* * Ego.

Capitulum. *Apoc.* 10.

ACcépi librum de manu ángeli, & devorávi illum: & erat in ore meo tamquam mel dulce; & cùm devorássem eum, amaricátus est venter meus; & dixit mihi: Opórtet te íterum propheta-

re géntibus, & pópulis, & linguis, & régibus multis.

℟. *br.* Ecce lábia mea non prohibébo, * Allelúia, allelúia. ℟. Ecce. ℣. Dómine tu scisti * Allelúia. Glória Patri. ℟. Ecce.

℣. Parátus sum & non sum turbátus ℟. Ut custódiam mandáta tua. *Ps. 39. & 118.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ II. Vesp. Nativ.

Capitulum. *Eccli. 15.*

Cibábit illum pane vitæ & intelléctûs, & aquâ sapiéntiæ salutáris potábit illũ; & in médio Ecclésiæ apériet os ejus.

℟. Quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ; annuntiámus vobis * Vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis. ℣. Ad præcéptum Dómini elevábitur áquila, & in árduis ponet nidum suum: de longè óculi ejus prospíciunt, * Vitam. Glória Patri. ℟. Quod. 1. *Joan.* 1. *Job.* 39.

Hymnus. *Santol. Vict.*

Sit qui ritè canat te modò
Vírginem,
Te scriptis célebrem dicat
Apóstolum,
Jungat verídicis te quoque
Vátibus;
Christi te cano Mártyrem.
Diri testis eras súpetis & comes,
Votis cum Dómino fixus eras
cruci;
Hoc tantùm licuit tunc tibi,
mútuis
Respondére dolóribus.
Pendens funérea Christus ab
árbore
Te, matri míseræ jam sine
fílio,
Natum substítuit; crédere Vírginem
Quàm par est tibi Vírgini.
Tali depósito quid pretiósius?
Mater vera Dei jam tua dícitur,
Natus jure pari dícere, mórtui
Jactúram réparas Dei.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima
Flámini;
Hæc est certa fides, fóntibus
è tuis
Quam divínitùs haúsimus.
Amen.

℣. Apud te est fons vitæ, ℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen. *Ps.* 35.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. *D.* Majórem non hábeo grátiam, quàm ut aúdiam fílios meos in veritáte ambuláre. 3. *Joan. v.* 4.

Oratio, Ecclésiam, *suprà in Laud.*

Fit Commemoratio de SS. Innocentibus per Ant. 2. He-

..des irátus occídit omnes ..eros qui erant in Béthleem, ..in ómnibus fínibus ejus, à ..nátu, & infrà. *Matth.* 2.

℣. Captábunt in ánimam ..sti, ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Ps.* 93.

Oratio, Deus cujus præcó..nium. *infrà in Laud. Matut.*

De Nativitate Ant. 8. Glória in altíssimis Deo, & ..terra pax homínibus bonæ ..luntátis. *Luc.* 2.

℣. Notum fecit Dóminus ..Salutáre suum. *Ps.* 97.

Oratio, Concéde. *ut in Nat.* ..*g.* 252.

Et de B. V. Maria, infrà 2. *..nuar.*

..D COMPLETORIUM, *Ut in Nativitate Domini.*

DIE XXVIII. DECEMBRIS, ..S. INNOCENTIUM *Duplex.*

AD VIGILIAS,

Invitat. Verbum caro. *&c.*

Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

Hymnus. *Prudent.*

AUdit tyránnus ánxius
Adésse regum príncipem,
Qui nomen Israël regat,
Teneátque David régiam.
Exclámat amens núntio:
Succéssor instat, péllimur:
Satélles, i, ferrum rape,
Perfúnde cunas sánguine.
Transfígit ergo cárnifex
Mucróne distrícto furens
Effúsa nuper córpora,
Animásque rimátur novas.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória. *&c.*

IN I. NOCT.

Añæ. ℣. *&* ℟. *ut in I. Noct. S. Stephani, p.* 254.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 3. *v.* 16.

CUm pertransíssent septem dies, factum est verbum Dómini ad me dicens: Fili hóminis speculatórem dedi te dómui Israël: & aúdies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. Si dicénte me ad ímpium: Morte moriéris; non annuntiáveris ei, neque locútus fúeris ut avertátur à via sua ímpia, & vivat: ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris ímpio, & ille non fúerit convérsus ab impietáte sua & à via sua ímpia, ipse quidem in iniquitáte sua moriétur, tu autem ánimam tuam liberásti. Sed & si convérsus justus à justítia sua fúerit, & fécerit iniquitátem: ponam offendículum coram eo, ipse moriétur, quia non annuntiásti ei: in peccáto suo moriétur, & non erunt in memória justítiæ ejus quas fecit: sánguinem verò ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris justo ut non peccet justus, & ille non peccá-

verit: vivens vivet, quia annuntiásti ei, & tu ánimam tuam liberásti.

Lectio ij.

ET facta est super me manus Dómini, & dixit ad me: Surgens egrédere in campum, & ibi loquar tecum. Et súrgens egréssus sum in campum: & ecce ibi glória Dómini stabat quasi glória, quam vidi juxta flúvium Chobar: & cécidi in fáciem meam. Et ingréssus est in me spíritus, & státuit me super pedes meos: & locútus est mihi, & dixit ad me: Ingrédere & inclúdere in médio domûs tuæ. Et tu fili hóminis, ecce data sunt super te víncula, & ligábunt te in eis, & non egrediéris de médio eórum. Et linguam tuam adhærére fáciam paláto tuo, & eris mutus, nec quasi vir objúrgans: quia domus exásperans est. Cùm autem locútus fúero tibi, apériam os tuum, & dices ad eos; Hæc dicit Dóminus Deus: Qui audit, aúdiat: & qui quiéscit, quiéscat: quia domus exásperans est.

Lectio iij. Cap. 4. v. 7.

ET ad obsidiónem Jerúsalem convértes fáciem tuã, & bráchium tuum erit exténtum: & prophetábis advérsùs eam: Ecce circúmdedi te vínculis... Et dixit Dóminus: Sic cómedent fílii Israël panem suum pollútum inter Gentes, ad quas ejíciam eos. Et dixi: A a a, Dómine Deus, ecce ánima mea non est pollúta, & morticínum, & lacerátum à béstiis non comédi ab infántia mea usque nunc, & non est ingréssa in os meum omnis caro immúnda. Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boüm pro stercóribus humánis: & fácies panem tuũ in eo. Et dixit ad me; Fili hóminis: Ecce ego cónteram báculum panis in Jerúsalem: & cómedent panem in póndere & in sollicitúdine; & aquam in mensúra & in angústia bibent: ut deficiéntibus pane & aquâ, córruat unusquísque ad fratrem suum; & contabéscant in iniquitátibus suis.

IN II. NOCT.

Añæ. ℣. & ℟. ut in II. Noct. S. Stephani, p. 257.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio iv. Cap. 11. v. 22.

VIde bonitátem & severitátem Dei; in Judæos quidem qui cecidérunt severitátem: in te autem bonitátem Dei, si permánseris in bonitáte, alióquin & tu excidéris. Sed & illi, si non permánserint in incredulitáte, inseréntur: potens est enim Deus iterùm inserére illos. Nam si tu ex naturáli excísus es oleástro, & contra natúram

insértus es in bonam olívam: quantò magis ii, qui secúndùm natúram inseréntur suæ olívæ. Nolo enim vos ignoráre fratres mystérium hoc: (ut non sitis vobis ipsis sapiéntes) quia cæcitas ex parte contígit in Israël, donec plenitúdo Géntium intráret, & sic omnis Israël salvus fíeret, sicut scriptum est: Véniet ex Sion, qui erípiat, & avértat impietátem à Jacob. Et hoc illis à me testaméntum: cùm abstúlero peccáta eórum. Secúndùm Evangélium quidem, inimíci propter vos: secúndùm electiónem autem, caríssimi propter patres. Sine pœniténtia enim sunt dona, & vocátio Dei.

Lectio v. v. 30. & C. 12.

SIcut enim aliquándo & vos non credidístis Deo, nunc autem misericórdiam consecúti estis propter incredulitátem illórum: ita & isti nunc non credidérunt in vestram misericórdiam: ut & ipsi misericórdiam consequántur. Conclúsit enim Deus ómnia in incredulitáte: ut ómnium misereátur. O altitúdo divitiárum sapiéntiæ & sciéntiæ Dei: quàm incomprehensibília sunt judícia ejus, & investigábiles viæ ejus! quis enim cognóvit sensū Dómini? Aut quis consiliárius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuétur ei? Quóniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt ómnia: ipsi glória in sǽcula. Obsecro ítaque vos fratres per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sǽculo, sed reformámini in novitáte sensûs vestri: ut probétis quæ sit volúntas Dei bona, & benéplacens, & perfécta. Dico enim per grátiam quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: Non plus sápere quàm opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem; & unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei: Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúmdem actum habent: Ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra.

Lectio vj. v. 9.

DIléctio sine simulatióne. Odiéntes malum, adhæréntes bono: Caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, Honóre ínvicem præveniéntes: Sollicitúdine non pigri: Spíritu fervéntes, Dómino serviéntes: Spe gaudéntes: In tribulatióne patiéntes: Oratióni instántes: Necessitátibus sanctórum communicántes: Hospitalitátem sectán-

tes: Benedícite persequéntibus vos: benedícite, & nolíte maledícere. Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus: idípsum ínvicem sentiéntes: non alta sapiéntes, sed humílibus consentiéntes: Nolíte esse prudéntes apud vosmetípsos: nulli malum pro malo reddéntes; providéntes bona non tantùm coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habéntes: non vosmetípsos defendéntes caríssimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindícta; ego retríbuam, dicit Dóminus. Sed si esuríerit inimícus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim fáciens, carbónes ignis cóngeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

IN III. NOCT.

Ant. 8. G. Jussit milítibus interfícere, nec párcere; fiébant ergo natórum extermínia, & parvulórum cædes. 2. *Machab.* 5.

Ant. 2. Justórum occidérunt infántes, uno liberáto. *Sap.* 18.

Ant. 2. Párvuli sunt quos donávit mihi Deus. *Gen.* 33.

℣. Quiéscat vox tua à ploráru; ℟. Reverténtur filii ad términos suos. *Jer.* 31.

Léctio sancti Evangélii se-
cúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 2.

IN illo témpore, Ang[elus] Dómini appáruit in so[m]nis Joseph dicens: Surg[e, &] áccipe púerum & matrem [e]jus, & fuge in Ægyptum, [&] esto ibi úsquedum dicam ti[bi.] Futúrum est enim ut Herò[des] quærat púerum ad perdénd[um] eum. Qui consúrgens acc[épit] púerum & matrem ejus no[cte,] & secéssit in Ægyptum, [& e]rat ibi usque ad óbitum H[e]ródis, ut adimpleréturr qu[od] dictum est à Dómino per Pr[o]phétam dicéntem: Ex Æg[y]pto vocávi fílium meú. Tu[nc] Heródes videns, quóniam [il]lúsus esset à Magis irátus [est] valdè, & mittens occídit o[m]nes púeros qui erant in Béth[le]leem, & in ómnibus fínib[us] ejus, à bimátu & infrà, se[cún]dùm tempus quod exqui[síe]rat à Magis. Et réliqua.

Homília S. Joánnis Chryso[s]stomi. 9. *in Matth.*

QUo, Heródes sævíss[i]me, colóre ratiónis irá[tus] tus es, cùm te à Magis illúsu[m] vidéres? Non cognóveras o[r]tum illum esse divínum? No[n] tu Príncipes convocáveras Sa[cer]cerdótum? Non ipse congr[e]gáveras Scribas? Non étiam il[li] qui à te fúerant convocáti, [ad] Prophétam secum in judícium [illíus] illíus concílii protulérunt, qu[i]

...ista prædíxerat? Non in... ...xísti, nova vetéribus con... ...rit? Non audísti quóniam ...os stella dedúxerit? Cur ...erubuísti tam laudábile ...ium barbarórum? Cur non ...ercitus Prophétæ veritá...? Cur non ex præcedénti... ...étiam extréma pensitásti? ...non ex his ómnibus col... ...sti nequáquam Magórum ...ni deputándū esse, quod ...m est, sed divínæ útique ...i ómnia próvidè & utí... ...ordinánti? Quòd si esses ...m Magórum fraude decé..., quid hoc præjudicáret ...océntibus?

℟. vij. Exsúrge Deus, jú... ...a causam tuam, réspice, * ...udi vocem sánguinis cla... ...ntis ad te. ℣. Memoráre ...uíssimas mortes parvuló... ...Innocéntum, * Et. *Ps.* 73. *1. Machab.* 8.

Lectio viij.

TUnc adimplétū est quod dictum est per Jeremíam ...ophétam dicéntem: Vox in ...ma audíta est; plorátus & ...ulátus multus, Rachel plo... ...s fílios suos, & nóluit con... ...lári, quia non sunt. Admi... ...bilis consequéntia: quia e... ...m auditórem magnitúdine ...rróris impléverat Evange... ...ta, crudélem illam macta... ...ónem descríbens, rursus eum ...onsolátur & dicit, quòd non ...ídcirco illa facta sunt, quia ea Deus prohibére nequíverit, aut futúra non víderit, sed quæ certè & præscíerit & per Prophétam longè antè prædíxerit. Ne ígitur turbéris & cóncidas, ad ineffábilem providéntiam ejus prospíciens; quam & per illa quæ operátur ipse, & per ista quæ ab áliis fieri sinit, perspícuè póssumus intuéri.

℟. viij. Quiéscat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis: * Lætáberis in fíliis tuis, quóniam omnes benedicéntur, & congregabúntur ad Dóminum. ℣. Non audiétur ultrà vox fletûs & vox clamóris; * Lætáberis. *Jerem.* 31. *Tob.* 13. *Is.* 65.

Homília S. Bernárdi Abbátis.

Lectio ix. in Nat. SS. Innoc.

DE Innocéntium corónis quis dúbitet? Ille pro Christo trucidátos infántes dúbitet inter Mártyres coronári, qui regenerátos in Christo non credit inter adoptiónis fílios numerári. Alióquin quando coævos sibi púeros puer ille, qui natus est nobis, non contra nos, propter se paterétur occídi, quod útique solo nutu póterat prohibére, nisi mélius áliquid eis providéret? Ut quemádmodum céteris infántibus tunc quidem circumcísio, nunc verò baptísmus sine ullo própriæ voluntátis usu sufficit ad salú-

tem, sic nihilóminus pro eo suscéptum martyriū illis sufficeret ad sanctitátem. Si quæris eórum apud Deum mérita, ut coronaréntur: quære & apud Heródem crímina, ut trucidaréntur. An fortè minor Christi píetas, quam Heródis impíetas, ut ille quidem potúerit innóxios neci dare, Christus non potúerit propter se occísos coronáre?

℟. ix. Properávit Deus edúcere illos de médio iniquitátum; * Quóniam grátia Dei & misericórdia est in sanctos ejus, & respéctus in eléctos illíus. ℣. Prædestinávit eos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndùm propósitum voluntátis suæ, * Quóniam. Glória. ℟. Properávit. *Sap.* 4. *Ephes.* 1.

Et dicitur Te Deum.

Ad Laudes Matutinas.

℣. *Sac.* Ex ore infántium & lacténtium ℟. Perfecísti laudem tuam, Deus. *Ps.* 8.

Ant. 7. d* Vox in excélso audíta est lamentatiónis, luctûs, & fletûs Rachel plorántis fílios suos, & noléntis consolári super eis, quia non sunt. *Jer.* 31.

Ant. 8. G. Effudérunt sánguinem eórum, tamquam aquam in circúitu Jerúsalem. *Ps.* 78.

Ant. 6. F. Consummáti in brevi explevérunt témpora multa. *Sap.* 4.

Ant. 8. G. Quasi holoc[austi] hóstiam accépit illos, q[uo]niam donum & pax est ele[ctis] ejus. *Sap.* 3.

Ant. 3. g. Rapti sunt, [ne] malítia mutáret intelléc[tum] eórum, aut ne fíctio deci[pe]ret ánimas illórum. *Sap.* 4.

Capitulum. Thren. 2. 19.

Consúrge, lauda in no[cte] & leva ad Dóminum [ma]nus tuas pro ánima parvu[lo]rum tuórum.

Hymnus. Prudent.

Salvéte flores Mártyrum
Quos lucis ipso in límin[e]
Christi insecútor sústulit,
Ceu turbo nascéntes rosas.
Vos prima Christi víctim[a],
Grex immolatórum tener,
Aram ante ipsam símplices
Palmâ & corónis lúditis.
Quid próficit tantum nef[as]?
Quid crimen Heródem juv[at]?
Unus tot inter fúnera
Impunè Christus tóllitur.
Inter coævi sánguinis
Fluénta solus ínteger
Ferrum, quod orbábat nu[rus],
Partus feféllit Vírginis.
Sic stulta Pharaónis mali
Edícta quondam fúgerat,
Christi figúram præferens,
Moses recéptor cívium.
Qui natus es de Vírgine. *&c.*

℣. Beáti, quos elegísti [&] assumpsísti, ℟. Inhabitábu[nt] in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3.

Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. *Luc.* 12.

Oratio.

Deus, cujus præcónium Innocéntes mártyres non loquéndo, sed moriéndo conféssi sunt: ómnia in nobis vitiórum mala mortífica, ut fidem tuam quam lingua nostra lóquitur, étiam móribus vita fateátur; Per.

Fit Commemoratio de Nativ. per Antiph. 7. a. Tamquam sponsus procédens de thálamo suo, exultávit ut gigas ad curréndam viam. *Ps.* 18.

℣. Sacrifícium & oblatiónem noluísti, ℟. Tunc dixi, Ecce vénio. *Ps.* 39.

Oratio, Concéde, *in Nativ. pag.* 252.

Et de B. V. Maria, ut in 2. *Januar.*

Ad Primam.

Ant. 7. *d.** Vox in excélso. *suprà in Laud.*

Ad Tertiam.

Ant. 8. G. Quasi holocaústi hóstiam. *in Laud.*

Capitulum. *Dan.* 3. 40.

Sicut in míllibus agnórum pínguium; sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi Dómine.

℟. *br.* Propter te, Dómine, mortificámur totâ die. * Allelúia, allelúia. ℟. Propter. ℣. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis; * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Propter.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti; ℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 43. & 89.

Ad Sextam.

Ant. 3. g. Rapti sunt.

Capitulum. *Sap.* 4.

Condémnat justus mórtuus vivos ímpios, & juvéntus celériùs consummáta longam vitam injústi.

℟. *br.* Anima nostra sicut passer erépta est, * Allelúia, allelúia. ℣. De láqueo venántium. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Anima.

℣. Láqueus contrítus est, ℟. Et nos liberáti sumus. *Ps.* 123.

Ad Nonam.

Ant. 3. c. Inimíci tui, Dómine, declinavérunt in te mala; cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre. *Ps.* 20.

Capitulum. 1. *Cor.* 1. 19.

Scriptum est: Perdam sapiéntiam sapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo... Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi?

℟. *br.* Confundántur quæréntes ánimam meam, * Allelúia, allelúia. ℟. Confundántur. ℣. Quia gratìs abscondérunt mihi intéritum, * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Confundántur.

℣. Dóminus réprobat consília Príncipum ; ℞. Consílium autem Dómini in ætérnum manet. *Ps.* 34. *&* 32.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de II. Vesp. Nat. pag. 252.

Capitulum. Apoc. 7. 17.

AGnus qui in médio throni est, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum.

Hymnus, Salvéte flores Mártyrum, *ut suprà in Laud. Mat.*

℣. Lætáberis in fíliis tuis Jerúsalem, ℞. Quóniam congregabúntur ad Dóminum... *Tob.* 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Scripti sunt in libro vitæ Agni : vidébunt fáciem ejus, & nomen ejus in fróntibus eórum, & regnábunt in sécula seculórum. *Apoc.* 21. *&* 22.

Oratio, Deus cujus præcónium. *ut suprà ad Laud. Mat.*

Fit Commemoratio de Nativitate per Antiphonam. 7. *d** Factus est nobis Christus Jesus sapiéntia à Deo, & justítia, & sanctificátio, & redémptio. 1. *Cor.* 1.

℣. Notum fecit Dóminus ℞. Salutáre suum. *Ps.* 97.

Oratio, Concéde, *ut in Nat.*

Deinde de S. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo & Martyre, *Ant.* 8. G. Zelum hábuit legis, státuens testaméntum, & fugit, & relíquit quæcúmque habebat. 1. *Machab.*

℣. Propter te, Dómi[ne] sustínui oppróbrium, ℞. Q[uó]niam zelus domûs tuæ c[omé]dit me. *Ps.* 68.

Oratio, Deus, pro c[ujus] Ecclésia, *ut cras ad Laud[es]*

Et de B. V. Mariæ ut [...] *Januar.*

DOMINICA

INTRA OCTAVA[M]

NATIVITATIS DOMI[NI]

AD I. VESPERA[S]

Antiphonæ de II. Ves[p.] Nativitatis Domini, & [...] *qua*,

Oratio, Largíre, *infrà Laud. Mat.*

Et non fit hac die Comm[emo]ratio Octavæ, sed B. Vir[g.] Completorium ut in Nativ[it.]

AD VIGILIAS.

Invitatorium, Verbum c[aro] *&c. ut suprà pag.* 254.

Psalmus 94. Veníte. *p*[...]

Hymnus, Christe Redémptor, *pag.* 242.

In omnibus Hymnis D[...] Qui natus es.

Antiphonæ & ℣. ut in N[...]

IN I. NOCT.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 7.

FActus est sermo Dómi[ni] ad me, dicens : Et tu [fili] hóminis, hæc dicit D[ó]minus Deus terræ Israël : [Fi]nis venit, venit finis su[per] quátuor plagas terræ. Nu[nc] finis super te, & immítta[m]

furórem meum in te: & judicábo te juxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominatiónes tuas. Et non parcet óculus meus super te, & non miserébor: sed vias tuas ponam super te, & abominatiónes tuæ in médio tuî erunt: & sciétis quia ego Dóminus. Hæc dicit Dóminus Deus: Afflíctio una, afflíctio ecce venit: Finis venit, venit finis, evigilávit advérsùm te: ecce venit. Venit contrítio super te, qui hábitas in terra: venit tempus, propè est dies occisiónis, & non glóriæ móntium. Nunc de propínquo effúndam iram meam super te, & complébo furórem meum in te: & judicábo te juxta vias tuas, & impónam tibi ómnia scélera tua; & non parcet óculus meus, nec miserébor, sed vias tuas impónam tibi, & abominatiónes tuæ in médio tuî erunt; & sciétis quia ego sum Dóminus percútiens.

℟. j. Iste dies observábilis est Dómini. Buccináte tubâ in insígni die solemnitátis vestræ, quia præcéptum in Israël est: constitúite diem solémnem in condénsis usque ad cornu altáris; * Gaudéte, & exultáte. ℣. Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere.* Gaudéte. *Exod. 12. Ps. 80. & 117. Matth. 5. 1. Tim. 1.*

Et dicitur in Dominicis ad Purific. præter Epiph.

Lectio ij.

Ecce dies, ecce venit: egréssa est contrítio, flóruit virga, germinávit supérbia: Iníquitas surréxit in virga impietátis? non ex eis, & non ex pópulo, neque ex sónitu eórum: & non erit réquies in eis. Venit tempus, appropinquávit dies: qui emit, non lætétur: & qui vendit, non lúgeat: quia ira super omnem pópulum ejus. Quia qui vendit, ad id, quod véndidit, non revertétur, & adhuc in vivéntibus vita eórum. Vísio enim ad omnem multitúdinem ejus non regrediétur: & vir in iniquitáte vitæ suæ non confortábitur. Cánite tubâ, præparéntur omnes, & non est qui vadat ad prælium: ira enim mea super univérsum pópulũ ejus. Gládius foris: & pestis, & fames intrínsecus: qui in agro est, gládio moriétur: & qui in civitáte, pestiléntiâ & fame devorabúntur. Et salvabúntur qui fúgerint ex eis: & erunt in móntibus quasi colúmbæ convállium omnes trépidi, unusquísque in iniquitáte sua. Omnes manus dissolvéntur, & ómnia génua fluent aquis. Et accíngent se cilíciis, & opériet eos formído, & in omni fácie confúsio, & in uni-

vérsis capítibus eórum calvítium. Argéntum eórum foras projiciétur, & aurum eórum in sterquilínium erit. Argéntum eórum, & aurum eórum non valébit liberáre eos in die furóris Dómini. Animam suam non saturábunt, & ventres eórum non implebúntur: quia scándalum iniquitátis eórum factum est.

℟. *ij*. Dies sanctificátus. *p.4*

Lectio iij.

ET ornaméntum monílium suórum in supérbiam posuérunt, & imágines abominatiónum suárum, & simulacrórum fecérunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immundítiam: & dabo illud in manus alienórum ad diripiéndum, & ímpiis terræ in prædam, & contaminábunt illud. Et avértam fáciem meam ab eis, & violábunt arcánum meum: & introíbunt in illud emissárii, & contaminábunt illud. Fac conclusiónem; quóniam terra plena est judício sánguinum, & cívitas plena iniquitáte. Et addúcam péssimos de Géntibus, & possidébunt domos eórum: & quiéscere fáciam supérbiam poténtium, & possidébunt sanctuária eórum. Angústiâ superveniénte, requírent pacem, & non erit. Conturbátio super conturbatiónem véniet, & audítus super audítum: & quærent visiónem de prophéta, & lex períbit à sacerdóte, & consílium à senióribus. Rex lugébit, & princeps induétur mœróre, & manus pópuli terræ conturbabúntur. Secúndùm viam eórum fáciam eis, & secúndùm judícia eórum judicábo eos: & scient quia ego Dóminus.

℟. *iij*. Pascha nostrum. *p.4.*

IN II. NOCT.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio iv. *Cap. 13.*

OMnis ánima Potestátibus sublimióribus súbdita sit: Non est enim potéstas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinátæ sunt. Itaque qui resístit potestáti, Dei ordinatióni resístit. Qui autem resístunt, ipsi sibi damnatiónem acquírunt: nam Príncipes non sunt timóri boni óperis, sed mali. Vis autem non timére potestátem? Bonum fac: & habébis laudem ex illa: Dei enim miníster est tibi in bonum. Si autem malum féceris, time: non enim sine causa gládium portat. Dei enim miníster est: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideò necessitáte súbditi estóte non solùm propter iram, sed étiam propter consciéntiam. Ideò enim & tribúta præstátis: minístri enim Dei sunt, in hoc ipsum ser-

viéntes.

℟. *iv.* In ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre; * Et per eum reconciliáre ómnia in ipsum. ℣. Propósuit Deus instauráre in ipso quæ in cælis, & quæ in terra sunt, * Et. *Coloss.* 1. *Ephes.* 1.

Lectio v.

REddite ergo ómnibus débita: cúi tribútum, tribútum: cúi vectígal, vectígal: cúi timórem, timórem: cúi honórem, honórem. Némini quidquam debeátis, nisi ut invicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit. Nam: non adulterábis: non occídes: non furáberis: non falsum testimónium dices: non concupísces; & si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur: Díliges próximum tuum, sicut teipsum. Diléctio próximi malum non operátur. Plenitúdo ergo legis est diléctio. Et hoc sciéntes tempus: quia hora est jam nos de somno súrgere. Nunc enim própior est nostra salus, quàm cùm credídimus. Nox præcéssit, dies autem appropinquávit; Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis. Sicut in die honéstè ambulémus: non in comessatiónibus, & ebrietátibus, non in cubílibus, & impudicítiis, non in contentióne, & æmulatióne: sed indúimini Dóminum Jesum Christum, & carnis curam ne fecéritis in desidériis.

℟. *v.* Natus est. *viij. de Nat. pag.* 248.

Lectio vj. *Cap.* 14.

INfirmum autem in fide assúmite, non in disceptatiónibus cogitatiónum. Alius enim credit se manducáre ómnia: qui autem infirmus est, olus mandúcet. Is, qui mandúcat, non manducántem non spernat; & qui non mandúcat, manducántem non júdicet: Deus enim illum assúmpsit. Tu quis es, qui júdicas aliénum servum? dómino suo stat, aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statúere illum. Nam álius júdicat diem inter diem: álius autem júdicat omnem diem: unusquísque in suo sensu abúndet. Qui sapit diem, Dómino sapit: Et qui mandúcat, Dómino mandúcat: grátias enim agit Deo. Et qui non mandúcat, Dómino non mandúcat, & grátias agit Deo. Nemo enim nostrûm sibi vivit, & nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus: sive mórimur, Dómino mórimur. Sivè ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. In hoc enim Christus mórtuus est & resurréxit, ut & mortuórum & vivórum dominétur.

℟. vj. Cúi dixit aliquándo Angelórum: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te; &, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in fílium? ℣. Eructávit cor meum verbum bonum; dico ego ópera mea Regi: * Fílius. Glória. * Fílius. *Hebr.* 1. *Ps.* 44.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 2.

IN illo témpore, Erat pater Jesu & mater mirántes super his quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Symeon, & dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam, & in resurrectiónem multórum in Israël: & in signum, cúi contradicétur: & tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes. Et erat Anna prophetíssa, fília Phánuel, de tribu Aser: hæc processerat in diébus multis, & víxerat cum viro suo annis septem à virginitáte sua. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. *in c.* 2. *Lucæ prope fin.*

VIdes úberem in omnes grátiam Dómini generatióne diffúsam, & prophetíam incrédulis negátam esse, non justis. Ecce & Symeon prophétat, in ruínam & resurrectiónem plurimórum venísse Dóminum Jesum Christum, ut justórum iniquorúmque mérita discérnat, & pro nostrórum qualitáte factórum judex verus & justus aut supplícia decérnat, aut præmia.

℟. vij. Sic Deus diléxit mundum. *pag.* 246.

Lectio viij.

ET tuam, inquit, ipsíus ánimam pertransíbit gládius. Nec líttera, nec históría docet, ex hac vita Maríam corporális necis passióne migrásse. Non enim ánima, sed corpus materiáli gládio transverberátur. Et ideò prudéntiam Maríæ haud ignáram mystérii cæléstis osténdit. Vivum enim verbum Dei, & válidum, & acútius omni gládio acutíssimo, pénetrans usque ad divisiónem ánimæ ac spíritûs, ártuum quoque & medullárum, cogitatiónes cordis, & secréta scrutátur animórum: quia nuda & apérta sunt ómnia Dei Fílio, quem consciéntiæ secréta non fallunt.

℟. viij. Erat pater Jesu & mater mirántes super his quæ dicebántur de illo. * María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. ℣. Ecce pósitus est hic in ruínam & in resurrectiónem multórum. * María. *Luc.* 2.

Lectio ix.

PRophetávit ítaque Symeon, prophetáverat Virgo, prophetáverat copuláta conjúgio: prophetáre débuit étiam vídua, ne qua aut proféssio deésset, aut sexus. Et ídeò Anna & dispéndiis viduitátis, & móribus talis indúcitur, ut digna planè fuísse credátur, quæ Redemptórem ómniũ venísse nuntiáret.

℟. *ix.* Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: * Habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. ℣. Venit Jesus Christus in hunc mundum peccatóres salvos fácere; gaudéte & exsultáte. * Habitántibus. Glória. * Habitántibus. *Is.* 9. 1. *Joan.* 2.

AD LAUDES MATUTINAS,

℣. *sacerd.* Benedíctus qui venit in nómine Dómini; ℟. Deus Dóminus & illúxit nobis. *Ps.* 117.

℣. Deus in adjutórium *&c.*

Añæ de Nativ. p. 249.

Capitulum. *Galat.* 1.

DEdit semetípsum Dóminus noster Jesus Christus pro peccátis nostris, ut eríperet nos de præsénti século nequam, secúndùm voluntátem Dei & Patris nostri, cúi est glória in sécula seculórum; amen.

Hymnus, A solis ortûs. *p.* 253

℣. Apud Dóminum. *Ibid.*

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. a. Recordátus est Dóminus pópuli sui, ac misértus est hereditátis suæ. *Esther.* 10.

Oratio.

LArgíre, quæsumus Dómine, fámulis tuis fídei, spei, & caritátis augméntum; ut qui in nativitáte Fílii tui Dómini nostri gloriántur, & advérsa mundi te gubernánte non séntiant; & quæ temporáliter celebráre desíderant, sine fine percípiant; Per eúmdem Dóminum.

Fit Commemoratio de B. V. Maria ut in die 2. Januarii.

AD HORAS, *Añæ, Capitula & ℟. br. ut in Nativ.*

AD VESPERAS,

Añæ de II. Vesperis Nativitatis, p. 252.

Capitulum, Dedit. *suprà in Laud.*

Hymnus, A solis ortûs. 253.

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei nostri. *Ps.* 97.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Dóminum exercítuum sanctificáte; & erit vobis in sanctificatiónem; in lápidem autem offensiónis & in petram scándali duábus dómibus Israël. *Is.* 8.

Orat. Largíre, *suprà in Laud.*

COMPLETORIUM *ut in Nativitate, p.* 254.

Die XXIX. Decembris,
DE OCTAVA
Nativitatis D. N. J. C.
Semiduplex.

[¶ *Si est Dominica, totum Officium de Dominica suprà; & nona Lectio erit de S. Thoma Cantuar.*]

Ad Vigilias,
Invitat. Verbum, *p.* 254.
Hymnus, Christe, *p.* 242.
Novem Psalmi sub tribus Añis & ℣. Nativ. juxta Fer.

De Ezechiéle Prophéta.
Lectio j. *Cap.* 8. *v.* 6.

Dixit Dóminus ad me: Fili hóminis, putásne, vides tu quid isti fáciunt, abominatiónes magnas, quas domus Israël facit hîc, ut procul recédam à sanctuário meo? & adhuc convérsus vidébis abominatiónes majóres. Et introdúxit me ad óstium átrii: & vidi, & ecce forámen unum in paríete. Et dixit ad me: Fili hóminis, fode paríetem. Et cùm fodíssem paríetem, appáruit óstium unum. Et dixit ad me: Ingrédere, & vide abominatiónes péssimas, quas isti fáciunt hîc. Et ingréssus vidi; & ecce omnis similitúdo reptílium, & animálium, abominátio, & univérsa idóla domûs Israël depícta erant in paríete in circúitu per totum. Et septuagínta viri de senióribus domûs Israël, & Jezónias fílius Saphan stabat i médio eórum, stántium ant pictúras; & unusquísque ha bébat thuríbulum in man sua; & vapor nébulæ de thur consurgébat: Et dixit ad me Certè vides, fili hominis, qua senióres domûs Israël fáciun in ténebris, unusquísque i abscóndito cubículi sui; di cunt enim: Non videt Dóminus nos, derelíquit Dóminus terram. Et dixit ad me: Ergo & ego fáciam in furóre; non parcet óculus meus, nec miserébor: & cùm clamáverint ad aures meas voce magnâ, non exaúdiam eos.

℟. *j.* Sic Deus. *pag.* 246.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.
Lectio ij. *Serm.* 184. *n.* 2.

Natálem Dómini frequéntiâ & festivitáte debitâ celebrémus. Exsúltent viri, exsúltent féminæ: Christ vir est natus; & utérque xus est honorátus. Jam er ad secúndum hóminem trá seat, qui in primo fúerat da nátus. Mortem nobis persu serat fémina: vitam nobis p perit fémina. Nata est simil túdo carnis peccáti, quâ mu darétur caro peccáti. N ítaque caro culpétur; sed natúra vivat, culpa moriát quia sine culpa natus est, quo is qui in culpa fúerat, nascátur. Exsultáte púeri sa cti, qui Christum præcípuè

quǽrendum elegístis, qui conjúgia non quæsístis. Non ad vos per conjúgium venit, quem sequéndum invenístis; ut donáret vobis contémnere per quod venístis... Exúltent omnes Christiáni; Natális est Christi.

℟. ij. Benedixísti Dómine terram tuam, * Avertísti captivitátem Jacob, remisísti iniquitátem plebis tuæ. ℣. Véritas de terra orta est, & justítia de cælo prospéxit. * Avertísti. *Ps.* 84.

Intra Octavas, de Semiduplicibus fit tantùm Commemoratio.

Lectio iij. de S. Thoma Cantuar.
Ex Joan. Sarisb. Episc. Carnot.

Thomas Londíni Gilbérto & Mathílde paréntibus ortus, Litterárum stúdia interveniénte eórum morte intermíssa, Parísiis felíciter absólvit. Repetítâ deínde Angliâ públicis munéribus cum laude gestis, Archidiáconus Cantuariénsis, ac Regis Cancellárius creátus est. Mox Henríco ejus fílio instituéndo admótus, tum Theobáldo Cantuariénsi Epíscopo succéssor destinátus, repudiáto Cancellárii múnere ad severiórem disciplínam vitam cæpit exígere. Magnátum in se vehemens ódium concitávit, quòd opes Ecclésiæ quas inváserant, restitúere coëgísset. Henríco qui Epíscopos ad servándas regni consuetúdines júribus Ecclésiæ contrárias, sacraménto præstito volébat adígere, fórtiter réstitit. Ob eam rem sede dejéctus, Sénonas ad Alexándrum Papam se cóntulit, à quo cùm in ejus manus depósito ánnulo Episcopátu cédere vellet, in suo gradu consístere jussus, Abbáti Pontiniacénsi, tum mónachis sanctæ Colúmbæ ad Sénonas hospes cõmendátus est. Cantuáriam effúsâ populórum gratulatióne revérsus, ab Epíscopis, quos ob violáta Ecclésiæ jura à censúris sólvere recusábat, novis calúmniis appétitur. His Henrícus plus æquo tríbuens, cùm per unum Sacerdótem stare dixísset quóminus pace fruerétur, aúlici quátuor gratum se Regi factúros rati, trajécto mari, Thomam in Ecclésia aggrediúntur; qui flexis génibus se Deo, beátæ Maríæ, sanctis Ecclésiæ suæ Patrónis, & Mártyri Dionysio comméndans, caput ímpiis mánibus præcidéndum óbtulit anno Dómini millésimo centésimo septuagésimo. Henrícus tam atróci facínore percúlsus, tríduo ab omni ferè cibo abstínuit. Thomam miráculis insígnem Alexánder tértius sanctis adscrípsit.

℟. iij. Dómine qui habes

sanctam sciéntiam, manifésté tu scis quia cùm à morte possem liberári, duros córporis sustíneo labóres; secúndùm ánimam verò * Propter timórem tuum libénter hæc pátior. ℣. Magis élligens affligi, quàm temporális peccáti habére jucunditátem, * Propter. Glória. * Propter. 2. *Mach.* 6. *Hebr.* 11.

Te Deum.

℣. *sacerd.* Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus & illúxit nobis.

Cetera omnia ut in die Nat. præter ea quæ sequuntur.

Hymnus, A solis ortûs. *in II. Vesp. Nativ. p.* 253.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Jesus Christus heri, & hódie, ipse & in sécula. *Hebr.* 13.

Oratio, Concéde, *p.* 252.

Pro Commemoratione S. Thomæ, *Ant.* 7. a. Mélius mihi est absque ópere incídere in manus hóminum, quàm peccáre in conspéctu Dei. *Dan.* 13

℣. Gládium evaginavérunt peccatóres, ℟. Ut trucídent rectum corde. *Ps.* 36.

Oratio.

Deus, pro cujus Ecclésia gloriósus Póntifex Thomas gládiis impiórum occúbuit; præsta, quæsumus, ut omnes qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum; Per.

In Vesp. *ad* Magníficat, *Ant.* 6. F. Venit Fílius hóminis quærere & salvum fácere quod períerat.

Commemoratio de B. V. Maria, In me ancílla. *ut in die* 1 *Januarii.*

Die xxx Decembris, DE OCTAVA,

Semiduplex.

Omnia ut in die Nativ. ad Noct. Añæ & ℣. *juxta Feriam.*

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 9. *v.* 3.

Vocávit Dóminus virum qui indútus erat líneis, & atramentárium scriptóris habébat in lumbis suis. Et dixit Dóminus ad eum: Transi per médiam civitátem in médio Jerúsalem: & signa Thau super frontes virórum geméntium, & doléntium super cunctis abominatiónibus, quæ fiunt in médio ejus. Et illis dixit, audiénte me: Transíte per civitátem sequéntes eum, & percútite: non parcat óculus vester, neque misereámini. Senem, adolescéntulum, & vírginem, párvulum, & mulíeres interfícite usque ad interneciónem: omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidátis, & à sanctuário meo incípite. Cœpérunt ergo à viris senióribus, qui erant ante faciem domûs. Et dixit ad eos: Contamináte domum, & impléte

átria

cœpiſſet: & úndecim annis regnávit in Jerúſalem, & fecit malum in óculis Dómini, juxta ómnia quæ fécerat Jóakim, quóniam furor Dómini erat in Jerúſalem & in Juda úſquequo projíceret eos à fácie ſua. Et recéſſit Sedécias à rege Babylónis. Factum eſt autem in anno nono regni ejus, in menſe décimo, décimâ menſis, venit Nabuchodónoſor rex Babylónis, ipſe & omnis exércitus ejus advérsùs Jerúſalem, & obſedérunt eam... Menſe autem quarto, nonâ menſis obtínuit fames civitátem: & non erant aliménta pópulo terræ. Et dirúpta eſt cívitas, & omnes viri bellatóres ejus fugérunt, exieruntque de civitáte nocte per viam quæ ducit in erémum. Perſecútus eſt autem Chaldæórum exércitus regem: & apprehendérunt Sedéciam in deſérto, quod eſt juxta Jéricho: & omnis comitátus ejus diffúgit ab eo. Cúmque comprehendíſſent regem, adduxérunt eum ad regem Babylónis in Reblátha, quæ eſt in terra Emath: & locútus eſt ad eum judícia. Et jugulávit rex Babylónis filios Sedéciæ in óculis ejus: ſed & omnes príncipes Juda occídit in Reblátha. Et óculos Sedéciæ éruit, & vinxit eum compédibus, & addúxit eum rex Babylónis in Babylónem, & poſuit eum in domo cárceris uſque ad diem mortis ejus.

℟. ij. Væ cívitas ſánguinum, univérſa mendácii dilaceratióne plena; immundítia tua exſecrábilis; non recédet à te rapína. Ecce ego ad te, & oſténdam regnis ignomíniam tuam, & projíciam ſuper te abominatiónes tuas, & non relínquent in te lápidem ſuper lápidem; * Et ponam te in exémplum, & eris deſpécta. ℣. Omnis qui víderit te, resíliet à te, & dicet: Vaſtáta eſt Jerúſalem; * Et. *Nahum.* 3. *Ezech.* 24. & 33. *Luc.* 19.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio iij. *Cap.* 14.

IN illo témpore; Erat Paſcha & ázyma poſt bíduum, & quærébant ſummi Sacerdótes & Scribæ, quómodò Jeſum dolo tenérent & occíderent. Dicébant autem: Non in die feſto, ne fortè tumúltus fíeret in pópulo. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Preſbyteri.

Comment. in Marc.

QUi debúerant, Paſcha vicíno paráre víctimas, & ſecúndùm ritum legis purificári ut eſu agni digni fíerent, congregántur ineúntes consílium quómodò occí-

dant Dóminum, non timéntes seditiónem, sed cavéntes ne auxílio pópuli de suis mánibus tolleréntur. Et cùm esset Bethániæ, passúrus pro omni mundo, & univérsas natiónes suo sánguine redemptúrus, morátur in Bethánia in domo obediéntiæ.

℟. iij. Tu Dómine scis omne consílium eórum advérsùm me in mortem; * Ne propitiéris iniquitáti eórum. ℣. Confundántur qui quærunt ánimam meam; avertántur retrórsùm qui volunt mihi mala; * Ne. *Repet.* ℟. Tu Dómine. *Jer.* 18. *Ps.* 69.

Ad Benedictus, *Ant.* 3. c. Abiérunt discípuli Jesu, & venérunt in civitátem: & invenérunt sicut díxerat illis; & paravérunt Pascha. *Marc.* 14.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, da nobis ita Domínicæ Passiónis sacraménta perágere: ut indulgéntiam percípere mereámur; Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Ait Jesus: Amen dico vobis quia unus ex vobis tradet me, qui mandúcat mecum. At illi cœpérunt contristári. *Marc.* 14

Oratio.

TUa nos misericórdia, Deus, & ab omni subreptióne vetustátis expúrget, & capáces sanctæ novitátis effi-ciat; Per Dóminum nostr[...]

FERIA QUART[...]

De Jeremía Prophét[...]

Lectio j. *Cap.* 52. *v.* [...]

IN mense quinto, déc[...] mensis, ipse est annu[...]nus décimus Nabuchod[...]sor regis Babylónis; venit N[...]buzárdan princeps milí[...] qui stabat coram rege B[...]lónis in Jerúsalem. Et in[...]dit domum Dómini, & d[...]mum regis, & omnes d[...] Jerúsalem, & omnem do[...] magnam igni combússit[...] totum murum Jerúsalem[...] circúitum destrúxit cu[...] exércitus Chaldæórum[...] erat cum magístro milí[...] paupéribus autem pópul[...] de réliquo vulgo, quod [...] mánserat in civitáte, & [...] pérfugis, qui transfúge[...] ad regem Babylónis, & c[...]ros de multitúdine, tráns[...] Nabuzárdan princeps milí[...] De paupéribus verò terr[...]líquit Nabuzárdan prin[...] milítiæ vinitóres, & ag[...]las. Colúmnas quoque æ[...] quæ erant in domo Dómi[...] bases, & mare æneum q[...] erat in domo Dómini c[...] fregérunt Chaldæi, & [...]runt omne æs eórum in B[...]lónem. Et lebétes, & c[...]gras, & psaltéria, & phi[...] & mortaríola, & ómnia [...] ærea, quæ in ministério [...]rant, tulérunt: & hydr[...]

thymiamatéria, & úrceos, pelves, & candelábra, & mortária, & cyathos: quotquot aúrea, aúrea: & quotquot argéntea, argéntea; tulit magíster milítiæ: & colúmnas duas, & mare unum, & vítulos duódecim æreos, qui erant sub básibus, quas fécerat rex Sálomon in domo Dómini: non erat pondus æris omnium horum vasórum.

℟. j. Horréndum est. p. 288

Lectio ij.

ET tulit magíster milítiæ Saráïam sacerdótem primum, & Sophóniam sacerdótem secúndum, & tres custódes vestíbuli. Et de civitáte tulit eunúchum unum, qui erat præpósitus super viros bellatóres: & septem viros de his, qui vidébant fáciem regis, qui invénti sunt in civitáte: & scribam príncipem mílitum, qui probábat tyrónes: & sexagínta viros de pópulo terræ, qui invénti sunt in médio civitátis. Tulit autem eos Nabuzárdan magíster milítiæ, & duxit eos ad regem Babylónis in Reblátha. Et percússit eos rex Babylónis, & interfécit eos in Reblátha in terra Emath: & translátus est Juda de terra sua... Omnes ergo ánimæ, quátuor míllia sexcéntæ. Et factum est in trigésimo séptimo anno transmigratiónis Jóachin regis Juda, duodécimo mense vigésimâ-quintâ mensis, elevávit Evilmérodach rex Babylónis ipso anno regni sui caput Jóachin regis Juda, & edúxit eum de domo cárceris... Et cibária perpétua dabántur ei à rege Babylónis statúta per síngulos dies, usque ad diem mortis suæ cunctis diébus vitæ ejus.

℟. ij. Væ cívitas sánguinum. *ut heri.*

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. *Cap. 22.*

IN illo témpore; Appropinquábat dies festus azymórum, qui dícitur Pascha: & quærébant príncipes sacerdótum & scribæ, quómodò Jesum interfícerent: timébant verò plebem. Intrávit autem sátanas in Judam, qui cognominabátur Iscariótes, unum de duódecim. Et ábiit, & locútus est cum princípibus sacerdótum, & magistrátibus, quemádmodum illum tráderet eis. Et gavísi sunt, & pacti sunt pecúniam illi dare. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Comment. in Lucam.

DIem azymórum quartâ décimam primi mensis appéllat, quando ferménto abjécto Pascha, id est agnus occídi consuéverat ad vésperam; quod expónens

Apóstolus ait: Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. Hoc étenim Pascha tunc necésse erat occídi, hoc est, patérno consílio ac definitióne sancítum. Qui licèt die sequénte, hoc est, quartâ-décimâ lunâ sit crucifíxus, hac tamen nocte quâ agnus immolabátur, & Carnis Sanguiníſque sui Discípulis trádidit mystéria celebránda, & à Judæis tentus ac ligátus, ipsíus immolatiónis, hoc est Passiónis suæ sacrávit exórdium; ait illis: Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobíscum ántequàm pátiar. Desíderat primò typicum Pascha cum discípulis manducáre, & sic Passiónis suæ mundo mystéria declaráre; quátenus & antíqui, legalísque Paschæ probátor exístat; & hoc ad suæ dispensatiónis figúram pertinuísse docéndo, carnáliter ultrà vetet exhibéri; immò umbrâ transeúnte, veri jam Paschæ lumen advenísse demónstret.

℟. iij. Appendérunt mercédem meam trigínta argénteos; * Decórum prétium quo appretiátus sum ab eis, dixit Dóminus. ℣. Ait Judas: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituérunt ei trigínta argénteos, * Decórum. ℟. Appendérunt. *Zachar.* 11. *Matth.* 26.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. g. Quærébat Judas opportunitátem ut tráderet illum sine turbis. *Luc.* 22.

Oratio.

Pietátem tuam súpplices exorámus, omnípotens Deus; ut sic nos à peccátis emácules, & jejuniórum nostrórum vota suscípias, ut cras ad sacratíssimæ Cœnæ convívium nos introdúcere dignéris; Per Dóminum.

FERIA QUINTA

In Cæna Domini,

AD I. VESPERAS,

Ant. 1. D. Dixit Dóminus ad Móysen & Aaron in terra Ægypti: Mensis iste vobis princípiũ ménsiũ; primus erit in ménsibus anni. *Exod.* 12.

Ant. 4. b. Loquímini ad univérsum cœtum filiórum Isráël, & dícite eis: Décimâ die mensis hujus tollat unusquísque agnum per famílias & domos suas. *Ibid.*

Ant. 4. A. Erit autem agnus absque mácula, másculus, anniculus, juxta quem ritum tollétis & hœdum. *Ibid.*

Ant. 8. G. Et servábitis eũ usque ad quartam-décimam diem mensis hujus. *Ibid.*

Ant. 2. to. Immolabítque eum univérsa multitúdo filiórum Israël ad vésperam. *Ibid.*

Capitulum. *Hebr.* 11. 28.

Fide Móyses celebrávit Pascha, & sánguinis effusió-

...m: ne qui vastábat primi...ra, tángeret eos.

Hymnus, Vexílla. p. 252.

℣. Filii tui, sicut novéllæ olivárum, ℟. In circúitu men...æ tuæ. Ps. 127.

Ad Magníficat, Ant. 6. F. Dico vobis quóniã quod scriptum est, opórtet impléri in me; étenim ea quæ sunt de me, finem habent. Luc. 22.

Non dicuntur Preces.

Oratio, Cleméntiam. ut in...ad Laudes Matutinas.

COMPLETORIUM, ut in Psal...io. Hymnus, Christe qui ... Ibid.

Tribus his diebus, omissis ...mine labia, Deus in adjuto...ium, & Gloria Patri, incipi...r absolutè Officium ab Anti...hona primi Psalmi; nec dicitur ...loria Patri in fine Psalmorum ... Respons. Neque dicuntur ...pitula, nec Hymni, neque ...brevia, neque ℣. sacerdotalis.

IN I. NOCT.

Ant. 1. a. Scitis quia post ...iduum Pascha fiet, & Filius ...óminis tradétur, ut crucifi...átur. Matth. 26.

Ant. 2. to. Tempus meum ...rope est: Eúntes paráte no...is Pascha, ut manducémus. ...atth. 26. Luc. 22.

Ant. 4. b. Desidério desi...erávi hoc Pascha manducáre ...obíscum, ántequàm pátiar. ...uc. 22.

℣. Cùm dilexíſſet suos qui erant in mundo, ℟. In finem diléxit eos. Joan. 13.

Hoc triduo post Versiculum Nocturni cujusque dicitur secretò Pater noster, nec pronuntiatur, Et ne nos; neque dantur Benedictiones ante Lectiones. In fine Lectionum non dicitur Tu autem: sed primæ tres Lectiones Jeremiæ terminantur ut infrà.

Lectio j. Cap. 1. Thren.

Incipit Lamentátio Jeremíæ Prophétæ.

QUómodò sedet sola, cívitas plena pópulo? facta est quasi vídua dómina Géntium: princeps provinciárum facta est sub tribúto. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non est qui consolétur eam ex ómnibus caris ejus. Omnes amíci ejus sprevérunt eam, & facti sunt ei inimíci. Migrávit Judas propter afflictiónem, & multitúdinem servitútis: habitávit inter Gentes, nec invénit réquiem. Omnes persecutóres ejus apprehendérunt eam inter angústias. Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui véniant ad solemnitátẽ. Omnes portæ ejus destrúctæ: sacerdótes ejus geméntes: vírgines ejus squálidæ; & ipsa oppréssa amaritúdine. Facti sunt hostes ejus in cápite, inimíci ejus locupletáti sunt:

[illegible]

Lectio ii.

[illegible] Sion [illegible] eius. [illegible] anguftias [illegible] & [illegible] Recordata est Ierusalem dierum [illegible] & praevarica-[illegible] desiderabilium [illegible] quae habuerat a die-[illegible] antiquis, cum caderet [illegible] in manu hostili, & non esset auxiliator: vide-[illegible] & deriserunt [illegible] Peccatum pec-[illegible] propterea [illegible] facta est. Omnes, [illegible] glorificabant eam, spre-[illegible] illam, quia viderunt [illegible] ipsa autem gemens conversa est retror-sum. Sordes eius in pedibus eius,

[illegible] recordata est [illegible] vehem[illegible] Domine [illegible] quoniam [illegible] Ierusalem, Ier[illegible] convertere ad Domin[illegible]

[illegible] Procidit Iesus [illegible] orans, & di[illegible] Pater mi, si possibile [illegible] transeat calix iste a [illegible] Verumtamen * Non [illegible] vo[illegible], sed [illegible] V. [illegible] [illegible] et faciam voluntatem [illegible]

* Non [illegible] Matth. 26. Mar[illegible] Luc. 22. Ps. 39.

Lectio iii.

MAnum suam misit ho[illegible] ad omnia desiderab[illegible] eius: quia vidit Gentes ingr[illegible] sanctuarium suum, de q[illegible] bus praeceperas ne intra[illegible] in ecclesiam tuam. Omnis p[illegible] pulus eius gemens, & q[illegible] rens panem: dederunt pre[illegible] [illegible] quaeque pro cibo ad[illegible] [illegible] animam. Vide D[illegible] mine & considera, quoni[illegible] facta sum vilis. O vos omn[illegible] qui transitis per viam, att[illegible] dite, & videte si est dolor [illegible] cut dolor meus: quoniam vi[illegible] demiavit me, ut locutus [illegible] Dominus in die irae furo[illegible] sui. De excelso misit ign[illegible] in ossibus meis, & erudiv[illegible] me: expandit rete pedib[illegible] meis, convertit me retror[illegible]

olátam,
féctam.
uitátum
us con-
sitæ col-
t virtus
ninus in
ero súr-
rúsalem
m Deū

exspe-
niséria:
ntrista-
conso-
℣. Quid
tis unâ
. * Su-
um. *Ps.*
6.
r.
ie Azy-
discípuli
Ubi vis
ere Pas-
tuit illis
Pascha.
discum-
n discípu-
.
ntibus au-
ius panem,
git, dedít-
is, & ait:
nédite: hoc
n. *Ibid.*
ccípiens cá-
it; & dedit
ite ex hoc
um Sanguis

meus novi Testaménti, qui pro multis effundétur in remissiónem peccatórum. *Ibid.*

℣. Diléxit nos, & lavit nos à peccátis nostris ℟. In sanguine suo. *Apoc.* 1.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. *Cap.* 11. 17.

HOc præcípio, non laudans, quòd non in mélius, sed in detérius convenítis. Primùm quidem conveniéntibus vobis in Ecclésiam, áudio scissúras esse inter vos, & ex parte credo. Nam opórtet & hæreses esse, ut & qui probáti sunt, manifésti fiant in vobis. Conveniéntibus ergo vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suā cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit; álius autem ébrius est. Númquid domos non habétis ad manducándum & bibéndū? aut Ecclésiam Dei contémnitis, & confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℟. *iv.* Melchísedec prótulit panem & vinum; erat enim sacérdos Dei altíssimi. Tu es * Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedec: ℣. Accépit Jesus panem; & benedícens fregit: & accépto cálice, grátias agens, dedit eis * Sacérd. *Gen.* 4. *Ps.* 109. *Marc.* 14.

quia Dóminus locútus est super eam propter multitúdinem iniquitátum ejus: párvuli ejus ducti sunt in captivitátem ante fáciem tribulántis. Jerúsalem, Jerúsalem convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. j. Turbátus est Jesus spíritu, & protestátus est, & dixit: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me; * Ecce manus tradéntis me mecum est in mensa. ℣. Qui mandúcat mecum panem, levábit contra me calcáneum suum; * Ecce. *Joan.* 13. *Luc.* 22. *Ps.* 40.

Lectio ij.

ET egréssus est à fília Sion omnis decor ejus: facti sunt príncipes ejus velut aríetes non inveniéntes páscua: & abiérunt absque fortitúdine ante fáciem subsequéntis. Recordáta est Jerúsalem diérum afflictiónis suæ, & prævaricatiónis ómnium desiderabíliũ suórum, quæ habúerat à diébus antíquis, cùm cáderet pópulus ejus in manu hostíli, & non esset auxiliátor: vidérunt eam hostes, & derisérunt sábbata ejus. Peccátum peccávit Jerúsalem, proptéreà instábilis facta est. Omnes, qui glorificábant eam, sprevérunt illam, quia vidérunt ignomíniam ejus; ipsa autem gemens convérsa est retrórsum. Sordes ejus in pédibus ejus, nec recordáta est finis sui: depósita est veheménter, non habens consolatórem. Vide Dómine afflictiónẽ meam, quóniam eréctus est inimícus. Jerúsalem, Jerúsalem convértere ad Dóminum Deũ tuum.

℟. ij. Prócidit Jesus in fáciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possíbile est, transfer cálicem istum à me; verúmtamen * Non sicut ego volo, sed sicut tu. ℣. In cápite libri scriptum est de me, ut fáciam voluntátem tuam. * Non. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Ps.* 39.

Lectio iij.

MAnum suam misit hostis ad ómnia desiderabília ejus: quia vidit Gentes ingréssas sanctuárium suum, de quibus præcéperas ne intrárent in ecclésiam tuam. Omnis pópulus ejus gemens, & quærens panem: dedérunt pretiósa quæque pro cibo ad refocillándam ánimam. Vide Dómine & consídera, quóniam facta sum vilis. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, & vidéte si est dolor sicut dolor meus: quóniam vindemiávit me, ut locútus est Dóminus in die iræ furóris sui. De excélso misit ignem in óssibus meis, & erudívit me: expándit rete pédibus meis, convértit me retrór-

: pósuit me desolátam,
die mœróre conféctam.
ilávit jugum iniquitátum
rum : in manu ejus con-
tæ sunt, & impósitæ col-
meo: infirmáta est virtus
: dedit me Dóminus in
nu, de qua non pótero súr-
re. Jerúsalem, Jerúsalem
vértere ad Dóminum Deũ
m.

℟. iij. Impropérium exspe-
it cor meum, & misériã:
sinui qui simul contrista-
& non fuit; qui conso-
r, & non invéni. ℣. Quid
itis? non potuístis unâ
vigiláre mecum. * Su-
i. ℟. Impropérium. *Ps.*
c. 22. *Matth.* 26.

IN II. NOCT.

a. Primâ die Azy-
rum accessérunt discípuli
sum, dicéntes: Ubi vis
mus tibi comédere Pas-
Et sicut constítuit illis
, paravérunt Pascha.
ere autem facto discum-
cum duódecim discípu-
is. *Matth.* 26.

℟. 5. a. Cœnántibus au-
is accépit Jesus panem,
nedíxit ac fregit, dedít-
discípulis suis, & ait:
pite & comédite: hoc
rpus meum. *Ibid.*

. 5. a. Accípiens cá-
, grátias egit; & dedit
dicens: Bíbite ex hoc
s; hic est enim Sanguis
meus novi Testaménti, qui pro multis effundétur in remissiónem peccatórum. *Ibid.*

℣. Diléxit nos, & lavit nos à peccátis nostris ℟. In sanguine suo. *Apoc.* 1.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. *Cap.* 11. 17.

HOc præcípio, non laudans, quòd non in mélius, sed in detérius convenítis. Primùm quidem conveniéntibus vobis in Ecclésiam, áudio scissúras esse inter vos, & ex parte credo. Nam opórtet & hæreses esse, ut & qui probáti sunt, manifésti fiant in vobis. Conveniéntibus ergo vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suã cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit; álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum & bibéndũ? aut Ecclésiam Dei contémnitis, & confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℟. iv. Melchísedec prótulit panem & vinum; erat enim sacérdos Dei altíssimi. Tu es * Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedec: ℣. Accépit Jesus panem; & benedícens fregit: & accépto cálice, grátias agens, dedit eis * Sacérd. *Gen.* 4. *Ps.* 109. *Marc.* 14.

Lectio v.

EGo enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens fregit, & dixit: Accípite & manducáte: hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter & cálicem, postquàm cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntū est in meo Sánguine: hoc fácite quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis; mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. *v.* Accépit Jesus cálicem postquàm cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine; * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memóriâ memor ero, & tabéscet in me ánima mea: * Hoc. *Luc.* 23. *Thren.* 3.

Lectio vj.

ITaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígnè, reus erit Córporis & Sánguinis Dómini. Probet autem seipsum homo; & sic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat & bibit indígnè, judícium sibi mandúcat & bibit, non dijúdicans Corpus Dómini: Ideo inter vos multi infírmi & imbecílles, & dórmiunt multi. Quòd si nosmetípsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, à Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque fratres mei, cum convenítis ad manducándum, ínvicem expectáte. Si quis ésurit, domi mandúcet: ut non in judícium conveniátis. Cétera autē cùm vénero, dispónam.

℟. *vj.* Accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspérsi corda à consciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ, offérre hóstias acceptábiles Deo. * Vosmetípsos tentáte si estis in fide; perfécti estóte; ipsi vos probáte. ℣. Qui enim mandúcat & bibit indígnè, judícium sibi mandúcat & bibit. * Vosmetípsos. *Repet.* ℟. Accedámus. *Petr.* 10. 1. *Petr.* 2. 1. *Cor.* 11.

IN III. NOCT.

Ant. 8. G. Sciens Jesus quia venit hora ejus ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem, cœpit laváre pedes discipulórum suórum. *Joan.* 13.

Ant. 2. *to.* Postquàm lavit pedes eórum, cùm recubuísset íterum, dixit eis: Scitis quid fécerim vobis? *Ibidem.*

Ant. 3. c. Si ergo lavi pedes vestros Dóminus & Magíster; & vos debétis alter

altérius laváre pedes. *Ibid.*

℣. Exémplum dedi vobis ;

℟. Ut quemádmodũ ego feci vobis, ita & vos faciátis. *Ibid.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem,

Lectio vij. *Cap.* 13.

ANte diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem, surgit à cœna, & ponit vestiménta sua : & cùm accepísset línteũ, præcínxit se. Deinde mittit aquam in pelvim ; & cœpit laváre pedes discipulórum, & extérgere línteo, quo erat præcínctus. Venit ergo ad Simónem Petrum. Dicit ei Petrus : Non lavábis mihi pedes in ætérnum. Respóndit ei Jesus : Si non lávero te, non habébis partem mecum. Qui lotus est, non índiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et réliqua.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Cap. 21. *&* 22.

SUstulit me Angelus in spíritu in montem magnum & altum, & osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendéntem de cœlo à Deo... Et murus civitátis habens fundaménta duódecim, & in ipsis duódecim nómina duódecim Apostolórum Agni...Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens & mendácium. Et osténdit mihi flúvium aquæ vitæ, spléndidum tamquam crystállum, procedéntem de sede Dei & Agni...Et dicit mihi : Qui justus est, justificétur adhuc ; & sanctus sanctificétur adhuc. Beáti qui lavant stolas suas in sánguine Agni : ut sit potéstas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in Civitátem. Foris canes, & venéfici, & impudíci, & homicídæ, & idólis serviéntes, & omnis qui amat & facit mendácium.

℟. *vij.* Lavámini, mundi estóte ; auférte malum cogitatiónum vestrárum : vos mundi estis ; sed non omnes ; sciébat enim Jesus quisnam esset qui tráderet eum : * Qui lotus est, non índiget, nisi ut pedes lavet ℣. Si non lávero te, non habébis partem mecum ; * Qui. *Isai.* 1. *Joan.* 13.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio viij. *Cap.* 10.

UMbram enim habens lex futurórum bonórum, non ipsam imáginem rerum : per síngulos annos eísdem ipsis hóstiis, quas ófferunt indesinénter, numquam potest accedéntes perféctos fácere : alióquin cessássent offérri : ídeò quod nullam habérent ultrà consciéntiam peccáti, cultóres semel mundáti : sed

in ipsis commemorátio peccatórum per singulos annos fit. Imposíbile enim est sánguine taurórum & hircórum auferri peccáta. Ideo ingrédiens mundum dicit : Hóstiam, & oblatiónem noluísti ; corpus autem aptásti mihi : Holocautómata pro peccáto non tibi placuérunt ; tunc dixi : Ecce vénio ; in cápite libri scriptum est de me : Ut fáciam, Deus, voluntátem tuam... In qua voluntáte sanctificáti sumus per oblatiónem córporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem sacérdos præsto est quotídie minístrans, & eásdem sæpè ófferens hóstias, quæ numquam possunt auférre peccáta ; hic autem unam pro peccátis ófferens hóstiam, in sempitérnum sedet in déxtera Dei, de cétero exspéctans donec ponántur inimíci ejus scabéllum pedum ejus. Unâ enim oblatióne, consummávit in sempitérnum sanctificátos.

℟. *viij.* Filii Israël immolavérunt víctimas; Móyses verò sumptum sánguinem respérsit in pópulum, & aït : Hic est sanguis fœderis * Quod pépigit Dóminus vobíscum. ℣. Cœnántibus discípulis dixit Jesus : Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradétur ; hic est sanguis meus novi Testaménti * Quod. *Exod.* 24.

Matth. 26. *Luc.* 22.

Lectio ix.

Contestátur autem nos & Spíritus sanctus. Postquàm enim dixit : Hoc autem testaméntum quod testábor ad illos post dies illos, dicit Dóminus : Dando leges meas in córdibus eórum, & in méntibus eórum superscríbam eas : & peccatórum & iniquitátum eórum jam non recordábor ámpliùs. Ubi autem horum remíssio, jam non est oblátio pro peccáto. Habéntes itaque fratres fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, & vivéntem, per velámen, id est, carnem suam, & sacerdótem magnum super domum Dei, accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei, aspérsi corda à consciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ, teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit) Et considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis, & bonórum óperum ... Voluntáriè enim peccántibus nobis post accéptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia ; terríbilis autem quædam exspectátio judícii, & ignis æmulátio, quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, si-

ne ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur: quantò magis putátis deterióra meréri supplícia qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testaménti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, & spirítui grátiæ contuméliam fécerit?

℟. ix. Partícipes Christi effécti sumus; *Vidéte ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis discedéndi à Deo vivo. ℣. Quanta putátis meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testaménti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est? * Vidéte. *Hebr.* 3. & 10. *Rep.* ℟. Partícipes.

AD LAUD. MATUT.

Incipiuntur absolutè ab

Ant. 1. a. PAter mi, si non potest hic calix transíre, nisi bibam illum; fiat volúntas tua. *Matth.* 26.

Ant. 2. Vigiláte & oráte, ut non intrétis in tentatiónē: spíritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Ibid.*

Ant. 3. b. Ut dixit Jesus: Ego sum, abiérunt retrórsum & cecidérunt; íterum respóndit Jesus: Ego sum; si me quæritis, sínite hos abíre. *Joan.* 18.

Ant. 4. e. Cálicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? quómodò ergo implebúntur Scriptúræ, quia sic opórtet fieri? *Joan.* 18. & *Matth.* 26.

Ant. 5. a. Convérte gládium tuum in locum suum; omnes enim qui accéperint gládium, gládio períbunt. *Matth.* 26.

℣. Homo pacis meæ, in quo sperávi; ℟. Qui edébat pánes meos, magnificávit super me supplantatiónē. *Ps.* 40.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. g. Appáruit Jesu Angelus de cælo, confórtans eum. Et factus in agónia, prolíxiùs orábat. *Luc.* 22.

Interim dum dicitur Canticum Benedictus, *exstinguuntur omnes candelæ, lampades, & luminaria per Ecclesiam, Repetitâ Añâ post* Benedictus; *per pueros albarum in majori Ecclesia dumtaxat, in aliis verò Ecclésiis per alium à Sacerdote constitutum dicuntur genuflexis omnibus sequentes*

TROPI,

KYrie eléison. *ter.*

℣. Qui passúrus advenísti propter nos, Dómine miserére nostri. 1. *Petr.* 2. *Math.* c. 20.

Chorus, Christus Dóminus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem. *Philip.* 2. *Et sic repetitur à Choro post singulos versus hoc triduo.*

Christe eléison. *iij.*

℣. Qui à Juda ósculo tráditus, dixísti; Amíce ad quid

venísti? Dómine miserére nostri. *Luc.* 22. *Matth.* 20.

Kyrie eléison. *iij.*

℣. Qui vinctus, Piláto tráditus, víncula nostra dirupísti, Dómine miserére nostri. *Matth.* 27. *Ps.* 115. *Matth.* 20.

Kyrie eléison. *iij.*

℣. Qui percússus à Deo & humiliátus, dolóres nostros ipse portásti, Dómine miserére nostri. *Is.* 53. *Matth.* 20.

Chorus, Christus Dóminus factus est pro nobis obédiens, *Hebdomad.* usque ad mortem.

Et continuò dicitur in directum mediocri voce Psalmus 50. Miserére meî Deus. *p.* cxxij. *Quo finito dicitur sine Oremus simili voce flexis genibus*

Oratio.

CLeméntiam tuam súpplices exorámus, omnípotens Deus; ut sic nos à peccátis emácules, ut rédditâ nobis stolâ primâ, ad sacratíssimæ Cœnæ convívium nos admíttere dignéris; *Quod sequitur, dicitur sub silentio*, Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum, *&c.*

Finitâ Oratione, Prælatus seu Sacerdos ter percutit aliquantum, & omnes cum silentio discedunt.

AD HORAS, *absolutè inchoatur à Psalmis qui dicuntur planè sive in directum sine* *Antiphona.*

Ad Primam, dicitur ℟. *j. de I. Noct. p.* 294.

Deinde Versiculus, Exsúrge Dómine, ádjuva nos, ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. *Qui Versiculus dicitur his tribus diebus ad Primam.*

Subjungitur Psalmus 50. Miserére. *p.* cxxij. *sine Dominus vobiscum & sine Oremus dicitur*

Oratio, Cleméntiam, *suprà.*

Hoc triduo non legitur Martyrologium, nec ℣. *Pretiosa: sed leguntur Canones.*

Ad Tertiam ℟. Accépit Jesus. *in* 2. *Noct. p.* 296.

Versiculus, Cálicem salutáris accípiam, ℟. Et nomen Dómini invocábo. *Ps.* 115.

Oratio, Cleméntiam. *suprà.*

Ad Sextam ℟. Prócidit Jesus. *in I. Noct. p.* 294.

Versiculus, Trádidit in mortem ánimam suam, ℟. Et cum sceleratis reputátus est. *Is.* 53.

Oratio, Cleméntiam. *suprà.*

Ad Nonam ℟. Accedámus. *ut in II. Noct. p.* 296.

Versiculus, Verè languóres nostros ipse tulit, ℟. Et dolóres nostros ipse portávit. *Isai.* 53.

Oratio, Cleméntiam. *suprà.*

VESPERÆ *inchoantur absolutè à prima Ant.* 4. A.

FActus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurrén-

tis in terram. *Luc.* 22.

Ant. 8. G. Súrgite, eámus: ecce qui me tradet, propè est. *Marc.* 14.

Ant. 1. f. Conclúsit me Deus apud iníquum, & mánibus impiórum me trádidit. *Job.* 16

Ant. 2. 10. Quasi rupto muro, & apértâ jánuâ, irruérunt super me, & ad meas misérias devolúti sunt. *Job.* 30.

Ant. 3. g. Necessárii mei recessérunt à me, sicut torrens qui raptim transit in convállibus. *Job.* 6.

℣. Dabit percutiénti se maxíllam; ℟. Saturábitur oppróbriis. *Thren.* 3.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Spíritus oris nostri Christus Dóminus captus est in peccátis nostris. *Thren.* 4.

Deinde dicitur Psalmus 50. Miserére: *quo finito dicitur sine Oremus,*

Oratio.

RÉspice, quæsumus Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis subíre torméntum; Qui tecum.

COMPLETORIUM *absolutè incipitur à Psalmis altâ voce in directum: quibus finitis continuò dicitur* Nunc dimíttis, *deinde Ps.* Miserére, *& Oratio* Réspice, *ut suprà.*

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Officium fit eodem ritu quo heri, exceptâ Missâ.

IN I. NOCT.

Ant. 8. G. Lavábit in vino stolam suam, & in sánguine uvæ pállium suum. *Gen.* 49.

Ant. 8. G. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & quasi agnus coram tondénte se obmutéscet. *Is.* 53.

Ant. 8. G. Christus semel oblátus est ad multórum exhauriénda peccáta. *Hebr.* 9.

℣. Deus Israël, propter te sustínui oppróbrium, ℟. Opéruit confúsio fáciem meam. *Ps.* 68.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 2.

COgitávit Dóminus dissipáre murum fíliæ Sion: teténdit funículum suum, & non avértit manum suam à perditióne: luxítque antemurále, & murus páriter dissipátus est. Defixæ sunt in terra portæ ejus: pérdidit & contrívit vectes ejus: regem ejus & príncipes ejus in Géntibus. Non est lex; & prophétæ ejus non invenérunt visiónem à Dómino. Sedérunt in terra, conticuérunt senes fíliæ Sion: conspersérunt cínere cápita sua, accíncti sunt cilíciis, abjecérunt in terram cápita sua vírgines Jerúsalem. Defecé-

runt præ lácrymis óculi mei, conturbáta sunt víscera mea: effúsum est in terra jecur meum super contritióne filiæ pópuli mei, cùm deficeret párvulus & lactens in platéis óppidi. Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℞. j. Príncipes sacerdótum & omne concílium quærébant falsum testimónium contra Jesum, ut eum morti tráderent: & quidam surgéntes falsum testimónium ferébant advérsùs eum; * Et non conveniéntia testimónia non erant ℣. Insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi;* Et. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Ps.* 26.

Lectio ij.

MAtribus suis dixérunt: Ubi est tríticum & vinum? cùm defícerent quasi vulneráti in platéis civitátis, cùm exhalárent ánimas suas in sinu matrum suárum. Cúi comparábo te? vel cúi assimilábo te, filia Jerúsalem? cúi exæquábo te, & consolábor te, virgo filia Sion? magna est enim velut mare contrítio tua; quis medébitur tuî? Prophétæ tui vidérunt tibi falsa & stulta, nec aperiébant iniquitátem tuam, ut te ad pœniténtiam provocárent: vidérunt autem tibi assumptiónes falsas, & ejectiónes. Plausérunt super te mánibus omnes transeúntes per viam: sibilavérunt, & movérunt caput suum super filiam Jerúsalem: Hæccine est urbs, dicéntes, perfécti decóris, gaúdium univérsæ terræ? Jerúsalem, Jerúsalem convértere ad Dóminum Deum tuum.

℞. ij. Exspuérunt in fáciem Jesu, & velavérunt eum, palmas in fáciem ejus dedérunt, * Dicéntes, Prophetíza nobis, quis est qui te percússit? ℣. Aperuérunt super me ora sua, & exprobrántes percussérunt maxíllam meam, * Dicéntes. *Matth.* 26. *Luc.* 22. *Job.* 16.

Lectio iij. *Cap.* 3.

EGo vir videns paupertátem meam in virga indignatiónis ejus. Me minávit, & addúxit in ténebras, & non in lucem. Tantùm in me vertit, & convértit manum suam totâ die. Vetústam fecit pellem meam, & carnem meam, contrívit ossa mea. Ædificávit in gyro meo, & circúmdedit me felle, & labóre. In tenebrósis collocávit me, quasi mórtuos sempitérnos. Circumædificávit advérsùm me, ut non egrédiar: aggrávit cómpedem meum. Sed & cum clamávero, & rogávero, exclúsit oratiónem meam. Conclúsit vias meas lapídibus quadris, sémitas meas subvértit. Jerúsalem,

Jerúsalem convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. iij. Dicébant Petro, Verè ex illis es; * Ille autem cœpit anathematizáre, & juráre, Quia néscio hóminem istum quem dícitis ℣. Inquilíni domûs meæ sicut aliénum habuérunt me; & quasi peregrínus fui in óculis eórum. * Ille. ℟. Dicébant. *Marc.* 14. *Job.* 19.

IN II. NOCT

Ant. 2. to. Manè facto consílium iniérunt ut Jesum morti tráderent: & vinctum tradidérunt Póntio Piláto præsidi. *Matth.* 27.

Ant. 3. a. Interrogávit eum Pilátus: Tu es Rex Judæórum? At ille respóndens, ait illi: Tu dicis. *Marc.* 15.

Ant. 1. f. Accusábant eum summi Sacerdótes in multis. Jesus autem nihil respóndit, ita ut mirarétur Pilátus. *Ibid.*

℣. Factus sicut homo non áudiens, ℟. Et non habens in ore suo redargutiónes. *Ps.* 37.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos.

Lectio iv. In Ps. 21. *Enarr.* 2.

PAssio Dómini, sicut scimus, semel facta est; semel enim Christus mórtuus est, justus pro injústis. Tamen ne obliviscámur quod factum est semel, in memória nostra omni anno fit. Quóties Pascha celebrátur, numquid tóties Christus móritur? Sed tamen anniversária recordátio quasi repræséntat quod olim factum est; & sic nos facit movéri, tamquam videámus in cruce pendéntem Dóminum; non tamen irridéntes, sed credéntes; pendens enim in ligno irrísus est, sedens in cœlo adorátur. An fortè adhuc irridétur, & jam non est irascéndum Judæis, qui moriéntem derisérunt? Et quis est qui Christum adhuc irrídeat? útinam unus esset, útinam duo, útinam numerári possent! Tota pálea áreæ ipsíus irrídet eum, & gemit tríticum irridéri Dóminum. Hoc volo gémere vobíscum; tempus enim est lugéndi. Pássio Dómini celebrátur: tempus geméndi est, tempus flendi, tempus confiténdi & deprecándi. Et quis nostrûm est idóneus ad effundéndas lácrymas pro dignitáte dolóris tanti?

℟. v. Quem vultis dimíttam vobis, Barábbam, an Jesum? at illi dixérunt: Barábbam. Quid ígitur fáciam de Jesu? * Dicunt omnes, Crucifigátur. ℣. Exacuérunt ut gládium linguas suas; firmavérunt sibi sermónem nequã: * Dicunt. *Matth.* 26. *Ps.* 63.

Lectio v.

VIdéte quanta passus est. Jam ut dicámus Passió-

nem, & ad illam majóri gémitu veniámus; vidéte quanta modò pátitur, & deínde vidéte quare. Quis enim fructus? Ecce, speravérunt patres nostri, & éruti sunt de terra Ægypti. Dóminus autē flagellabátur, & nemo subveniébat; sputis deturpabátur, & nemo subveniébat; cólaphis cædebátur, & nemo subveniébat; spinis coronabátur, & nemo subveniébat; levabátur in ligno, nemo éruit. Clamat: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquísti? Non subvenítur.

℟. v. Mílites plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus, & arúndinem in déxtera ejus, & veste purpúreâ circūdedérunt eum, & dabant ei álapas, & conspuébant eum, * Dicéntes: Ave Rex Judæórum. ℣. Corpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas velléntibus; fáciem meam non avérti ab his qui conspuébant in me, * Dicéntes. *Matth.* 27. *Joan.* 19. *Is.* 50.

Lectio vj.

August. De Symbolo ad Catechum. l. 2. c. 6.

SEd numquid quia Dóminus acquisívit latrónem, Petrum pródidit negatórem? Absit, absit. Agébat mystérium, qui fundébat prétium; in Petro demónstrans, non in se quemquam justum debére

præsúmere; in latróne, n
ímpium convérsum posse
ríre. Tímeat bonus, ne pér
per supérbiam: non desp
malus de multa malítia. C
ligántur præsuméntes, co
gántur desperántes. Magn
prétium pro nobis datum
cognóscimus, quia sángui
Christi redémpti sumus. A
mus quómodo tali Dómi
non displiceámus. Ecce am
vit servos; & quos redé
servos, fecit líberos. E
parum est, quia donat lib
tátem suam; éxhibet frat
nitátem, promíttit étiam h
reditátem. Habes ámpl
quod exspéctes? Suscépit
niéndo mortem tuam, don
vit resurgéndo vitam sua
Habes ámplius quod exsp
ctes? Ille, ille qui crucifíx
est pro te; die tértio à mó
tuis resúrgens, super cœl
exaltávit te; filium Dei fec
te. Perívimus, quæsívit; ca
tívi ducti sumus, subvéni
ad mortem perpétuam duc
bámur, liberávit. Quid ti
minus exhíbuit, qui seípsu
pro te trádidit? Et dúbit
quòd tibi donet vitam sua
qui tecum cōmunicávit mo
tem suam.

℟. vj. Postquàm illusérun
ei, exuérunt illum púrpurâ
& edúcunt illum ut crucifi
gerent eum. * Et bájulans sib
crucem, exívit Jesus in eum

qui dícitur Calváriæ locum. ℣. Tulit Abraham ligna holocáusti, & impósuit super Isaac fílium suum. * Et bájulans. ℟. Postquàm. *Marc.* 15. *Joan.* 19. *Genes.* 22.

IN III. NOCT.

Ant. 8. G. Quærébat Pilátus dimíttere eum. Judæi autem clamábant: Si hunc dimíttis, non es amícus Cæsaris. *Joan.* 19.

Ant. 8. c. Dicit Judæis Pilátus: Ecce Rex vester. Illi autem clamábant: Non habémus regem, nisi Cæsarem. *Joan.* 19.

Ant. 6. F. Videns quia nihil profíceret, sed magis tumúltus fieret; Jesum trádidit eis ut crucifigerétur. *Matth.* 27.

℣. Exsúrge & inténde judício meo, Deus meus,

℟. Dóminus meus in causam meam. *Ps.* 34.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio vij. *Cap.* 4. 11.

FEstinémus íngredi in illam réquiem, ut ne in idípsum quis íncidat incredulitátis exémplum. Vivus est enim sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti: & pertíngens usque ad divisiónem ánimæ ac spíritûs, compágum quoque ac medullárum, & discrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non est ulla creatúra invisíbilis in conspéctu ejus: ómnia autem nuda & apérta sunt óculis ejus, ad quem nobis sermo. Habéntes ergo Pontíficem magnum, qui penetrávit cælos Jesum fílium Dei, teneámus confessiónem. Non enim habémus Pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris: tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto.

℟. *vij.* Talis decébat ut nobis esset Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus à peccatóribus, & excélsior cœlis factus: * Qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, priùs pro suis delíctis hóstias offérre, deinde pro pópuli: hoc enim fecit semel seípsum offeréndo. ℣. Lex enim hómines constítuit Sacerdótes infirmitátem habéntes; sermo autem jurisjurándi, qui post legem est, Fílium in ætérnum perféctum, * Qui. *Hebr.* 7.

Lectio viij.

ADeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Omnis namque Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona & sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis qui

ignórant & errant: quóniam & ipse circúmdatus est infirmitáte; proptérea debet quémádmodum pro pópulo, ita étiam & pro semetípso offérre pro peccátis.

℟. viij. Recogitáte eum qui talem sustínuit à peccatóribus advérsùm semetípsum contradictiónem: * Ut ne fatigémini, ánimis vestris deficiéntes. ℣. Nondum enim úsque ad sánguinem restitístis, advérsùs peccátum repugnántes, * Ut ne. *Hebr.* 12.

Lectio ix.

NEc quisquam sumit sibi honórem; sed qui vocátur à Deo, tamquam Aáron: sic & Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fieret; sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu; ego hódie génui te. Quémádmodum & in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedec. Qui in diébus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui posset illum salvum fácere à morte, cum clamóre válido, & lácrymis ófferens, exaudítus est pro suâ reveréntiâ. Et quidem cùm esset Fílius Dei, dídicit ex iis quæ passus est obediéntiam: & consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedec.

℟. ix. Aspiciámus in a[uctó]rem fidei & consummató[rem] Jesum, * Qui propósito [sibi] gaúdio sustínuit crucem [con]fusióne contémptâ, atq[ue in] déxtera sedis Dei sedet. [℣.] Trádidit in mortem án[imam] suam, & cum sceleráti[s repu]tátus est, * Qui. ℟. Asp[iciá]mus. *Is.* 53.

AD LAUDES MATUTINAS.

Ant. 1. a. POsuit títulum Pil[átus] super crucem; [erat] autem scriptum: Jesus [Na]zarénus, Rex Judæó[rum]. *Joan.* 19.

Ant. 2. e. Blasphemá[bant] eum, movéntes cápita su[a], dicéntes: Salva temetíps[um]; si Fílius Dei es, descénde [de] cruce. *Matth.* 27.

Ant. 3. a. Dedérunt ei [vi]num bíbere cum felle m[ixtum], & mílites acétum o[ffe]réntes ei illudébant, dicén[tes]: Si tu es Rex Judæórum, [sal]vum te fac. *Matth.* 27. *Luc.*

Ant. 4. e. Ténebræ fa[ctæ] sunt per totam terram; & h[o]râ nonâ exclamávit Jesus v[o]ce magnâ dicens: Deus me[us], Deus meus, ut quid dereliq[uí]sti me. *Marc.* 15.

Ant. 2. to. Cùm vidísset [Je]sus matrem, & discípul[um] stantem quem diligébat, dic[it] matri suæ: Múlier, ecce [fí]lius tuus; & discípulo: Ec[ce] mater tua. *Joan.* 19.

℣. Fodérunt manus meas & pedes meos, ℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. *Ps.* 21

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Fíliæ Jerúsalem, nolíte flere super me, sed super vos, & fílios vestros; quia si in víridi ligno hæc fáciunt, in árido quid fiet? *Luc.* 23.

Tum flexis genibus dicuntur sequentes

TROPI,

Kyrie eléison. *ter.*

℣. Qui passúrus advenísti propter nos, Dómine miserére nostrî. 1. *Petr.* 2. *Matth.* 20.

Chorus. Christus Dóminus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem. *Philip.* 2. *Et sic repetitur à Choro post singulos versus.*

Christe eléison. *iij.*

℣. Qui sicut ovis ad occisiónem ductus es, & non aperuísti os tuum, Dómine miserére nostrî. *Is.* 53. *Matth.* 20.

Kyrie eléison. *iij.*

℣. Qui exaltátus à terra ómnia traxísti ad teípsum, Dómine miserére nostrî. *Joan.* 12. *Matth.* 20.

Kyrie eléison. *iij.*

℣. Oblátus es, quia voluísti, & de manu mortis nos liberásti, Dómine miserére nostrî. *Is.* 53. *Os.* 13. *Matth.* 20.

Chorus, Christus Dóminus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, *Hebdomadarius*, Mortem autem crucis. *Philip.* 2.

Ps. 50. Miserére. *in directum.*

Oratio.

Respice, quæsumus Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis subíre torméntum; *deinde sub silentio dicitur*, Qui tecum. *&c.*

AD HORAS,

Quatuor posteriora ℟. *de Nocturnis.*

Versiculi &c. ut heri, præter Ad Tertiam, *Versic.* Deus Israël, propter te sustínui oppróbrium, ℟. Opéruit confúsio fáciem meam. *Ps.* 68.

Oratio, Réspice. *suprà.*

AD VESPERAS,

Ant. 3. g. Sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt; ut consummarétur Scriptúra, dixit, Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes obtulérunt ori ejus. *Joan.* 19.

Ant. 1. f. Cùm accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est; & clamans voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum; & inclináto cápite, trádidit spíritum. *Joan.* 19. *Luc.* 23.

Ant. 2. *to.* Quorum animáliũ inférrur sanguis pro pec-

cáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. *Hebr.* 13.

Ant. 7. a. Propter quod & Jesus ut sanctificáret per suũ sánguinem pópulum, extra portam passus est. *Ibid.*

Ant. 7. a. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. *Ibid.*

℣. Elevátio mánuum meárum, ℟. Sacrifícium vespertínum. *Ps.* 140.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ. *Hebr.* 5.

Dicitur flexis genibus Psalm. 50. Miserére. *in directum, p.* cxxij. *& Oratio* Réspice. *ut suprà in Laud. Matut.*

COMPLET. *ut heri, præter Psal.*

SABBATO SANCTO.

IN I. NOCT.

Ant. 7. d* Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me. *Zach.* 13.

Ant. 2. Fodérunt manus meas, & pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea. *Ps.* 21.

Ant. 6. F. Tórcular calcávi solus, & aspérsus est sanguis super vestiménta mea; annus enim redemptiónis meæ venit. *Is.* 63.

℣. Omnia excélsa tua & fluctus tui ℟. Super me transiérunt. *Psal.* 41.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 3.

MIsericórdiæ Dómini, quia non sumus consúmpti: quia non defecérunt miseratiónes ejus. Novi dilúculo, multa est fides tua. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: proptéreà exspectábo eum. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quæénti illum. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntia sua. Sedébit solitárius, & tacébit: quia levávit super se. Ponet in púlvere os suum, si fortè sit spes. Dabit percutiénti se maxíllam, saturábitur oppróbriis, Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. *j.* Velum templi scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt. * Monuménta apérta sunt, & multa córpora sanctórum qui dormíerant surrexérunt. ℣. Edúxit eos de ténebris & umbra mortis, & víncula eórum disrúpit. * Monuménta. *Math.* 27. *Ps.* 106

Lectio ij. Cap. 4.

QUómodò obscurátum est aurum, mutátus est color óptimus, dispérsi sunt lápides sanctuárii in cápite ómnium plateárum? Fílii Si-

oninclyti, & amícti auro primo: quómodò reputáti sunt in vasa téstea, opus mánuum fíguli? Sed & lámiæ nudavérunt mammam, lactavérunt cátulos suos: fília pópuli mei crudélis, quasi strúthio in desérto. Adhæsit lingua lacténtis ad palátum ejus in siti: párvuli petiérunt panem, & non erat qui frángeret eis. Qui vescebántur voluptuósè, interiérunt in viis: qui nutriebántur in cróceis, amplexáti sunt stércora. Et major effécta est iníquitas fíliæ pópuli mei peccáto Sodomórũ, quæ subvérsa est in moménto, & non cepérunt in ea manus. Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℞. ij. Centúrio & qui cum eo erant, viso terræ motu, timuérunt valde, dicéntes: Verè Fílius Dei erat iste: & omnis turba eórum qui simul áderant ad spectáculum istud, revertebántur * Percutiéntes péctora sua. ℣. Aspícient ad me quem confixérunt, & plangent planctu quasi super unigénitum, * Percutiéntes. *Matth.* 27. *Luc.* 23. *Zach.* 12.

Incipit Orátio Jeremíæ Prophétæ.

Lectio iij. *Cap.* 5.

RECordáre Dómine quid accíderit nobis: Intuére, & réspice oppróbrium nostrũ. Heréditas nostra versa est ad aliénos, domus nostræ ad extráneos. Pupílli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi víduæ. Aquam nostram pecúniâ bíbimus; ligna nostra prétio comparávimus. Cervícibus nostris minabámur, lassis non dabátur réquies. Ægypto dédimus manum & Assyriis, ut saturarémur pane. Patres nostri peccavérunt, & non sunt; & nos iniquitátes eórum portávimus. Servi dominati sunt nostrî; non fuit qui redímeret de manu eórum. In animábus nostris afferebámus panem nobis, à fácie gládii in desérto. Pellis nostra quasi clíbanus exústa est à fácie tempestátum famis. Mulíeres in Sion humiliavérunt, & vírgines in civitátibus Juda.

℞. iij. In una domo comedétur agnus, nec efferétis de cárnibus ejus foras, & * Os non comminuétis ex eo. ℣. Ut vidérunt mílites Jesũ jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, ut Scriptúra impleré-tur: * Os. ℞. In una. *Exod.* 12. *Joan.* 19.

IN II. NOCT.

Ant. 8. G. Cùm serò factum esset, venit homo dives ab Arimathæa, nómine Joseph, discípulus Jesu. *Math.* 27

Ant. 7. b. Hic non consénserat concílio & áctibus eó-

rum, & ipse exspectábat regnum Dei. *Luc.* 23.

Ant. 7. a. Joseph pósuit corpus Jesu in monuménto suo novo, quod excíderat in petra; & advólvit saxum magnum ad óstium monuménti. *Matth.* 27.

℣. Posuérunt me in lacu inferióri, ℟. In tenebrósis & in umbra mortis. *Ps.* 87.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos.

Lectio iv. Enarr. in Ps. 63.

ACcédet homo ad cor altum, & exaltábitur Deus. Judæi dixérunt: Quis nos vidébit? Defecérunt scrutántes scrutatiónes, consília mala. Accéssit homo ad ipsa consília, passus est se tenéri ut homo. Non enim teneré-tur nisi homo, aut viderétur nisi homo, aut cæderétur nisi homo, aut crucifigerétur, aut morerétur nisi homo. Accéssit ergo homo ad illas omnes passiónes, quæ in illo nihil valérent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, non liberarétur homo. Accéssit homo ad cor altum, id est, cor secrétum; objíciens aspéctibus humánis hóminē, servans intus Deum; celans formam Dei, in qua æquális est Patri; & ófferens formam servi, quâ minor est Patre.

℟. iv. Persecútus est inimícus ánimam meam, humiliávit in terra vitam meam; collocávit me in obscúris, * Sicut mórtuos séculi. ℣. Cùm consummássent ómnia quæ de Jesu scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto, * Sicut. *Ps.* 142. *Act.* 13.

Lectio v.

QUò perduxérunt illas scrutatiónes suas, quas perscrutántes defecérunt, ut étiam mórtuo Dómino & sepúlto, custódes pónerent ad sepúlcrum? Dixérunt enim Piláto: Sedúctor ille; hoc appellabátur nómine Dóminus Jesus Christus, ad solátium servórum suórum, quando dicúntur seductóres: Ergo illi Piláto, Sedúctor ille, inquiunt, dixit adhuc vivens: Post tres dies resúrgam. Jube ítaque custodíri sepúlcrum usque in diem tértium, ne fortè véniant discípuli ejus, & furéntur eum, & dicant plebi: Surréxit à mórtuis; & erit novíssimus error pejor prióre. Ait illis Pilátus: Habétis custódiam; ite, custodíte sicut scitis. Illi autem abeúntes muniérunt sepúlcrum, signántes lápidem cum custódibus.

℟. v. Quando appénsus fúerit homo in patíbulo, non permanébit cadáver ejus in ligno, sed in eádem die sepeliétur, quia * Maledíctus à

Deo est, qui pendet in ligno. ℣. Christus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum, quia scriptum est: * Maledíctus. *Deuter. 21. Gal. 3.*

Lectio vj.

POsuérunt custódes mílites ad sepúlcrum: Concússâ terrâ, Dóminus resurréxit: mirácula facta sunt tália circa sepúlcrum, ut & ipsi mílites qui custódes advénerant, testes fierent, si vellent vera nuntiáre: sed avarítia illa quæ captivávit discípulum cómitem Christi, captivávit & mílitem custódem sepúlcri. Damus, ínquiunt, vobis pecúniam, & dícite, quia vobis dormiéntibus venérunt discípuli ejus, & abstulérunt eum. Verè defecérunt scrutántes scrutatiónes. Quid est quod dixísti, ô infélix astútia? Tantúmne déseris lucem consílii & pietátis, & in profúnda versútiæ demérgeris, ut hoc dicas: Dícite quia vobis dormiéntibus venérunt discípuli ejus, & abstulérunt eum? Dormiéntes testes ádhibes: Verè tu ipse obdormísti, qui scrutándo tália defecísti.

℟. *vj.* In die illa radix Jesse qui stat in signum populórũ, ipsum gentes deprecabúntur; * Et erit sepúlcrum ejus gloriósum. ℣. Christus pro peccátis nostris mórtuus est secúndùm Scriptúras, & sepúltus est; * Et. ℟. In die. *Isai. 11. 1. Cor. 15.*

IN III. NOCT.

Ant. 3. c. Patriárcha David, quóniam defúnctus est & sepúltus; & sepúlcrum ejus est apud nos usque in hodiérnum diem. *Act. 2.*

Ant. 8. G. Prophéta ígitur cùm esset, próvidens locútus est de resurrectióne Christi, quia neque derelíctus est in inférno, neque caro ejus vidit corruptiónem. *Ibid.*

Ant. 1. D. Impossíbile erat tenéri illum ab inférno. *Ibid.*

℣. Providébam Dóminum in conspéctu meo semper, ℟. Quóniam à dextris est mihi ne commóvear. *Psal. 15.*

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio. vij. Cap. 9. 11.

CHristus assístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum non manu factũ, id est, non hujus creatiónis: neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in sancta, ætérnâ redemptióne invéntâ. Si enim sanguis hircórum & taurórum, & cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semet-

ipsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiã nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti?

℟. vij. Post Parascéven príncipes sacerdótum & Pharisæi muniérunt sepúlcrum; lápidem * Signántes cum custódibus. ℣. Lapsa est in lacum vita mea, & posuérunt lápidem super me, * Signántes. *Matth. 27. Thren. 3.*

Lectio viij.

ET ídeò novi Testaménti mediátor est: ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri Testaménto, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt, ætérnæ hereditátis. Ubi enim testaméntum est, mors necésse est intercédat testatóris. Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est: alióquin nondum valet, dum vivit qui testátus est; unde nec primum quidem sine sánguine dedicátum est.

℟. viij. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, & inspíciam omnes dormiéntes, & * Illuminábo omnes sperántes in Dómino. ℣. Exspólians principátus & potestátes; palam triúmphans illos, * Illuminábo. *Eccli. 24. Coloss. 2.*

Lectio ix.

LEcto enim omni mandáto legis à Móyse univérso pópulo: accípiens sánguinem vitulórum & hircórum, cum aqua, & lana coccínea, & hyssópo: ipsum quoque librum, & omnem pópulum aspérsit, dicens: Hic sanguis testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum & ómnia vasa ministérii sánguine simíliter aspérsit: & ómnia penè in sánguine secúndùm legem mundántur: & sine sánguinis effusióne non fit remíssio... Et quemádmodum statútum est homínibus semel mori, post hoc autem judícium: sic & Christus semel oblátus est ad multórum exhauriénda peccáta: secúndò sine peccáto apparébit exspectántibus se in salútem.

℟. ix. Visitâvit nos Oriens ex alto, illumináre * His qui in ténebris & in umbra mortis sedent. ℣. Dóminus misit me ut prædicárem captívis indulgéntiam, & clausis apertiónem, * His. ℟. Visitávit. *Luc. 1. Is. 61.*

AD LAUDES MATUT.

Ant. 4. E. ERo mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inférne. *Osee 13.*

Ant. 4. A. Sólvite templum hoc, & in tribus diébus excitábo illud. *Joan. 2.*

Ant. 1. a. Fílius hóminis tradétur in manus hóminum, & occídent eum; & occísus, tértiâ die resúrget. *Marc. 9.*

Ant.

patris? Vidélicet quia filius judícium & justítiam operátus est, ómnia præcépta mea custodívit, & fecit illa, vivet vitâ. Anima quæ peccáverit, ipsa moriétur; filius non portábit iniquitátem patris, & pater non portábit iniquitátem filii: justítia justi super eum erit, & impíetas ímpii erit super eum. Si autem ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis suis quæ operátus est, & custodíerit ómnia præcépta mea, & fécerit judícium & justítiam: vitâ vivet, & non moriétur. Omnium iniquitátum ejus, quas operátus est, non recordábor: in justítia sua, quam operátus est, vivet. * Numquid voluntátis meæ est mors ímpii, dicit Dóminus Deus, & non ut convertátur à viis suis, & vivat? Si autem avérterit se justus à justítia sua, & fécerit iniquitátem secúndùm omnes abominatiónes, quas operári solet ímpius, numquid vivet? Omnes justítiæ ejus, quas fécerat, non recordabúntur: in prævaricatióne, quâ prævaricátus est, & in peccáto suo, quod peccávit, in ipsis moriétur. . . . Projícite à vobis omnes prævaricatiónes vestras, in quibus prævaricáti estis, & fácite vobis cor novum, & spíritum novum: & quare moriémini domus Israël? Quia nolo mortem moriéntis, dicit Dóminus Deus, revertímini, & vívite.

℟. *ij.* Convertímini, & ágite pœniténtiam ab ómnibus iniquitátibus vestris:* Et non erit vobis in ruínam iníquitas. ℣. Pœnitémini ígitur, & convertímini, ut deleántur peccáta vestra; * Et non. *Ezech.* 18. *Act.* 3.

Lectio iij.

Ex Epistolis Pauli, & Tillemont. to. 2. Hist. Ecclef.

Titus iste, álius est omníno ab eo cúi cognómen Justus, Paulúmque Corínthi excéperat. Titus noster Paulum secútus est Jerúsalem anno Christiánæ æræ quinquagésimo séptimo, ubi primum Apóstoli Concílium habuére. Natus paréntibus Gentílibus à circumcisiónis ónere per Paulum fuit vindicátus. In opus Evangélii sex annos sub Paulo consúmpsit, ab eóque Cretæ fuit relíctus Epíscopus anno Dómini sexagésimo tértio. Epístolam ad eum misit anno sexagésimo quarto. Cretæ dícitur mórtuus anno Christi sexagésimo sexto in senectúte bona: ubi summópere excúlta est ejus memória, quándiu Véneti ejus ínsulæ impérium tenuére, unde à bárbaris míserè pulsi sunt anno millésimo sexcentésimo sexagésimo

nono.

℟. iij. Quis est fidélis, *pag.* xxxiij. *cum* Glória Patri.

In Laudibus Matutinis,

Post Hymnum, ℣. Constitútus sum ab eo super montem sanctum ejus, ℟. Prædicans præcéptum ejus. *Ps.* 2.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Tite, relíqui te Cretæ, ut ea quæ desunt córrigas, & constítuas per civitátes Presbyteros, sicut & ego dispósui tibi. *Tit.* 1.

Oratio, Omnípotens. *pag.* xxxv.

In II. Vesperis.

℣. Coróna aúrea, *p.* xxxvj.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi: víscera ejus abundántiùs in vobis sunt reminiscéntis ómnium vestrûm obediéntiam, quómodo cum timóre & tremóre excepístis illum. 2. *Cor.* 7.

Oratio, Omnipotens, *pag.* xxxv.

Fit Comm. de S. Symeone Stylita, per Ant. 8. G. Abscóndit me Dóminus in tabernáculo suo, in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui. *Ps.* 26.

℣. In umbra alárum tuárum sperábo, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

Oratio, Omnípotens, *p.* lxi.

Die V. Januarii
VIGILIA EPIPHANIÆ

Invitatorium & Hymnus [...] *Nativitate, Antiphonæ* [...] *Psalmi de Psalterio.*

¶ [*Si venerit in Domin*[...] *ex sequenti Lectione Scrip*[...] *occurrentis fient tres, divi*[...] *factâ ad * asteriscos: Lecti*[...] *vij. & viij. erunt Evang*[...] *Homil. de Vigilia Epiph*[...] *cum* ℟. Dixit Ang. *p.* 31[...] ℟. Suscitábo. *in I. Vesp. E*[...] *Lectio ix. de S. Symeone St*[...] *cum suo* ℟.

De Ezechiéle Prophét[...]

Lectio j. Cap. 20. *v.* [...]

Factus est sermo Dó[...] ad me, dicens: Fili hó[...] nis lóquere senióribu[...] raël, & dices ad eos, Hæc [...] cit Dóminus Deus: In die [...] elégi Israël, & levávi ma[...] meam pro eis ut edúcerem [...] de Terra Ægypti, in Ter[...] quam províderã eis fluén[...] lacte & melle: quæ est egré[...] inter omnes terras. Et dix[...] eos: Unusquísque offensió[...] oculórum suórum abjícia[...] in idólis Ægypti nolíte pó[...] ego Dóminus Deus veste[...] irritavérunt me, noluer[...] que me audíre: unusquí[...] abominatiónes oculórum [...] rum non projécit, nec i[...] Ægypti reliquérunt... E[...] ergo eos de Terra Ægypti [...] edúxi eos in desértum. Et [...] di eis præcépta mea, & ju[...]

via mea ostendi eis, quæ fáciens homo, vivet in eis.* Insuper & sábbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos: & scirent quia ego Dóminus sanctíficans eos. Et irritavérunt me domus Israël in desérto, in præcéptis meis non ambulavérunt, & judícia mea projecérunt, quæ fáciens homo vivet in eis, & sábbata mea violavérunt veheménter: dixi ergo ut effúnderem furórem meum super eos in desérto, & consúmerem eos. Et feci propter nomen meum, ne violarétur coram Géntibus, de quibus ejéci eos in conspéctu eárum... * Et pepércit óculus meus super eos ut non interfícerem eos: nec consúmpsi eos in desérto. Dixi autem ad filios eórum in solitúdine: In præcéptis patrum vestrórum nolíte incédere, nec judícia eórum custodiátis, nec in idólis eórum polluámini: Ego Dóminus Deus vester: in præcéptis meis ambuláte, judícia mea custodíte, & fácite ea: & sábbata mea sanctificáte, ut sint signum inter me & vos, & sciátis quia ego sum Dóminus Deus vester. Et exacerbavérunt me filii, in præcéptis meis non ambulavérunt: & judícia mea non custodiérunt ut fácerent ea.

℟. *j.* Recessístis. *suprà* 3. *Januar. pag.* 310.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio ij. *Cap.* 2.

IN illo témpore; Defúncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & áccipe púerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Libro 1. *Comment. in Cap.* 2. *Matth.*

EX hoc loco intellígimus, non solùm Heródem, sed & Sacerdótes & Scribas eódem témpore necem Dómini fuisse meditátos. Qui consúrgens accépit púerum, & matrem ejus: Non dixit, Accépit filium suum, & uxórem suam: sed púerum, & matrem ejus; quasi nutrítius, & non marítus. *Aúdiens autem quòd Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illò ire. Multi propter ignorántiã históriæ labúntur erróre, putántes eúmdem esse Heródem, à quo in passióne sua Dóminus irridétur, & qui nunc mórtuus esse refértur. Ergo Heródes ille, qui cum Piláto pósteà amicítias fecit, hujus Heródis filius est, frater Archeláï. Ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur. Si fixum de Scriptúris posuísset exém-

plum, nunquã díceret, Quod dictum est per Prophétas; sed simplíciter, Quod dictum est per Prophétam. Nunc autem pluráliter Prophétas vocans, osténdit se non verba de Scriptúris sumpsísse, sed sensum. Nazaræus, sanctus interpretátur: Sanctum autem Dóminum futúrum omnis Scriptúra commémorat.

℟. *ij*. Dixit Angelus Dei in somnis Jacob: Surge, & egrédere de terra hac revértens in * Terram nativitátis tuæ. ℣. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph dicens: Surge, áccipe púerum, & vade in terram Israël, * Terram. *Genes.* 31. *Matth.* 2.

Lectio iij. seu ultima de S. Symeone Stylita.

Ex Theodoret. Philoth. c. 26. & Vita apud Bolland.

SYmeo natus in vículo Sisan ad fines Syriæ & Cilíciæ, è pécorum custódia cúi addíctus erat à pueritia, tránsiit ad disciplínam Abbátum primò Timóthei, deinde Heliodóri. Supra modum humánum pœniténtiam ampléxus, vigínti octo quadragésimas sine ullo cibo aut potu jam pertransíerat, cùm hæc scríberet Theodorétus. Tandem per várↄios gradus colúmnam sibi fecit altam trigínta sex vel quadragínta cúbitis: unde súbitò descéndere parátus ubi primùm mandátum fuit à Pátribus in Concílio congregátis, ánimos solitariórũ totíus Ægypti contra se inde concitátos fácilè placávit. Mórtuus est anno círciter quadringentésimo sexagésimo primo, annos natus sexagínta novem. Imágines ejus dum víveret jam Romæ religiósè colebántur, ut aït Theodorétus, qui tribus annis & ampliùs ante eum decésserat. Celebrátur ejus memória in Gállia à tempóribus Cároli Calvi, scílicet ob singuláre precum commércium, quod Symeónem inter & Genovéfam intercésserat.

℟. *iij*. Licèt is. *p.* lix. *cum* Glória Patri.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Omnes gentes plaúdite mánibus, ℟. Jubilémus Deo in voce exultatiónis. *Ps.* 46.

Ant. 1. f. MIserébor ejus quæ fuit absque misericórdia; & dicam non pópulo meo, Pópulus meus es tu, *Os.* 2.

Ant. 7. a. Magnificábor & sanctificábor, & notus ero in óculis multárum géntium, & scient quia ego Dóminus. *Ezech.* 38.

Ant. 8. G. Reddam pópulis lábium eléctum, ut ínvocent omnes in nómine Dómini, & sérviant ei húmero uno. *Sophon.* 3.

Ant. 2. Véniet omnis caro ut adóret coram fácie mea, dicit Dóminus. *Is.* 66.

Ant. 8. G. Omnis spíritus laudet Dóminum, quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148. & 150.

Capitulum. *Tob.* 14. 8.

RElinquent Gentes idóla sua, & vénient in Jerúsalem, & inhabitábunt in ea, & gaudébunt in ea omnes reges terræ, adorántes Regē Israël.

Hymn. A solis ortûs. *p.* 253.

℣. Ex Ægypto vocávi Fílium meum: ℟. Defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri. *Matth.* 2.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. g. Consúrgens Joseph accépit púerum & matrem ejus, & venit in terram Israël. *Matth.* 2.

Non dicuntur Preces.

Oratio.

COrda nostra, quæsumus Dómine, ventúræ festivitátis spendor illústret, quo mundi hujus ténebras effúgere, & perveníre valeámus ad pátriam claritátis ætérnæ; Per Dóminum.

Commemor. de S. Symeone Stylita, per Ant. 7. *d.* * Quasi cypréssus in altitúdinem se extóllens, & quasi plantátio cedri in Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ: ipse stans, & circa illum coróna fratrum: iterávit oratiónem suam, volens osténdere virtútem Dei. *Eccli.* 50.

℣. Déxtera Dómini fecit virtútem, ℟. Déxtera Dómini exaltávit me. *Ps.* 117.

Oratio, Omnípotens. *p.* lxj.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Miserébor.

AD TERTIAM.

Ant. 7. a. Magnificábor.

Capitulum. *Apoc.* 15.

QUis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? quia solus pius es, quóniam omnes Gentes vénient & adorábunt in conspéctu tuo.

℟. *br.* Timébunt Gentes * Nomen tuum, Dómine, ℟. Timébunt. ℣. Et omnes reges terræ glóriam tuam, * Nomen. Glória. ℟. Timébunt.

℣. Adorábunt eum omnes reges terræ, ℟. Omnes Gentes sérvient ei. *Ps.* 101. & 71.

AD SEXTAM.

Ant. 8. *G.* Reddam.

Capitulum. *Sophon.* 2.

ATtenuábit Dóminus omnes deos terræ, & adorábunt eum viri de loco suo, omnes ínsulæ Géntium.

℟. *br.* Confitébor tibi * In pópulis Dómine, ℟. Confitébor. ℣. Et psalmum dicam tibi in Géntibus; * In. Glória. ℟. Confitébor.

℣. Benedícite Gentes Deum nostrum, ℟. Et audítam fácite vocem laudis ejus. *Ps.* 56. & 65.

AD NONAM.

Ant. 2. Véniet.

Capitulum. *If.* 45.

COnvertímini ad me, & salvi éritis omnes fines terræ, quia ego Deus, & non est álius.

℟. *br.* Vacáte & vidéte * Quia ego sum Deus; ℟. Vacáte. ℣. Exaltábor in Géntibus, & exaltábor in terra, * Quia. Glória. ℟. Vacáte.

℣. Benedicéntur in ipso omnes tribus terræ, ℟. Omnes Gentes magnificábunt eum. *Ps.* 45. & 71.

DIE VI. JANUARII,

IN

EPIPHANIA

D. N. JESU-CHRISTI,

SOLEMNE MAJUS.

AD I. VESPERAS,

Ant. 3. a.



DIcam Aquilóni, Da; & Austro, Noli prohibére; affer fílios meos de longínquo, & fílias meas ab extrémis terræ. *If.* 43.

Ant. 7. a. Applicabúntur Gentes multæ ad Dóminum in die illa, & erunt mihi in pópulum. *Zachar.* 2.

Ant. 4. E. Congregabúntur omnes Gentes in nómine Dómini in Jerúsalem, & non ambulábunt post pravitátem cordis sui péssimi. *Jerem.* 3.

Ant. 5. f. Replébitur terra, ut cognóscant glóriam Dómini, quasi aquæ operiéntes mare. *Habac.* 2.

Ant. 1. a. Gentes vénient ab extrémis terræ, & dicent: Verè mendácium possedérunt patres nostri, vanitátem quæ eis non prófuit. *Jerem.* 16.

Capitulum. *If.* 54. 1.

LAuda stérilis quæ non páris: decánta laudem quæ non pariébas: quóniam multi fílii desértæ magis quàm ejus quæ habet virum. Diláta locum tentórii tui; ad déxteram enim & ad lævam penetrábis, & semen tuum Gen-

ret hereditábit.

℟. Suscitábo tabernáculum David, quod cécidit : & * Reædificábo illud sicut in diébus antíquis ; ut possídeant omnes natiónes, eò quòd invocátum sit nomen meum super eos. ℣. Deus visitávit súmere ex Géntibus pópulum nómini suo, sicut scriptum est. * Reædificábo. Glória. ℟. Suscitábo. *Amos* 9. *Act.* 15.

Hymnus. *Sedul.*

Hostis Heródes ímpie,
Christum veníre quid times?
Non éripit mortália,
Qui regna dat cæléstia.

Ibant Magi quam víderant
Stellam sequéntes præviam,
Lumen requírunt lúmine,
Deum fatentur múnere.

Lavácra puri gúrgitis
Cæléstis Agnus áttigit :
Peccáta, quæ non détulit,
Nos abluéndo, sústulit.

Novum genus poténtiæ!
Aquæ rubéscunt hydriæ,
Vinúmque jussa fúndere
Mutávit unda oríginem.

Qui te revélas Géntibus,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu
In sempitérna sécula. Amen.

℣. Annuntiábunt cæli justítiam ejus ℟. Pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus. *Ps.* 21.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *d* * Civitas Dei luce spléndidâ fulgébis : natiónes ex longínquo ad te vénient ; & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum ; allelúia. *Tob.* 13.

Oratio, Corda nostra. *ut suprà in Vigilia ad Laud. Mat.* *pag.* 317.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi super Ant. 8. G. Ego lux in mundum veni ; ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat. *Joan.* 12.

Hymnus, Te lucis, *cum Doxologia*, Qui te revélas Géntibus. *&c. ut suprà ad Vesperas.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Allelúia ; Omnes de Saba vénient, allelúia, aurum & thus deferéntes ; allelúia, allelúia. *Is.* 60.

AD VIGILIAS.

Invitatorium, Verbum manifestátum in carne, prædicátum in Géntibus, créditum in mundo, * Veníte adorémus. 1. *Tim.* 3.

Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

Hymnus.

Quæ vos causa, Magi dícite, pérpulit
E vestris iter hùc cárpere fínibus?
Quem tanto stúdio quæritis ánxii?
Quóve hæc múnera pértinent?
Nos stella insóliti lúminis hùc trahit,
Et dux certa viam perpétuo præit,

Judææ pópulis quæ cupiéntibus

Regem signíficat datum.

Auri isthæc sed enim quid sibi póndera?

Myrrhæ muníficus quid sibi vult odor?

Aut quæ, cùm pópulus sacra Deo facit,

Aris thura solent dari.

Rex auro cólitur, thura Deum decent:

Nostri myrrhâ hómines post óbitum linunt.

Huic ergo hæc páriter múnera cóngruunt,

Qui Rex est, & homo, & Deus.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,

Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus,

Qui fecúnda facis víscera Vírginis

Illábens útero Deus.

Amen.

In I. Noct.

Ant. 1. f. Noli timére, quia ego tecum sum; ab oriénte addúcam semen tuum, & ab occidénte congregábo te. *Is.* 43.

Ant. 4. E. Et omnem qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam ornávi eum, formávi eum, & feci eum. *Is.* 43.

Ant. 4. f. Et erit in loco ubi dicétur eis: Non pópulus meus vos; dicétur eis: Filii Dei vivéntis. *Os.* 1.

℣. Omnes Gentes quascúmque fecísti vénient, ℟. Et adorábunt coram te, Dómine. *Ps.* 85.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 43.

Nunc hæc dicit Dóminus creans te Jacob, & formans te Israël: Noli timére, quia redémi te, & vocávi te nómine tuo; meus es tu... Ex quo honorábilis factus es in óculis meis & gloriósus, ego diléxi te, & dabo hómines pro te, & pópulos pro ánima tua. Noli timére, quia ego tecum sum: ab Oriénte addúcam semen tuum, & ab Occidénte congregábo te. Dicam Aquilóni, Da; & Austro, Noli prohibére: affer fílios meos de longínquo, & fílias meas ab extrémis terræ. Et omnem qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum, formávi eum, & feci eum. Educ foras pópulum cæcum, & óculos habéntem; surdum, & aures ei sunt. Omnes gentes congregátæ sunt simul, & colléctæ sunt tribus: quis in vobis annúntiet istud, & quæ prima sunt audíre nos fáciet? dent testes eórum, justificéntur: & áudiant, & dicant: Verè.

℟. j. Viri sublímes ad te transíbunt, & tui erunt: * Te adorábunt, teque depre-

cabúntur. ℣. Multi ab Oriénte & Occidénte vénient, & recúmbent in regno cælórum. * Te adorábunt. *Is.* 45. *Matth.* 8.

Lectio ij. *Cap.* 60.

SUrge, illumináre Jerúsalem: quia venit lumen tuū, & glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, & calígo pópulos: super te autem oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt Gentes in lúmine tuo, & reges in splendóre ortûs tui. Leva in circúitu óculos tuos, & vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi: filii tui de longè vénient, & fíliæ tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, & áfflues, & mirábitur, & dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo Géntium vénerit tibi. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian & Epha: omnes de Saba vénient, aurum & thus deferéntes, & laudem Dómino annuntiántes. Omne pecus Cedar congregábitur tibi, aríetes Nábaioth ministrábunt tibi: offeréntur super placábili altári meo, & domum majestátis meæ glorificábo. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi colúmbæ ad fenéstras suas. Me enim ínsulæ exspéctant, & naves maris in princípio, ut addúcam fílios tuos de longè; argéntum eórum, & aurum eórum cum eis nómini Dómini Dei tui, & sancto Israël, quia glorificávit te. Et ædificábunt filii peregrinórum muros tuos, & reges eórum ministrábunt tibi: in indignatióne enim mea percússi te: & in reconciliatióne mea misértus sum tuî. Et aperiéntur portæ tuæ júgiter: die ac nocte non claudéntur, ut afferátur ad te fortitúdo Géntium, & reges eárum adducántur. Gens enim & regnum, quod non servíerit tibi, períbit: & Gentes solitúdine vastabúntur.

℟. ij. Parum est ut sis mihi servus ad suscitándas tribus Jacob: Ecce dedi te in lucem Géntium, * Ut sis salus mea usque ad extrémum terræ. ℣. Ecce convértimur ad Gentes; sic enim præcépit nobis Dóminus: Pósui te in lucem Géntium, * Ut sis. *Isai.* 49. *Act.* 13.

Lectio iij. *v.* 13.

GLória Líbani ad te véniet, ábies, & buxus, & pinus simul, ad ornándum locum sanctificatiónis meæ; & locum pedum meórum glorificábo. Et vénient ad te curvi filii eórum qui humiliavérunt te, & adorábunt vestígia pedum tuórum omnes qui de-

trahébant tibi, & vocábunt te Civitátem Dómini, Sion sancti Israël. Pro eo quòd fuísti derelícta, & ódio hábita, & non erat qui per te transíret, ponam te in supérbiam seculórum, gaúdium in generatiónem & generatiónem. Et suges lac Géntium, & mamíllâ regum lactáberis: & scies quia ego Dóminus salvans te, & redémptor tuus fortis Jacob. Pro ære ásferam aurum, & pro ferro ásferam argéntum; & pro lignis æs, & pro lapídibus ferrum: & ponam visitatiónem tuam pacem, & præpósitos tuos justítiã. Non audiétur ultrà iniquitas in terra tua, vástitas & contrítio in términis tuis, & occupábit salus muros tuos, & portas tuas laudátio... Pópulus autem tuus omnes justi, in perpétuum hereditábunt terram, germen plantatiónis meæ, opus manũs meæ ad glorificándum.

℟. *iij.* Congregabúntur omnes Gentes in nómine Dómini in Jerúsalem; * Et non ambulábunt post pravitátem cordis sui péssimi. ℣. Quis non magnificábit nomen tuũ, Dómine? quóniam omnes Gentes vénient, & adorábunt in conspéctu tuo, * Et. Glória. ℟. Congregabúntur. *Jer.* 3. *Apoc.* 15.

IN II. NOCT.

Ant. 7. d* Qui dominátu[r] in virtúte sua in ætérnu[m] óculi ejus super Gentes resp[i]ciunt. *Ps.* 65.

Ant. 8. G. Coram illo pr[o]cident Æthíopes, & inim[ici] ejus terram lingent. *Ps.* 71.

Ant. 7. b. Omnes gen[tes] quascúmque fecísti, vénie[nt] & adorábunt coram te, D[ó]mine. *Ps.* 85.

℣. Omnis terra adóret te, psallat tibi, ℟. Psalmum dic[at] nómini tuo, Dómine. *Ps.* 6[5].

De Epístola beáti Pauli Ap[o]stoli ad Romános.

Lectio iv. *Cap.* 9. *v.* 22.

QUòd si Deus volens osténdere iram, & no[tam] fácere poténtiam sua[m] sustínuit in multa patiénti[a] vasa iræ apta in intéritum, u[t] osténderet divítias glóriæ suæ in vasa misericórdiæ, qu[æ] præparávit in glóriam. Quo[s] & vocávit nos non solùm e[x] Judæis, sed étiam ex Génti[bus], sicut in Osée dicit: Vo[cábo] non plebem meam, ple[bem] meam: & non diléctam, diléctam: & non misericór[diam] consecútam, misericór[diam] consecútam. Et erit: In loco, ubi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabú[ntur] filii Dei vivi. Isaías autem clamat pro Israël: Si fúerit númerus filiórum Israël tamquam aréna maris, relíquiæ salvæ

...nt. Verbum enim consúm-
...ns, & abbrévians in æqui-
...: quia verbum breviátum
...et Dóminus super terram;
...sicut prædíxit Isaías: Nisi
...minus sábaoth reliquísset
...bis semen, sicut Sódoma
...cti essémus, & sicut Gomór-
...similes fuissémus. Quid
...o dicémus? Quòd gentes
...non sectabántur justítiã,
...prehendérunt justítiam: ju-
...tiam autem, quæ ex fide est.
...el verò sectándo legem
...tiæ, in legem justítiæ non
...venit. Quare? Quia non
...fide, sed quasi ex opéribus:
...ffendérunt enim in lápidem
...nsiónis, sicut scriptum est:
...e pono in Sion lápidem
...nsiónis, & petram scán-
...li: & omnis, qui credit in
...m, non confundétur.

...IV. Mystérium Christi,
...od áliis generatiónibus non
...agnitum, nunc revelátum
... Gentes esse * Coherédes,
...concorporáles, & compar-
...ipes promissiónis ejus in
...risto Jesu. ℣. Et erit in loco
... dicétur eis: Non pópulus
...us vos, dicétur eis, Fílii
...i vivéntis, * Coherédes.
...ef. 3. Osée 1.

Lectio v. Cap. 11.

Dico ergo: Numquid Deus répulit pópulum suum? ...bsit. Nam & ego Israëlíta ...m ex sémine Abraham, de ...ibu Bénjamin: Non répulit Deus plebem suam, quam præscívit... Ergo & in hoc témpore, relíquiæ secúndùm electiónem grátiæ salvæ factæ sunt... Dico ergo: Numquid sic offendérunt ut cáderent? Absit. Sed illórum delícto salus est Géntibus, ut illos æmuléntur. Quòd si delíctum illórum, divítiæ sunt mundi; & diminútio eórũ, divítiæ Géntium: quantò magis plenitúdo eórum? Vobis enim dico Géntibus: Quándiu quidem ego sum Géntium Apóstolus, ministérium meum honorificábo, si quómodo ad æmulándum próvocem carnem meã, & salvos fáciam áliquos ex illis. Si enim amíssio eórum, reconciliátio est mundi: quæ assúmptio, nisi vita ex mórtuis? Quòd si delibátio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Quòd si áliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleáster esses, insértus es in illis, & sócius radícis & pinguédinis olívæ factus es, noli gloriári advérsùs ramos. Quòd si gloriáris: non tu radícem portas, sed radix te.

℟. v. De ténebris vos vocávit Deus in admirábile lumen suum: qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei: * Qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti. ℣. Dícite frátribus vestris, Pópulus

meus; & soróri vestræ, Misericórdiam consecúta. * Qui.
1. *Petr.* 2. *Osée* 2.

Lectio vj.

DIces ergo: Fracti sunt rami ut ego ínserar. Bene: propter incredulitátem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sápere, sed time. Si enim Deus naturálibus ramis non pepércit: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitátem, & severitátem Dei: in eos quidem, qui cecidérunt, severitátem; in te autem bonitátem Dei, si permánseris in bonitáte, alióquin & tu excidéris. Sed & illi, si non permánserint in incredulitáte, inseréntur: potens est enim Deus íterum insérere illos. Nam si tu ex naturáli excísus es oleástro, & contra natúram insértus es in bonam olívam: quantò magis ii, qui secúndùm natúram inseréntur suæ olívæ? Nolo enim vos ignoráre fratres mystérium hoc, (ut non sitis vobis ipsis sapiéntes) quia cæcitas ex parte cóntigit in Israël, donec plenitúdo Géntium intráret, & sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est: Véniet ex Sion, qui erípiat, & avértat impietátem à Jacob.

℟. *vj.* Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium, & vidébunt omnes fines terræ * Salutáre Dei nostri. ℣. Qui bus non est narrátum de e vidérunt; & quæ non aud runt, contempláti sunt * S lutáre. Glória. ℟. Paráv *Isa.* 52.

IN III. NOCT.

Ant. 5. a. Annuntiavér cæli justítiam Dómini; & dérunt omnes pópuli glóri ejus. *Ps.* 96.

Ant. 8. G. Veníte adorém & procidámus ante Dómin qui fecit nos. *Ps.* 94.

Ant. 7. d * Afférte Dó no pátriæ Géntium; affé Dómino glóriam nómini jus. *Ps.* 95.

℣. Notum fecit Dómin salutáre suum, ℟. In cons ctu Géntium revelávit ju tiam suam. *Ps.* 97.

Léctio sancti Evangélii secún dùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 2.

CUm natus esset Jesus i Béthleem Juda in diéb Heródis Regis, ecce Magi Oriénte venérunt Jerosól mam dicéntes: Ubi est q natus est Rex Judæórum? V dimus enim stellam ejus Oriénte, & vénimus adorá eum. Et réliqua.

Homília S. Bernárdi Abbáti

Serm. 3. *de Epiph.*

SOlémnitas hodiérnæ di ab apparitióne nomen ac cépit. Epiphánia quippe ap parítio est. Hódie ergo Appa-

rítio Dómini celebrátur, non tantùm una, sed trina, sicut à pátribus nostris accépimus. Hódie enim párvulus Rex noster, paucis à nativitáte diébus transáctis, stellâ declaránte, primítiis Géntium appáruit. Hódie quoque, cum jam trigínta fermè in dispensatióne carnis egísset annos (qui secúndùm divinitátem idem ipse est, & anni ejus non deficiünt) inter populáres turbas abscónditus, ad Jordánem baptizándus advénit; sed testimónio Dei Patris innótuit. Hódie nihilóminus cum discípulis suis vocátus ad núptias, vino deficiénte, signo admirábili suæ poténtiæ aquas in vinū mutávit. Sed delectat eam, quæ in infántia Salvatóris facta est, Apparitiónem diligéntiùs intuéri, quóniam & dulcíssima est, & speciáliùs hódie nóscitur celebrári.

℞. vij. Invenérunt púerum cum María matre ejus, & procidéntes adoravérunt eum: * Et apértis thesáuris suis obtulérunt ei múnera, aurum, thus, & myrrham. ℣. Omnes de Saba vénient, aurum & thus deferéntes, & laudē Dómino annuntiántes. * Et. Mat. 2. Is. 60.

Lectio viij.

HOdie ergo, sicut audívimus in Evangélica lectióne, Magi Jerosólymam venérunt ab Oriénte. Méritò sanè ab Oriénte véniunt, qui Solis justítiæ novum nobis ortum annúntiant, qui lætis rumóribus totum mundum illúminant: nisi quòd infelix Judæa quia lucem óderat, ad fulgórem novæ claritátis obtenebrátur, & caligántes óculi ejus coruscánte rádio Solis ætérni multò magis excæcántur. Veniéntes ergo ab Oriénte Magi, quid díxerint audiámus: Ubi est qui natus est Rex Judæórum? Quàm certa fides, & nihil pénitus hæsitans! Non quærunt utrum natus sit: sed fiduciáliter loquúntur, & intérrogant sine dubitatióne, ubi sit qui natus est Rex Judæórum. Porro audíto nómine Regis, Rex Heródes successórem suspicátus, expávit. Nec mirum si turbátur Heródes: sed quòd Jerúsalē cívitas Dei, quæ vísio pacis est, cum Heróde turbátur, quis non mirétur? Vidéte, Fratres, quantum nóceat iníqua potéstas: quómodo caput ímpium subjéctos quoque suæ confórmat impietáti. Mísera planè cívitas in qua regnat Heródes: quóniam Herodiánæ sine dúbio párticeps erit malítiæ, & ad novæ salútis ortum Herodiánâ movébitur turbatióne.

℞. viij. Ubi est qui natus est rex Judæórum? * Vídimus stellam ejus in Oriénte, & vénimus adoráre eum. ℣. Orié-

tur stella ex Jacob, & erit qui dominétur.* Vídimus. *Matth. 2. Num. 24.*

Ex Homília S. Gregórii Papæ. 10. *in Evang.*

Lectio ix.

IN ómnibus signis quæ, vel nascénte Dómino, vel moriénte, monstráta sunt; considerándum nobis est quanta fúerit in quorúmdam Judæórum corde durítia, qui hunc nec per Prophetíæ donum, nec per mirácula agnovérunt. Omnia quippe eleménta auctórem suum venísse testáta sunt. Ut enim de eis quiddam usu humáno loquar, Deum hunc cæli esse cognovérunt, quia prótinùs stellā misérunt. Mare cognóvit, quia sub plantis ejus se calcábile præbuit. Terra cognóvit, quia eo moriénte contrémuit. Sol cognóvit, quia lucis suæ rádios abscóndit. Saxa & paríetes cognovérunt, quia témpore mortis ejus scissa sunt. Inférnus agnóvit, quia hos quos tenébat mórtuos, réddidit. Et tamen hunc quem Dóminum ómnia insensibília eleménta sensérunt, adhuc infidélium Judæórum corda Deum esse mínimè cognóscunt; & duriόra saxis, scindi ad pœniténdum nolunt.

℟. *ix.* Stella quam víderant in Oriénte, antecedébat eos, úsquedum véniens staret supra ubi erat puer. Vidént[es] autem stellam gavísi sunt Gaúdio magno valde. ℣. Et vénient fílii tui colléc[ti] Oriénte usque ad Occid[én]tem, gaudéntes in honór[em] Dei* Gaúdio. Glória. ℟. St[el]la. *Matth. 2. Baruch. 4.*

Post ix. Responsorium, Choro legitur Evangelium, Fa[ctum] est cùm baptizarét[ur] [*Luc. 3.*] *eodem ritu quo* [*in*] *Nativitate Domini.*

Quo finito dicitur, Te Deum laudámus. *pag. 9.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Benedícite gen[tes] Deum nostrum, ℟. Au[dí]tam faciámus vocem laud[is] ejus. *Ps. 65.*

Ant. 8. c. EGo declinábo sup[er] Jerúsalem quasi flú[men] vium pacis, & quasi torrén[tem] inundántem glóriā Géntium. *Is. 66.*

Ant. 1. a. Quómodo po[nam] te in fílios, & tribu[am] tibi hereditátem præclára[m] exercítuum Géntium? *Jer.*

Ant. 3. a. Vide colléctos fílios tuos ab oriénte sole us[que] ad occidéntem in verb[o] sancti. *Baruch. 5.*

Ant. 8. G. Erátis aliquán[do] ténebræ, nunc autem lux in Dómino: ut fílii lucis am[]bouláte. *Ephes. 5.*

Ant. 7. a. Omnes Gentes plaúdite mánibus, jubiláte Deo in voce exultatiónis. *Ps. 46.*

Capitulum. *Osée.* 2. 23.

MIserébor ejus quæ fuit absque misericórdia ; & dicam non-pópulo meo : Pópulus meus es tu : & ipse dicet, Deus meus es tu.

Hymnus. *Prudent.*

O Sola magnárum úrbium
Major Bethlem, cui cóntigit
Ducem salútis cælitus
Incorporátum gignere !
Altríce te, summo Patri
Heres creátur únicus ;
Homo ex Tonántis Spíritu
Idémque sub membris Deus.
Hunc & Prophétis téstibus,
Iisdémque signatóribus,
Testátor & sator jubet
Adíre regnum & cérnere.
Gaudéte quidquid Géntium est,
Judæa, Roma, & Græcia,
Ægypte, Thrax, Persa, Scythæ
Rex unus omnes póssidet.
Qui te revélas Géntibus,
Jesu, tibi sit glória. *&c.*

Quæ Doxologia dicitur in omnibus Hymnis ejusdem metri per totam Octavam.

℣. Ipse est Dóminus Deus, & adorábunt eum ; ℟. Pópuli cõfitebúntur in ætérnũ. *Ps.* 44.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. c. Vocávit nos Deus non solùm ex Judæis, sed étiam ex Géntibus ; allelúia. *Rom.* 9.

Oratio.

DEus qui Unigénitum tuum Géntibus, stellâ duce, revelásti ; concéde propítius, ut qui jam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur ; Per eúmdem.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Ego declinábo. *suprà ad Laud. pag.* 325.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Erátis aliquándo. *suprà in Laud.*

Capitulum. 2. *Tim.* 1.

LIberávit nos Deus, & vocávit vocatióne suâ sanctâ, non secúndùm ópera nostra, sed secúndùm propósitum suum & grátiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora seculária : manifestáta est autem nunc per illuminatiónem Salvatóris nostrî Jesu Christi.

℟. *br.* Illúminet Deus vultum suum super nos ; * Allelúia, allelúia. ℟. Illúminet. ℣. Ut cognoscámus in Géntibus Salutáre suum. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Illúminet. *Ps.* 66.

℣. Cláritas Dei illumínávit Jerúsalem, ℟. Et lucérna ejus est Agnus. *Apoc.* 21.

AD SEXTAM.

Ant. 8. G. Vóluit Deus. *infrà in II. Vesp. pag.* 328.

Capitulum *Is.* 65.

QUæsiérunt me, qui antè non interrogábant : invenérunt qui non quæsiérunt

me. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad Gentem quæ non invocábat nomen meum.

℟. *br.* Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi; * Allelúia, allelúia. ℟. Pópulus. ℣. In audítu auris obedívit mihi. * Allelúia. Glória. ℟. Pópulus.

℣. Dóminus dixit ad me, ℟. Dabo tibi Gentes hereditátem tuam. *Ps.* 17. & 2.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Non est Gentílis. *in II. Vesp.*

Capitulum. *Is.* 49. 8.

DEdi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram, & possidéres hereditátes dissipátas: ut díceres his qui vincti sunt, Exíte; & his qui in ténebris, Revelámini.

℟. *br.* Laudáte Dóminum omnes Gentes, * Allelúia, allelúia. ℟. Laudáte Dóminum. ℣. Laudáte eum omnes pópuli. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Laudáte Dóminum.

℣. Notum fecit Dóminus Salutáre suum; ℟. In conspéctu Géntium revelávit justítiam suam. *Ps.* 116. & 97.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. g. VIta ætérna, quæ erat apud Patrem, manifestáta est, & appáruit nobis. 1. *Joan.* 1.

Ant. 5. f. Qui dixit, de ténebris lumen splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Christi Jesu. 2. *Cor.* 4.

Ant. 8. G. Vóluit Deus notas fácere in Géntibus divítias glóriæ sacraménti hujus, quod est Christus. *Coloss.* 1.

Ant. 7. a. Cantáte Dómino cánticum novum; laus ejus ab extrémis terræ. *Is.* 42.

Ant. 5. a. Non est Gentílis, & Judæus; servus, & liber: sed ómnia, & in ómnibus Christus. *Coloss.* 3.

Capitulum. *Rom.* 15. 8.

DIco Gentes super misericórdia honoráre Deum, sicut scriptum est: Proptéreà confitébor tibi in Géntibus, Dómine, & nómini tuo cantábo. Et íterum dicit: Lætámini Gentes cum plebe ejus.

℟. Lætámini Gentes cum plebe ejus, * Qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. ℣. Vos estis genus eléctum, gens sancta, pópulus acquisitiónis, ut virtútes annuntiétis ejus, * Qui. Glória. ℟. Lætámini. *Rom.* 15. 1. *Petr.* 2.

Hymnus, Hostis Heródes. *pag.* 319.

℣. Læténtur & exúltent Gentes; ℟. Quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & Gentes in terra dírigis. *Ps.* 66.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Vide bonitátem & severitátem Dei: in eos quidem qui ceci-

dérunt severitátem; in te autem bonitátem Dei, si permánseris in bonitáte; alióquin & tu excidéris; allelúia. *Rom.* 11.

Oratio, Deus qui Unigénitum. *ut in Laud. Mat.*

Fit privatim Commemor. S. Luciani Mart. ut in Com. Oratio, Infúnde. *infrà in Laud.*

AD COMPLETORIUM, *ut heri.*

Hymnus, Te lucis, *& per Octavam, cum doxologia*, Qui te revélas Géntibus, *&c.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Allelúia, Parásti lumen ad revelatiónem Géntium; allelúia, & glóriam plebis tuæ Israël, allelúia, allelúia. *Luc.* 2.

Et dicitur per totam Octavam.

DOMINICA INTRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SABBATO, AD VESP.

Ut in Festo Epiphaniæ, præter ea quæ sequuntur.

Oratio, Vota quæsumus Dómine, *infrà, cum Oratione Festi Epiphaniæ sub una conclusione.*

AD VIGILIAS,

Invitatorium, Añæ, ℣. & Responsoria ut in die Epiphaniæ, præter ea quæ sequuntur.

IN I. NOCT.

¶ *Hac nocte & sequentibus intra Octavam, si quæ sint, prætermisso eo quod superest ex Ezechiele Propheta, sumuntur Lectiones de Libro Danielis quæ sequuntur immediatè post Officium de die Octava Epiph.*

℟. *j.* Iste dies observábilis est Dómini: buccináte tubâ in insígni die solemnitátis vestræ, quia præcéptum in Israël est; constitúite diem solémnem in condénsis usque ad cornu altáris: * Gaudéte, & exultáte. ℣. Vóluit Deus notas fácere in Géntibus divítias glóriæ sacraménti hujus, quod est Christus.* Gaudéte. *Exod.* 12. *Ps.* 80. *&* 117. *Coloss.* 1.

℟. *ij.* Dies sanctificátus; *&* ℟. *iij.* Pascha nostrum. *p.* 4.

IN II. NOCT.

Incípit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv.

PAulus vocátus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, & Sósthenes frater, Ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi, sanctificátis in Christo Jesu, vocátis sanctis, cum ómnibus, qui invocant nomen Dómini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsórum, & nostro: Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu; quòd in ómnibus dívites facti estis in illo, in omnì verbo, & in omni sciéntia, sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla grátia, exspectántibus revelatió-

nem Dómini nostri JesuChristi, qui & confirmábit vos usque in finem sine crímine, in die advéntûs Dómini nostri JesuChristi. Fidélis Deus: per quem vocáti estis in societátem fílii ejus Jesu Christi Dómini nostri.

Responsoria ut in 2. Noct. Festi.

Lectio v.

OBsecro autem vos fratres per nomen Dómini nostri Jesu Christi: ut idípsum dicátis omnes, & non sint in vobis schísmata: sitis autem perfécti in eódem sensu, & in eádem senténtia. Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiónes sunt inter vos: Hoc autem dico, quod unusquísque vestrûm dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apóllo: ego verò Cephæ: ego autem Christi. Divísus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nómine Pauli baptizáti estis? Grátias ago Deo, quòd néminē vestrûm baptizávi, nisi Crispum, & Caium: ne quis dicat quòd in nómine meo baptizáti estis. Baptizávi autem & Stéphanæ domum: céterum néscio si quem álium baptizáverim. Non enim misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre: non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidē stultítia est: iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, & prudéntiam prudéntiū reprobábo.

Lectio vj.

UBi sápiens? Ubi scriba? Ubi conquisítor hujus séculi? Nonnè stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiā Deum: plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam & Judæi signa petunt, & Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifixum: Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtútem, & Dei sapiéntiam: quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus: & quod infirmum est Dei, fórtius est homínibus. Vidéte enim vocatiónem vestram fratres, quia non multi sapiéntes secúndùm carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes: & infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: & ignobília mundi & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt,

ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia à Deo, & justítia, & sanctificátio, & redémptio; ut quemádmodum scriptum est: qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 2.*

IN illo témpore, Puer crescébat, & confortabátur, plenus sapiéntiâ: & grátia Dei erat in illo. Et ibant paréntes ejus per omnes annos in Jerúsalem, in die solémni Paschæ. Et cùm factus esset annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndùm consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus; cùm redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem; & non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, & requirébant eum inter cognátos & notos. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Luc.

A Duodécimo anno, ut légimus, Domínicæ súmitur disputatiónis exórdiũ. Hic enim prædicándæ fidei Evangelizántium númerus debebátur. Nec otiósè immemor suórum secúndùm carnem paréntum, qui secúndùm carnem útique sapiéntiâ Dei implebátur & grátiâ.

℟. *vij.* Sapiéntiam sine invídia commúnico: habébo propter hanc honórem apud senióres, * Et fácies príncipum mirabúntur me. ℣. Stupébant omnes qui eum audiébant super prudéntia & respónsis ejus: & vidéntes admiráti sunt; * Et. *Sap. 7. & 8. Luc. 2.*

Lectio viij.

POst tríduum reperítur in templo; ut esset indício quia post tríduum triumphális illíus passiónis in sede cæléśti & honóre divíno fidei nostræ se resurrectúrus offérret, qui mórtuus credebátur. Quid est quòd me quærebátis? Duæ sunt in Christo generatiónes, una est patérna, matérna áltera. Patérna illa divínior, matérna verò quæ in nostrum labórem usúmque descéndit. Et ídeò quæ supra natúram, supra ætátem, supra consuetúdinem fiunt, non humánis assignánda virtútibus, sed divínis referénda sunt potestátibus.

℟. *viij.* In princípio. *p. 249.*

Lectio ix.

[*Nisi sit de Sancto.*]

ET venit Názaret, & erat súbditus illis. Quid enim magíster virtútis nisi officium pietátis impléret? Et mirá-

mur si Patri defert, qui súbditur matri? Non útique infirmitátis, sed pietátis est ista subjéctio. Attóllat licèt sævis emíssus látebris cóluber perfídiæ caput, & serpentínis évomat venéna pectóribus. Cùm dicit se Fílius missum, majórem hæréticus appéllat Patrem, ut imperféctum Fílium dicat, qui potest habére majórem; ut aliénis auxíliis ásserat eum, qui mittitur, indigére: numquid & humáno egébat auxílio, ut matérno servíret império?

℟. ix. Cùm in forma. p. 246

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd. & reliqua ut in die Epiph. pag.* 325.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Dixit mater Jesu ad illum: Fili quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus & ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebátis? nesciebátis quia in his quæ patris mei sunt opórtet me esse. *Luc.* 2.

Oratio.

VOta quæsumus Dómine, supplicántis pópuli cæléstì pietáte proséquere; ut & quæ agénda sunt, vídeant; & ad impléndà quæ víderint, convaléscant.

& Orat. Deus qui Unigénitum tuum. *de Festo Epiphaniæ, pag.* 327. *sub eadem clausula.*

AD PRIMAM; *& ad Horas, Añæ, Capitula ut in Laud. Matut. diei Epiph. &* ℟. *br. item ut in die Epiph.*

AD II. VESPERAS.

Añæ & Capitulum ut in Vesp. Epiph. pag. 328.

Hymnus, Hostis Heród. *pag.* 319.

℣. Dícite in Géntibus, Quia Dóminus regnávit. 95.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. Descéndit Jesus cum eis, venit Názaret, & erat súbditus illis. *Luc.* 2.

Oratio, Vota quæsum. Dómine. *in Laud. & Orat. de Festo Epiphaniæ sub una conclusione.*

DIEBUS INTRA OCTAVAM EPIPHANIÆ, *Semiduplex.*

Omnia ut in Festo Epiph. præter illa quæ qualibet die assignantur infrà. Et non dicitur Responsorium in Vesperis.

AD NOCT. *Añæ,* ℣. *&* ℟. *de Festo juxta Feriam.*

AD LAUD. *&* VESP. *quoque Añæ &c. ut in die.*

DIE VII. JANUARII, DE OCTAVA EPIPH. *Semiduplex.*

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 30.

FActum est verbum Dómini ad me, dicens; Fili hóminis prophéta, & dic: Hæc dicit Dóminus Deus

Ululáte, væ, væ diéi: quia juxta est dies, & appropínquat dies Dómini: dies nubis, tempus Géntium erit. Et véniet gládius in Ægyptum: & erit pavor in Æthiópia, cùm cecíderint vulneráti in Ægypto, & abláta fúerit multitúdo illíus, & destrúcta fundaménta ejus... Hæc dicit Dóminus Deus: Cessáre fáciam multitúdinem Ægypti in manu Nabuchodónosor regis Babylónis. Ipse & pópulus ejus cum eo fortíssimi Géntium adducéntur ad disperdéndam terram: & evaginábunt gládios suos super Ægyptum: & implébunt terram interféctis. Et fáciam álveos flúminum áridos, & tradam terram in manus pessimórum: dissipábo terram, & plenitúdinem ejus manu alienórum, ego Dóminus locútus sum. Hæc dicit Dóminus Deus: Et dispérdam simulácra, & cessáre fáciam idóla de Memphis: & dux de Terra Ægypti non erit ámpliùs: & dabo terrórem in Terra Ægypti. Et effúndam indignatiónem meam super Pelúsium robur Ægypti, & interfíciam multitúdinem Alexándriæ... Proptérea hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ad Pharaónem regem Ægypti, & commínuam bráchium ejus forte, sed confráctum, & dejíciam gládium de manu ejus... Et confortábo bráchia regis Babylónis, & bráchia Pharaónis cóncident: & scient quia ego Dóminus, cùm dédero gládium meum in manu regis Babylónis, & exténderit eum super Terram Ægypti. Et dispérgam Ægyptum in natiónes, & ventilábo eos in terras, & scient quia ego Dóminus.

℟℟. de die Epiphaniæ juxta Feriam. Et sic in seqq.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

Lectio ij. 200. *Bened.*

Ad partum Vírginis adorándum Magi ab Oriénte venérunt. Illis dies iste primus illúxit, anniversáriâ nobis festivitáte rédiit. Illi erant primítiæ Géntium, nos pópulus Géntium. Nobis hoc lingua nuntiávit Apostolórum, stella illis tamquam lingua cælórum: & nobis iídem Apóstoli, tamquam cæli, enarravérunt glóriâ Dei. Magnum sacraméntum: In præsépi jacébat, & Magos ab Oriénte ducébat: Abscondebátur in stábulo, & agnoscebátur in cælo; ut ágnitus in cælo, manifestarétur in stábulo; & appellarétur Epiphánia dies iste, quod latínè Manifestátio dici potest: simul ejus celsitúdinem, humilitatémque comméndans, ut qui in apérto cælo signis sidéreis monstrabátur, in angústo di-

versório quæsitus inveniré-tur ; inválidus infantílibus membris, involútus infantílibus pannis adorarétur à Magis, timerétur à malis.

Lectio iij. de S. Luciano Presb. Antioch. & Mart. Ex Euseb. l. 8. c. 13. & l. 9. c. 6. Chrysost. to. 1. hom. 46. Hieron. Script. Eccl. c. 77. Tillem. to. 5. & Ruinart. p. 560.

LUciánus Présbyter Antiochénus eruditióne clarus fuit & pietáte. Novam edíderat Scripturárum Versiónem, de qua méminit Hierónymus. Nicomédiæ brevi sermóne coram Præside hábito, cúm auditóres ad fidem penè adduxíssct, eódem Præside jubénte in cárcerem abréptus est. Eum post vária, (ut refert sanctus Chrysóstomus) supplícia, Tyránnus longâ fecit inédiâ cruciári: moxque mensam idolóthytis refértam ante conspéctum ejus, ut ad degustándum vehementiùs sollicitarétur, jubet collocári. At impúrum detestátus est ille convívium. Interrogátus quis esset, quanam ex pátria, quibus paréntibus natus; únicum ad ómnia Luciánus respónsum dabat: Christiánus sum; & vitam cum hac voce finiit. Passus est Nicomédiæ in persecutióne Maximíni anno trecentésimo duodécimo.

℟. *iij.* Definívit apud se ut non manducáret immúnda: * Eligens magis mori, quàm cibis coïnquinári immúndis. ℣. Nóluit infríngere legem Dei sanctam, * Eligens. Glória. * Eligens. 1. *Machab.* 1.

IN LAUD. MATUT. *Pro Commemor. S. Luciani, Ant.* 3. 2. Propítius mihi sit Deus: non est enim mihi útile relínquere legem & justítias Dei. 1. *Machab.* 2.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris Dómine, ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93

Oratio.

INfúnde nobis, quæsumus Dómine, illum sanctæ legis tuæ amórem, quo plenus beátus Présbyter Luciánus mori máluit, quàm ei non obedíre: Per Dóminum.

IN VESPERIS *Commemoratio S. Apollinaris, ut in Comm. un. Pontif. p.* XXIX.

Orat. Quæsumus Dómine cleméntiam. *Ibid. p.* XXXV.

DIE VIII. JANUARII,

DE OCTAVA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 32.

FActum est, duodécimo anno, in mense duodécimo, in una mensis, factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis assúme laméntum super Pharaónem regem Ægypti, & dices ad eum: Leóni géntium assimilátus es, & dracóni qui

est in mari : & ventilábas cornu in flumínibus tuis, & conturbábas aquas pédibus tuis, & conculcábas flúmina eárũ. Proptérea hæc dicit Dóminus Deus : Expándam super te rete meum in multitúdine populórum multórum, & éxtraham te in sagéna mea... Quia hæc dicit Dóminus Deus : Gládius regis Babylónis véniet tibi, in gládiis fórtium dejíciam multitúdinem tuam: inexpugnábiles omnes gentes hæ : & vastabunt supérbiam Ægypti, & dissipábitur multitúdo ejus. Cùm dédero Terram Ægypti desolátam : desérétur autem terra à plenitúdine sua, quando percússero omnes habitatóres ejus : & scient quia ego Dóminus. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens : Fili hóminis cane lúgubre super multitúdinem Ægypti : & détrahe eam ipsam, & filias géntium robustárum ad terram últimam cum his, qui descéndunt in lacum. Quo púlcrior es ? descénde, & dormi cum incircumcísis. In médio interfectórũ gládio cadent : gládius datus est, attraxérunt eam, & omnes pópulos ejus. Loquéntur ei potentíssimi robustórum de médio inférni, qui cum auxiliatóribus ejus descendérũt, & dormiérunt incircumcísi, interfécti gládio. Ibi Assur, & omnis multitúdo ejus : in circúitu illíus sepúlcra ejus: omnes interfécti, & qui ceccidérunt gládio : quorum data sunt sepúlcra in novíssimis laci : & facta est multitúdo ejus per gyrum sepúlcri ejus : univérsi interfécti, cadentésque gládio, qui déderant quondam formídinem in terra vivéntium.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Lectio ij. Serm. 6. in Epiph.

Dies, dilectíssimi quo primùm Géntibus Salvátor mundi Christus appáruit sacro nobis honóre venerándus est. Neque enim ita ille eménsus est dies, ut virtus óperis, quæ tunc est reveláta, transíerit, nihílque ad nos nisi rei gestæ fama pervénerit, quam fides susciperet, & memória celebráret : cùm multiplicáto múnere Dei, étiam quotídie nostra experiántur témpora, quidquid illa habuére primórdia. Unde cùm cérnimus hómines mundánæ sapiéntiæ déditos, & à Jesu Christi confessióne longínquos, de profúndo erróris sui edúci, & ad agnitiónem veri lúminis advocári; divínæ procul dúbio grátiæ splendor operátur; & quidquid in córdibus tenebrósis novæ lucis appáret, de ejúsdem stellæ rádiis micat : ut mentes, quas suo fulgóre contígerit, & mi-

ráculo móveat, & ad Deum adorándum præcúndo perdúcat.

Lectio iij. de S. Apollinari Hierapolitano Episc. Ex Euseb. lib. 4. c. 26. & l. 5. c. 19.

CLaúdius Apollinàris, Hierapolitánus in Phrygia Epíscopus sub Marco Aurélio, ut aúdiit in sua Diœcési Montanistárum seu Catáphrygum hæresim exsúrgere, secum súbitò vigínti & sex Epíscopos adscívit, ut conjúnctis víribus & zelo in ipso ortu serpéntem præfocárent. Ibi damnátus & excommunicátus est Montánus cum sua Maximílla. Quod Apollinàris voce incéperat, scriptis absólvit. Contra Gentíles Apológiam fídei Cathólicæ compósuit, quæ míserè fuit depérdita. Multa ália édidit ópera, quorum méminit sanctus Hierónymus in catálogo virórum illústrium. Mortuus est sanctus Apollinàris anno círciter centésimo octogésimo.

℞. iij. Lábia sacerdótis. *p.* xxxij

IN LAUD. MATUT. *Comm. S. Apollinaris p.* xxxv. *Orat.* Quæsumus Dómine, *ibid.*

DIE IX. JANUARII, DE OCTAVA

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 33.

FActum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis lóquere ad fílios pópuli tui, & dices ad eos: Terra cùm indúxero super eam gládium, & túlerit pópulus terræ virum unum de novíssimis suis, & constitúerit eum super se speculatórem; & ille víderit gládium veniéntem super terram, & cecínerit búccinâ, & annuntiáverit pópulo: aúdiens autem, quisquis ille est, sónitum búccinæ, & non se observáverit, veneríque gládius, & túlerit eum: sanguis ipsíus super caput ejus erit. Sonum búccinæ audívit, & non se observávit, sanguis ejus in ipso erit: si autem se custodíerit, ánimam suam salvábit. Quód si speculátor víderit gládium veniéntem, & non insonúerit búccinâ: & pópulus se non custodíerit, veneríque gládius, & túlerit de eis ánimam: ille quidem in iniquitáte sua captus est; sánguinem autem ejus de manu speculatóris requíram. Et tu fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israël: aúdiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. Si me dicénte ad ímpium: Impie, morte moriéris: non fúeris locútus ut se custódiat ímpius à via sua; ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem annuntiánte te ad ímpium ut à viis suis convertátur, non

fúerit cōvérsus à via sua, ipse in iniquitáte sua moriétur: porro tu ánimā tuam liberásti.

Lectio ij.

TU ergo fili hóminis dic ad domum Israël: Sic locúti estis, dicéntes: Iniquitátes nostræ, & peccáta nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabéscimus: quómodo ergo vívere potérimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: nolo mortem ímpii, sed ut convertátur ímpius à via sua, & vivat. Convertímini, convertímini à viis vestris péssimis: & quare moriémini domus Israël? * Tu ítaque fili hóminis dic ad fílios pópuli tui: Justítia justi non liberábit eum in quacúmque die peccáverit: & impíetas ímpii non nocébit ei, in quacúmque die convérsus fúerit ab impietáte sua: & justus non póterit vívere in justítia sua, in quacúmque die peccáverit. Etiam si díxero justo quòd vitâ vivat, & confísus in justítia sua fécerit iniquitátem: omnes justítiæ ejus oblivióni tradéntur, & in iniquitáte sua, quam operátus est, in ipsa moriétur. Si autem díxero ímpio: Morte moriéris: & égerit pœniténtiam à peccáto suo, fecerítque judícium & justítiam, & pignus restitúerit ille ímpius, rapinámque reddíderit, in mandátis vitæ ambuláverit, nec fécerit quidquam injústū: vitâ vivet, & non moriétur. Omnia peccáta ejus, quæ peccávit, non imputabúntur ei: judícium & justítiam fecit, vitâ vivet.

Sermo S. Fulgéntii Epíscopi.

4. *De Epiphania.*

Lectio iij.

QUis est iste Rex Judæórum? Pauper, & dives; húmilis, & sublímis. Quis est iste Rex Judæórum, qui portátur ut párvulus, adorátur ut Deus? Párvulus in præsépio, imménsus in cælo; vilis in pannis, pretiósus in stellis; cujus nativitáte compértâ, Heródes turbátus est. Quid est quod sic turbáris Heródes? Rex iste qui natus est, non venit reges pugnándo superáre, sed moriéndo mirabíliter subjugáre: nec ídeo natus est, ut tibi succédat; sed ut in eum mundus fidéliter credat. Venit ergo, non ut pugnet vivus, sed ut triúmphet occísus. Puer iste qui nunc à Magis dícitur Rex Judæórum, idem Creátor est & Dóminus Angelórum. Quaprópter cujus times infántiam nascéntis, magis timére debes omnipoténtiam judicántis. Noli eum timére regni tui successórem, sed time infidelitátis tuæ justíssimū damnatórem.

℟. iij. Cúm natus esset Jesus, ecce Magi ab Oriénte ve-

nérunt Jerósólymam,* Dicéntes: Ubi est qui natus est rex Judæórum? ℣. Vénient pópuli multi & gentes robústæ ad quæréndum Dóminum exercítuum in Jerúsalem,* Dicéntes. Glória.* Dicéntes. *Mat. 2. Zachar. 8.*

IN VESPERIS, *fit Commemorátio de S. Paulo Eremita per Ant.* 4. E. Secéssit in desértum locum; ibíque demorabátur, ne fíeret párticeps coinquinatiónis. 2. *Machab.* 5.

℣. Elongávi fúgiens, ℟. Et mansi in solitúdine. *Ps.* 54.

Oratio, Deus, cujus grátiâ. *infrà. pag.* 340.

DIE X. JANUARII,
DE OCTAVA.
De Ezechiéle Prophéta.
Lectio j. Cap. 34.

FActum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis prophéta de pastóribus Israël: prophéta, & dices pastóribus: Hæc dicit Dóminus Deus: Væ pastóribus Israël, qui pascébant semetípsos: nonne greges à pastóribus pascúntur. Lac comedebátis, & lanis operiebámini, & quod crassum erat occidebátis: gregem autem meum non pascebátis. Quod infirmum fuit non consolidástis, & quod ægrótum non sanástis, quod confráctum est non alligástis, & quod abjéctum est non reduxístis, & quod períerat non quæsístis: sed cum austeritáte imperabátis eis, & cum poténtia. * Et dispérsæ sunt oves meæ, eo quòd non esset pastor: & factæ sunt in devoratiónem ómnium bestiárum agri, & dispérsæ sunt. Erravérunt greges mei in cunctis móntibus, & in univérso colle excélso: & super omnem fáciem terræ dispérsi sunt greges mei, & non erat qui requíreret, non erat, inquam, qui requíreret.* Proptéreà pastóres, audíte verbum Dómini: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapínam, & oves meæ in devoratióne ómnium bestiárum agri, eo quòd non esset pastor: neque enim quæsiérunt pastóres mei gregem meum, sed pascébant pastóres semetípsos, & greges meos non pascébant, hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse super pastóres requíram gregem meum de manu eórum, & cessáre fáciam eos ut ultrà non pascant gregem, nec pascant ámpliùs pastóres semetípsos: & liberábo gregem meum de ore eórum, & non erit ultrà eis in escam. Quia hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas, sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum:

sic visitábo oves meas, & liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis & calíginis.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

Lectio ij. 200. *edit. Ben.*

HÆc Magórum illuminátio magnum testimóniũ cæcitátis éxstitit Judæórum. In terra eórũ isti requirébant, quem illi in sua non agnoscébant. Apud eos isti infántem invenérunt, quem illi apud se docéntem negavérunt. In his terris de longínquo isti peregríni púerum Christum nondum verba proméntem adoravérunt, ubi cives illi júvenem mirácula faciéntem crucifixérunt. Isti in membris parvis Deum agnovérunt; illi in factis magnis, nec tamquam hómini pepercérunt: quasi plus fúerit vidére novam stellam in ejus Nativitáte fulgéntem, quàm solem ejus in morte lugéntem.

Ex Libro S. Hierónymi Presbyteri de Vita S. Pauli Eremítæ.

Lectio iij.

SUb Décio & Valeriáno persecutóribus multas apud Ægyptum & Thebaïdem ecclésias tempéstas sæva populáta est. Paulus annórum círciter quíndecim, mansuéti ánimi, Deum valde amans, ad móntium desérta confúgiens, dum persecutiónis finem præstolarétur, réperit sáxeum montem, ad cujus radícem haud procul erat grandis spelúnca in qua omnem in oratiónibus & solitúdine duxit ætátem. Cibum & vestiméntum ei palma præbébat. Sed cùm jam centum & trédecim annos Paulus vitam cæléstem ágeret in terris, Antónium nonagenárium qui in ália solitúdine morabátur, ad se veniéntẽ suscépit; intérque sermocinatiónes suspíciunt corvum qui íntegrum panem ante ora mirántium depósuit, cùm Paulo dimídii tantùm panis fragméntum deférre soléret. Immolántes Deo sacrifícium laudis noctem transegére vigíliis. Cùmque jam esset terræ rédditus dies, beátus Paulus ad Antónium sic locútus est: Tu missus es à Dómino, qui humo corpúsculum meum tegas: quamóbrem quæso perge ad monastérium, & pállium quod tibi Athanásius Epíscopus dedit, ad involvéndum corpúsculum meum defer. Antónius regréssus, & introgréssus spelúncam vidit genículis complicátis, eréctâ cervíce, extensísque in altum mánibus, corpus Pauli exánime. Igitur obvolúto & proláto foràs córpore, cùm hymnos & psalmos de Christiána traditióne decantásset, duo leónes ex erémo curréntes cœpérunt humum pédibus scálpere, are-

námque certátim egeréntes, unius hóminis capácem locũ fodérunt, in quo Antónius sanctum corpus depósuit. Túnicam autem Pauli sibi vindicávit, quam in sportárum modum de palmæ fóliis ipse sibi contexúerat, hácque diébus solémnibus Paschæ & Pentecóstes Antónius semper vestítus est.

℞. *iij.* Ut scirent filii tui, quos dilexísti Dómine, quóniam non nativitátis fructus pascunt hómines, * Parátum panem præstitísti illis sine labóre. ℣. Ut nutriréntur justi, quibus dignus non erat mundus, in solitudínibus errántes, in móntibus, & speluncis, & cavérnis; * Parátum. Glória. * Parátum. *Sap.* 16. *Hebr.* 11.

In Laud. Mat. *pro Commemoratione de S. Paulo Eremita,*

Ant. 8. *G.* Recéde & abscóndere, de torrénte bibes; corvísque præcépi ut pascant te. 3. *Reg.* 17.

℣. Jacta super Dóminum curam tuam, ℞. Et ipse te enútriet. *Ps.* 54.

Oratio.

Deus, cujus grátiâ beátus Paulus prudénti fugâ salúti suæ consulens, máluit facultátibus suis spoliári, quàm Christo; quæsumus, ut purificátis ab omni terrenórũ cupiditáte méntibus, te solo dívites esse velímus; Per eúmdem.

In Vesperis, *Fit Commem. S. Paulini Aquilegiensis Episc. per Ant.* Suscitábo. ℣. Elegit. *pag.* xxix. *Orat.* Quæsumus Dómine. *pag.* xxxv.

Die XI. Januarii.

DE OCTAVA.

De Ezechiéle Prophéta.

Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Pepérci nómini sancto meo, quòd pollúerat domus Israël in Géntibus, ad quas ingréssi sunt. Idcircò dices dómui Israël; hæc dicit Dóminus Deus: Non propter vos ego fáciam, domus Israël, sed propter nomen sanctum meum, quod polluístis in Géntibus ad quas intrástis. Et sanctificábo nomen meum magnum, quod pollútum est inter Gentes, quod polluístis in médio eárum: ut sciant Gentes quia ego Dóminus, ait Dóminus exercítuum, cùm sanctificátus fúero in vobis coram eis. Tollam quippè vos de Géntibus, & congregábo vos de univérsis terris, & addúcam vos in terram vestram. * Et effúndam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, & ab univérsis idólis vestris mundábo vos. Et dabo vobis cor novum, & spíritum novum ponam in médio vestri: & aúferam cor lapídeum de carne vestra, & dabo vobis cor cárneum. Et

ſpíritum meum ponam in médio veſtrî: & fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, & judícia mea cuſtodiátis, & operémini. Et habitábitis in terra, quam dedi pátribus veſtris; & éritis mihi in pópulum, & ego ero vobis in Deum. * Et ſalvábo vos ex univérſis inquinaméntis veſtris; & vocábo fruméntum, & multiplicábo illud, & non impónam vobis famem. Et multiplicábo fructum ligni, & genímina agri, ut non portétis ultrà oppróbrium famis in Géntibus. Et recordabímini viárum veſtrárum peſſimárum, ſtudiorúmque non bonórum, & diſplicébunt vobis iniquitátes veſtræ, & ſcélera veſtra. Non propter vos ego fáciam, ait Dóminus Deus, notum ſit vobis: confundímini, & erubéſcite ſuper viis veſtris, domus Iſraël.

Sermo S. Máximi Epíſcopi. *Homil. 1. de Epiphania.*

Lectio ij.

IN hac, dilectíſſimi, celebritáte, ſicut relátu patérnæ traditiónis inſtrúimur, multíplici nobis eſt feſtivitáte lætándum. Ferunt enim hódie Chriſtum Dóminum noſtrum, vel ſtellâ duce à Géntibus adorátum; vel invitátum ad núptias aquas in vina vertíſſe; vel ſuſcépto à Joánne baptíſmate conſecráſſe fluénta Jordánis, ſuúmque ſimul purificáſſe Baptiſtam. Sed quid potíſſimum præſénti hoc factum ſit die, nóverit ipſe qui fecit: nos tamen crédere nec dubitáre debémus, quidquid illud eſt, factũ eſſe pro nobis. Nam quòd eum fulgentióris ſtellæ rádiis incitáti adoravére Chaldæi, Deum verum Géntibus ſpes data eſt adorándi. Quòd aquæ novo ſunt órdine in vina mutátæ; novi nobis póculi prælibátum eſt ſacraméntum. Quòd autem baptizátus eſt Agnus Dei, regenerántis baptiſmi ſalutáre nobis munus eſt dedicátum. Opórtet ítaque nos, fratres, ad honórem Salvatóris noſtri, cujus Nativitátem débita nuper cum exultatióne tranſégimus, omni cum devotióne étiã hunc virtútum ejus celebráre natálem.

Lectio iij. de S. Paulino Aquil. Epiſc.

Ex Epiſtolis Alcuini, & Annal. Francor. to. 2.

PAulínus Aquilegiénſium converſióni allaboráſſe non conténtus, in álias regiónes ubi tunc Chunni & Avari ſedes ſuas ſtabilíerant perréxit, uſque ad Alpes lumen Evangélii déferens. Non minóre zelo contra ſui témporis hæreſes, atque in primis contra Elipándum & Felícem, qui Neſtórii hæreſim renovábant, ſed & luculentióribus ſcriptis inſurréxit. Imménſis tandem

labóribus defúnctus pacíficè móritur anno octingentésimo secúndo.

℟. iij. Lábia Sacerdótis. p. xxxij.

In Laud. Mat. *Fit Commemoratio S. Paulini; Orat.* Quæsumus Dómine. *pag.* xxxv.

In Vesp. fit Commemoratio S. Guillelmi Episc. Bituric.

Die XII. Januarii.

DE OCTAVA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 44. v. 5.

Dixit ad me Dóminus: Fili hóminis pone cor tuum, & vide óculis tuis, & áuribus tuis audi ómnia, quæ ego loquor ad te de univérsis ceremóniis domûs Dómini, & de cunctis légibus ejus: & pones cor tuum in viis templi per omnes éxitus sanctuárii. Et dices ad exasperántem me domum Israël; hæc dicit Dóminus Deus: Sufficiant vobis ómnia scélera vestra domus Israël; eò quòd inducitis fílios aliénos incircumcísos corde, & incircumcísos carne, ut sint in sanctuário meo, & pólluant domum meam; & offértis panes meos, ádipem, & sánguinem: & dissólvitis pactum meum in ómnibus sceléribus vestris; & non servástis præcépta sanctuárii mei: & posuístis custódes observatiónum meárum in sanctuário meo vobismetípsis. * Sacerdótes autem & Levitæ filii Sadoc, qui custodiérunt ceremónias sanctuárii mei, cùm errárent filii Israël à me, ipsi accédent ad me ut minístrent mihi: & stabunt in conspéctu meo, ut ófferant mihi ádipem, & sánguinem, ait Dóminus Deus. Ipsi ingrediéntur sanctuárium meum, & ipsi accédent ad mensam meam ut minístrent mihi, & custódiant ceremónias meas. Cúmque ingrediéntur portas átrii interióris, véstibus líneis induéntur. * Cúmque egrediéntur átrium extérius ad pópulum, éxuent se vestiméntis suis, in quibus ministráverant, & repónent ea in gazophylácio sanctuárii, & véstient se vestiméntis áliis: & non sanctificábunt pópulum in véstibus suis. Caput autem suum non radent, neque comam nútrient: sed tondéntes attóndent cápita sua. Et vinum non bibet omnis sacérdos, quando ingressúrus est átrium intérius... Et pópulum meum docébunt quid sit inter sanctum & pollútum, & inter mundum & immúndum osténdent eis. Et cùm fúerit controvérsia, stabunt in judíciis meis, & judicábunt: leges meas, & præcépta mea in ómnibus solemnitátibus meis custódient, & sábbata mea sanctificábunt.

Sermo S. Fulgéntii Epíscopi.
4. De Epiphania.
Lectio ij.

TRáditum tenémus à Pátribus quòd Unigénitus Dei postquàm est secúndùm carnem temporáliter natus, est Magis veniéntibus manifestátus, à quibus, oblátis munéribus, suppliciter est adorátus. Nam quia ipse est Deus qui sibi in véteri testaménto primítias offérri mandávit; idem Deus homo natus, Géntium primítias suo cúltui dedicávit. Pastóres fuérunt primítiæ Judæórum, Magi facti sunt primítiæ Géntium. Illi de próximo addúcti, isti de longínquo redúcti. Quid est, fratres, ut isti Magi Regem Judæórum adorándum quærerent, cùm ipsi Judæi non essent? Et quem Regem? Utique non Heródem, sed Christum. Nam de Heróde rege Judæórum filii jam fúerant nati, qui erant patre mórtuo regnatúri. Mórtuo enim isto Heróde, Archeláüs in Judæa regnávit. Archeláüs natus est in palátio, Christus in diversório. Archeláüs natus, in lecto est argénteo pósitus; Christus autem natus, in præsépio est collocátus. Et tamen ille natus in palátio, contémnitur; iste natus in diversório, quæritur; ille à Magis nullátenus nominátur, iste invéntus suppliciter adorátur.

Lectio iij. de S. Guillelmo.
Ex ejus Vita apud Bollandum.

GUillélmus illústri prosápiâ natus, óptimis disciplínis moribúsque imbútus, Suessióne primò, tum Parísiis factus Canónicus relícto sǽculo ad Grandimonténsem erémum, deínde ad Ordinem Cisterciénsem se cóntulit. Factus Abbas Fontis-Joánnis, póstea Carolíloci, defúncto Henríco Bituricénsi Archiepíscopo, in ejus successórem eléctus est invítus. Monásticum hábitum non depósuit: carnem ut ánteà aspérrimo cilício afflíxit, & cárnium esu se abstínuit. Egénis, órphanis, víduis nunquam ope défuit. Humilitátem summópere cóluit. In ipsis Pontificátûs inítiis multa advérsa pértulit tam à láïcis, quàm ab ipsis suæ Ecclésiæ Cléricis. At vitæ sanctimóniâ & mansuetúdine ánimos adversariórum ita immutávit, ut qui priùs inféssti fúerant, eum summè dilígerent ac veneraréntur. Obitûs sui diem imminére intélligens, prídie Epipháníæ Dómini febre acutíssimâ labórans, cùm ad pópulum conciónem habuísset, sub hoc verbórum thémate, Hora est jam nos de somno súrgere, datâ benedictióne ei valedíxit. Inde verò Extrémæ-unctiónis

& sacrosánctæ Eucharístiæ Sacraménta popóscit: ac tandem in cínere & cilício jacens, ánimam Deo réddidit quarto Idus Januárii anno salútis millésimo ducentésimo octávo. Multis ante & post mortem miráculis cláruit; ac nono pòst anno ab Honório tértio sanctórum catálogo adscríptus est.

℟. *iij.* Quis est fidélis. *pag.* xxxiij.

Oratio, Quæsumus Dómine. *pag.* xxxv.

DIE XIII. JANUARII.

IN OCTAVA EPIPHAN. ET BAPTISMO DOMINI,

Duplex majus.

¶ [*Si cum Dominica concurrat dies Octavus Epiphaniæ, fiet de eo Officium, cum Commemoratione Dominicæ, per Ant.* ℣. *& Orationem in utrisque Vesperis & in Laudibus, ac per ix. Lectionem Evang. & Homil. cum suo* ℟. *vij. ac* Glória Patri.]

AD I. VESPERAS.

Ant. 4. E. Erit fons patens dómui David & habitántibus Jerúsalem in ablutiónem peccatóris. *Zach.* 13.

Ant. 1. A. Et erit in die illa, Dispérdam nómina idolórum, & spíritum immúndum aúferam de terra. *Ibid.*

Ant. 8. c. Effúndam super domum David & super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ. *Zach.* 12.

Ant. 6. F. Et exíbunt aquæ vivæ de Jerúsalem; & erit Dóminus rex super omnem terram. *Zach.* 14.

Ant. 8. G. Aquæ inundábunt, & delébitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inférno non stabit. *Is.* 28.

Capitulum. 1. *Cor.* 10.

Nolo vos ignoráre, fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, & omnes mare transiérunt, & omnes in Móyse baptizáti sunt in nube & in mari.

Hymnus. *S. Ambros.*

Illúminans Altíssimus
Micántium astrórũ globos;
Pax, vita, lumen, véritas,
Jesu, fave precántibus.

Seu mystico baptísmate
Fluénta Jordánis retro
Convérsa quondam tértio
Præsénte sacráris die.

Seu stellâ partum Vírginis
Cælo micans signáveris.
Et hâc adorátum die
Præsépe Magos dúxeris;

Vel hydriis plenis aquæ
Vini sapórem infúderis:
Hausit minister cónscius
Quod ipse non impléverat,

Aquas colorári videns,
Inebriáre flúmina;
Mutáta eleménta stupent
Transíre in usus álteros.

Mundi scelus qui díluis,
Jesu, tibi sit glória,

Cum Patre & almo Spíritu
In sempitérna sǽcula. Amen.

℣. Spíritus Dei ℟. Ferebátur super aquas. *Gen.* 1.

Ad Magnificat, *Ant.* 2. *to.* Dóminus factus est in salútẽ: hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris. *Is.* 12.

Oratio, Deus, cujus Unigénitus. *ut infrà in Laud. Mat.*

AD VIGILIAS,

Invitatorium, Jesum baptizátum & orántem * Veníte adorémus. *Luc.* 3.

Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

Hymnus.

CLamántis ecce vox sonans
Desérta Judǽæ quatit:
Mox ad Joánnem cónfluunt,
Quos críminũ moles gravat.

Et ipse permístus reis,
Accédit Agnus ínnocens;
Agnus, suo qui sánguine
Delébit orbis crímina.

Sub nube carnis at suum
Lucérna solem détegit:
Lymphis nec audet tíngere,
A quo lavári débuit.

Parére sed fas est Deo,
Et quando sese déprimit:
Agnósce Præcúrsor tibi
Intus revélat quem Deus.

Lavácra puri gúrgitis
Cæléstis Agnus áttigit;
Peccáta quæ non détulit,
Nos abluéndo sústulit.

Mundi scelus qui díluis,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In sempitérna sǽcula. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 3. c. Convértit me Dóminus ad portam domûs; & ecce aquæ redundántes à látere dextro. *Ezech.* 47.

Ant. 1. *a.* Et ait ad me: Exíbunt, & sanabúntur aquæ; & omnis ánima, quocúmque vénerit torrens, vivet. *Ibid.*

Ant. 8. *G.* Patres nostri omnes in Móyse baptizáti sunt in nube & in mari. 1. *Cor.* 10.

℣. Ponam in mari manum ejus, ℟. Et in flumínibus déxteram ejus. *Ps.* 88.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente ex Daniele Propheta, infrà post Octavam.

℟. j. Salvábo vos ex univérsis inquinaméntis vestris; * Et éritis mihi in pópulum, & ego ero vobis in Deum. ℣. Fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis; * Et. *Ezech.* 36.

℟. ij. Aquæ inundábunt, & delébitur fœdus vestrum cum morte, * Et pactum vestrum cum inférno non stabit. ℣. Quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis; * Et pactum. *Is.* 28. *Galat.* 3.

℟. iij. Elégit nos Deus in Christo, ut essémus sancti & immaculáti in conspéctu ejus in caritáte,* Qui prædestinávit nos in adoptiónem filió-

rum, per Jesum Christum in ipsum. ℣. Ablúti estis, sanctificáti estis in nómine Dómini Jesu Christi, & in Spíritu Dei nostri, * Qui. Glória. * Qui. *Ephes.* 1. 1. *Cor.* 6.

IN II. NOCT.

Ant. 1. a. Fuit Joánnes in desérto baptízans, & prædicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. *Marc.* 1.

Ant. 2. to. Exíbat ad eum omnis Jerosólyma, & omnis Judæa, & omnis régio circa Jordánem. *Matth.* 3.

Ant. 2. to. Baptizabántur ab eo in Jordáne confiténtes peccáta sua. *Matth.* 3.

℣. In mari via tua, ℟. Et sémitæ tuæ in aquis multis. *Ps.* 76.

Sermo S. Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv. Orat. 39. 27.

CHristi Nativitátē prius aptâ solemnitáte celebrávimus: cum stella cucúrrimus, cum Magis adorávimus, cum pastóribus luce circumfúsi sumus, cum Angelis divínam glóriā prædicávimus. Nunc verò ália Christi áctio, áliud mystérium séquitur. Cohibére non possum lætítiæ voluptátem, sed mente extóllor, & affícior, & própriæ pusillitátis oblítus, officium magni Joánnis, immò pótius famulátum subíre conténdo, ac géstio: & licèt non sim præcúrsor, de erémo tamen vénio. Christus ergo illuminátur, immò pótiùs fulgóre suo nos illúminat: Christus baptizátur, simul & nos descendámus, ut cum ipso páriter ascendámus. Nec verò hoc solùm quòd Christus baptizátur, sed ália quoque spectánda sunt, nimírum quis, à quo, & quando; purus scílicet à Joánne; & cùm signórum edendórum inítium facit.

℟. iv. Abstulit Dóminus sicut oves pópulum suum, * Et dedúxit eos in spe, & non timuérunt, & inimícos eórum opéruit mare. ℣. Omnes in Móyse baptizáti sunt, in nube & in mari, * Et dedúxit. *Ps.* 77. 1. *Cor.* 10.

Lectio v.

CEterùm Joánnes baptízat, accédit Jesus, fortè quidem sanctificatúrus & Baptístam, manifésté autem ut totum véterem Adam sepéliat in aquis; ante hos verò & propter hos Jordánem, nimírum ut spíritus & caro erat, sic étiam per Spíritum & aquam inítians. Non admíttit Baptísta, Jesus certat. Ego à te débeo baptizári, dicit lucérna soli, vox Verbo, amícus sponso; inter natos mulíerum major, primogénito omnis creatúræ; is qui à matérno ventre præsultáverat ei qui in ventre ado-

rátus fúerat; Præcúrsor & præcursúrus ei qui apparúerat & apparitúrus erat.

℟. v. Hic est qui venit per aquam & sánguinem Jesus Christus,* Et Spíritus est qui testificátur quóniam Christus est véritas. ℣. Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei majus est, * Et. 1. *Joan.* 5.

Lectio vj.

Ascéndit Jesus ex aqua; mundum enim secum in altum effert, ac cælos quos Adam claúserat & sibi & pósteris, quemádmodum & flámmeo gládio paradísum, findi atque aperíri cernit. Ac Spíritus testimónium pérhibet divinitátis, ad símilem enim accúrrit. Et vox cælitùs míttitur; illic enim erat is de quo testimónium perhibebátur: Et ut colúmba Spíritus appáret; à multis enim séculis colúmba dilúvii finem nuntiáre consuévit. Nos ígitur hódie Christi baptísmum venerémur, ac festum honéstè celebrémus, non ventris delíciis óperam dantes, sed spirituáliter nos oblectántes. Lavámini, mundi estóte. Si peccáto rubri estis, ac propè sanguínei, quasi nix dealbámini, & purgámini; nullâ enim re Deus perínde delectátur, ut hóminis resipiscéntiâ & salúte, pro quo omnis sermo & ómnia mystéria.

℟. vj. Effúndam super vos aquam mundam, & * Mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris. ℣. Aspérsi corda à consciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ, * Mundabímini. Glória.* Mundabímini. *Ezech.* 36. *Hebr.* 10

IN III. NOCT.

Ant. 4. E. Cum baptizarétur omnis pópulus, venit Jesus à Galilæa ad Joánnem, ut baptizarétur ab eo. *Luc.* 3. *Matth.* 3.

Ant. 8. G. Joánnes autem prohibébat eum, dicens: Ego à te débeo baptizári; & tu venis ad me. *Matth.* 3.

Ant. 5. a. Respóndens Jesus dixit ei: Sine modò; sic enim decet nos implére omnem justítiam. Tunc dimísit eum. *Matth.* 3.

℣. Visitásti terram, ℟. Et inebriásti eam. *Ps.* 64.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 3.

In illo témpore; Venit Jesus à Galilæa in Jordánem ad Joánnem, ut baptizarétur ab eo. Joánnes autem prohibébat eum, dicens: Ego à te débeo baptizári, & tu venis ad me? Respóndens autem Jesus, dixit ei: Sine modo; sic enim decet nos implére omnem justítiam. Tunc dimísit eum. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi

Tract. 5. in Joan.

QUare oportébat baptizári Christum? quare opórtuit nasci Christũ? quare opórtuit crucifígi Christum? Si enim viam humilitátis demonstratúrus advénerat, & se-ipsum factúrus ipsam humilitátis viam; in ómnibus ab eo implénda erat humílitas. Autoritátem dare baptísmo suo hinc dignátus est, ut cognóscerent servi, quantâ alacritáte debérent cúrrere ad baptísmum Dómini, quando ipse non dedignátus est suscípere baptísmum servi. Donátum enim erat hoc Joánni, ut ipsíus baptísmus dicerétur.

℟. vij. Ego baptízo vos in aqua in pœniténtiam: qui autem post me ventúrus est, * Ipse vos baptizábit in Spíritu sancto & igni. ℣. Si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion in spíritu judícii, & spíritu ardóris, * Ipse. *Matth. 3. Is. 4*

Lectio viij.

SEd quare non solus ipse baptizátus est à Joánne, si ad hoc missus erat Joánnes, per quem baptizarétur Christus, ut paráret viam Dómino, id est ipsi Christo? si solus Dóminus baptizátus esset baptísmo Joánnis, non deéssent qui sic eum habérent, ut putárent baptísmum Joánnis majórem esse, quàm est baptísmus Christi. Dícerent enim, Usque ádeo illud baptísma majus est, ut solus Christus eo baptizári meruísset. Ergo ut darétur nobis à Dómino exémplum humilitátis, ad percipiéndam salútem baptísmatis, Christus suscépit quod ei opus non erat; sed propter nos opus erat. Et rursus, ne hoc ipsum quod accépit à Joánne Christus, præponerétur baptísmati Christi, permíssi sunt & álii baptizári à Joánne; sed qui baptizáti sunt à Joánne, non eis suffécit; baptizáti sunt enim baptísmo Christi.

℟. viij. Jesu baptizáto & oránte apértum est cælum; * Et descéndit Spíritus sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum. ℣. Requiéscet super eum Spíritus Dómini, & replébit eum. * Et descéndit. *Luc. 3. Is. 11.*

Lectio ix.

Tract. 6. in Joann.

HIc est qui baptízat in Spíritu sancto. Petrus baptízet; hic est qui baptízat: Paulus baptízet; hic est qui baptízat. Nam si pro diversitáte meritórum, baptísma sanctum est; quia divérsa sunt mérita, divérsa erunt baptísmata: & tantò quisque áliquid mélius putátur accípere, quantò à melióre vidétur accepísse; sunt álii áliis sanctió-

res, sunt álii áliis melióres. Quare ergo si unus ab illo, verbi grátiâ, justo, sancto, baptizétur, álius ab álio inferióris mériti apud Deum, inferióris gradûs, inferióris continéntiæ, inferióris vitæ; unum tamen, & par, & æquále est quod accepérunt, nisi quia hic est qui baptízat.

℟. ix. Ecce vox de cælis, dicens: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui. ℣. Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit; * Hic. Glória. ℟. Ecce. *Luc.* 3. *Matth.* 3. *Ps.* 28.

Te Deum.

Ad Laudes Matutinas.

℣. Ecce Agnus Dei, ℟. Ecce qui tollit peccátum mundi. *Joan.* 1.

Ant. 1. G. OMnes filii Dei estis per fidem; quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis. *Gal.* 3.

Ant. 7. a. Renáti estis non ex sémine corruptíbili, sed incorruptíbili per verbum Dei vivi, & permanéntis in ætérnum. 1. *Petr.* 1.

Ant. 7. b. Deus dilúvium mundo impiórum indúcens, octávum Noë justítiæ præcónem custodívit. 2. *Petr.* 2.

Ant. 6. F. Transiérunt patres nostri per médium maris in sicco, & in colúmna nubis ductor eórum fuísti, Dómine. 2. *Esdr.* 9.

Ant. 5. f. In uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus. 1. *Cor.* 12.

Capitulum. *Ephes.* 5.

CHristus diléxit Ecclésiam, & seípsũ trádidit pro ea, ut illã sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ.

Hymnus.

EMérgit undis, & Deo
Fundit preces homo Deus:
Patet polórum régia;
Adest repénte Spíritus.

Instar colúmbæ, vértici
Illápsus ínsidet sacro;
Summi Patris vox pérsonat:
Diléctus hic est Fílius.

Christi dicáta córpore,
Sic quem lavácra cónsecrant;
Hic náscitur proles Dei;
Cælum precánti pánditur.

Castis fit ac innóxiis
Colúmba simplex móribus;
Divínus hunc intus regit,
Agit, fovétque Spíritus.

Fac Christe, fac Deus potens,
Lotos tuis in fóntibus,
Tuo cruóre cándidos,
Ut nulla labes ínquinet.

Cælo renátos, ómnia
Terréna da contémnere;
Fixísque mens obtútibus,
Apérta spectet sídera.

Mundi scelus qui díluis. &c. ut suprà ad Vigilias.

℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, ℟. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. *Ps.* 45.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Ablúti estis, sanctificáti estis in nómine Dómini Jesu Christi. 1. *Cor.* 6.

Oratio.

DEus, cujus Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit, præsta, quæsumus, ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus, intus reformári mereámur; Qui tecum.

In Hymnis Horarum & Completorii diciturDoxologia, Mundi scelus qui díluis. *ut suprà ad Vigilias.*

AD PRIMAM.

Ant. 1. *G.* Omnes. *suprà in Laud.*

AD TERTIAM.

Ant. 1. a. Consepúlti sumus cum Christo per baptísmum in mortem; ut quómodo Christus surréxit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. *Rom.* 6.

Capitulum. 1. *Petr.* 2. 2.

SIcut modò géniti infántes, rationábile sine dolo lac concupíscite; ut in eo crescátis in salútem.

℟. *br.* Vidéte qualem caritátem dedit nobis Deus; * Allelúia, allelúia. ℟. Vidéte. ℣. Ut filii Dei nominémur & simus, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Vidéte.

℣. Multiplicábit semen vestrum; ℟. Et augébit increménta frugum justítiæ vest[...] 1. *Joan.* 3. 2. *Cor.* 9.

AD SEXTAM.

Ant. 7. b. Deus.

Capitulum. 1. *Petr.* [...]

IN diébus Noë pauci, [...] octo ánimæ salvæ factæ [...] per aquam; quod & vos n[...] símilis formæ salvos faci[...] ptísma.

℟. *br.* Dóminus dilúv[...] inhabitáre facit. * Allel[...] allelúia. ℟. Dóminus. ℣. [...] sedébit Dóminus rex in æ[...] num; * Allelúia, allelúia. G[...] ria Patri. ℟. Dóminus. *Ps[...]*

℣. Deus octávum Noë [...] stodívit, ℟. Dilúvium m[...] do indúcens. 2. *Petr.* 2.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Transiérunt.

Capitulum. 1. *Cor.* 10. [...]

NOlo vos ignoráre, fr[...] tres, quóniam pat[...] nostri omnes sub nube fu[...] runt, & omnes mare transié[...] runt, & omnes in Móyse ba[...] tizáti sunt in nube & in ma[...]

℟. *br.* Dedúxit eos in aby[...] sis sicut in desérto; * Allelúi[...] allelúia. ℟. Dedúxit. ℣. [...] salvávit eos de manu odié[...] tium. * Allelúia, allelúia. Glo[...] ria. ℟. Dedúxit. ℣. Redém[...] eos de manu inimíci, ℟. [...] opéruit aqua tribulántes eo[...] *Ps.* 105.

I. VESP. *de S. Nomi[...] Jesu, sine Commemor. Epipha[...] niæ, require ad* 14. *Januarii*

Ab Octava Epiphaniæ ad ...ificationem, ad omnes Ho... in fine omnium Hymnorum, ...etrum patitur, dicitur Do...logia

...i natus es de Virgine, ..., tibi sit glória. *&c.*

...N NOCT. *Invitatorium,* ...um Christum de María na... ...Veníte adorémus. *Mat.* 1

...D LAUDES MAT. & VESP. ...memoratio de B. V. Maria, ...habetur suprà p. 309.

...D COMPLET. *Psalmi super* ... Ego lux. *ut in Nat. Dñi.* ..., Virgo Dei Génitrix, *...in Officio parvo B. V. M.*

...d Nunc dimíttis, *Ant.* 5. *f.* ...dérunt óculi mei salutáre ...um, lumen ad revelatiónem ...éntium, & glóriam plebis ...æ Israël. *Luc.* 2.

Sic dicitur Completorium us...e ad Purificationem.

DOMINICA I.
post Epiphaniam.
IN I. NOCT.

...cipit Liber Daniélis Prophétæ.

Lectio j. *Cap.* 1.

ANno tértio regni Jóakim regis Juda, venit Nabuchodónosor rex ...bylónis in Jerúsalem, & ...sédit eam; & trádidit Dóminus in manu ejus Jóakim ...gem Juda, & partem vasó...um domûs Dei; & asportá...it ea in terram Sénnaar in ...omum dei sui, & vasa íntulit in domum Thesáuri dei sui. Et ait Rex Asphenez præpósito eunuchórum, ut introdúceret de fíliis Israël, & de sémine régio & tyrannórum, púeros, in quibus nulla esset macula, decóros formâ, & erudítos omni sapiéntiâ, cautos sciéntiâ, & doctos disciplínâ, & qui possent stare in palátio regis, ut docéret eos lítteras, & linguam Chaldæórum. Et constítuit eis rex annónam per síngulos dies de cibis suis, & de vino unde bibébat ipse, ut enutríti tribus annis, pósteà starent in conspéctu regis. Fuérunt ergo inter eos de fíliis Juda, Dániel, Ananías, Mísaël, & Azárias. Et impósuit eis præpósitus eunuchórum nómina: Daniéli, Baltássar: Ananíæ, Sidrac: Misaéli, Misach: & Azáriæ Abdénago. Propósuit autem Dániel in corde suo ne pollueréturde mensa regis, neque de vino potûs ejus: & rogávit eunuchórum præpósitum ne contaminarétur. Dedit autem Deus Daniéli grátiam & misericórdiam in conspéctu príncipis eunuchórũ. Et ait princeps eunuchórum ad Daniélem: Tímeo ego dóminum meum regem, qui constítuit vobis cibum & potum; qui si víderit vultus vestros macilentióres præ céteris adolescéntibus coævis ve...

ſtris, condemnábitis caput meum regi.

℟. *j.* Iſte dies, *ut ſuprà, Dominicâ intra OctavamEpiph. p.* 329.

Lectio ij.

ET dixit Dániel ad Málaſar, quem conſtitúerat princeps eunuchórum ſuper Daniélem, Ananíam, Miſaélem, & Azáriam: Tenta nos, óbſecro, ſervos tuos diébus decem, & dentur nobis legúmina ad veſcéndum, & aqua ad bibéndum: & contempláre vultus noſtros, & vultus puerórum qui veſcúntut cibo régio; & ſicut víderis, fácies cum ſervis tuis. Qui audíto ſermóne hujuſcémodi, tentávit eos diébus decem. Poſt dies autem decem, apparuérunt vultus eórum melióres,& corpulentióres præ ómnibus púeris qui veſcebántur cibo régio. Porrò Málaſar tollébat cibária, & vinum potûs eórum; dabátque eis legúmina. Púeris autem his dedit Deus ſciéntiam & diſciplínam in omni libro, & ſapiéntia: Daniéli autem intelligéntiam ómnium viſiónum & ſomniórum. Complétis ítaque diébus, poſt quos díxerat rex ut introduceréntur; introdúxit eos præpóſitus eunuchórum in conſpéctu Nabuchodónoſor. Cúmque eis locútus fuíſſet rex, non ſunt invénti tales de univérſis, ut Dániel, Anánias, Miſaël, & Azárias: & ſtetérunt in conſpéctu regis. Et omne verbum ſapiéntiæ & intelléctûs,quod ſciſcitátus eſt ab eis rex, invénit in eis décuplum ſuper omnes aríolos & magos, qui erant in univérſo regno ejus. Fuit autem Dániel uſque ad annum primum Cyri regis.

℟. *ij.* Dies ſanctificátus. *p.* 4.

Lectio iij. *Cap.* 2.

IN anno ſecúndo regni Nabuchodónoſor, vidit Nabuchodónoſor ſómnium, & contérritus eſt ſpíritus ejus, & ſómnium ejus fugit ab eo. Præcépit autem rex ut convocaréntur aríoli, & magi, & maléfici, & Chaldæi: ut indicárent regi ſómnia ſua. Qui cùm veníſſent, ſtetérunt coram rege. Et dixit ad eos rex: Vidi ſómnium, & mente confúſus ignóro quid víderim. Reſponderúntque Chaldæi regi Syríacè: Rex in ſempitérnum vive: dic ſómnium ſervis tuis, & interpretatiónem ejus indicábimus. Et reſpóndens rex ait Chaldæis: Sermo recéſſit à me; niſi indicavéritis mihi ſómnium, & conjectúram ejus, períbitis vos, & domus veſtræ publicabúntur. Si autem ſómnium, & conjectúram ejus narravéritis, præmia, & dona, & honórem multum accipiétis à

me: sómnium ígitur, & interpretatiónem ejus indicáte mihi. Respondérunt secúndò, atque dixérunt: Rex sómnium dicat servis suis, & interpretatiónem illíus indicábimus. Respóndit rex, & ait: Certè novi quòd tempus redímitis, sciéntes quòd recésserit à me sermo. Si ergo sómnium non indicavéritis mihi, una est de vobis senténtia, quòd interpretatiónē quoque fallácem, & deceptióne plenam composuéritis, ut loquámini mihi donec tempus pertránseat. Sómnium ítaque dícite mihi, ut sciam quòd interpretatiónem quoque ejus veram loquámini.

℟. iij. Pascha nostrum. *p.* 4.

Reliquum Officii require suprà in Dominica intra Octavam Epiphaniæ, pag. 329.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 2. *v.* 10.

RESpondéntes Chaldæi coram rege, dixérunt: Non est homo super terram, qui sermónem tuum, rex, possit implére: sed neque regum quisquam magnus & potens verbum hujuscémodi sciscitátur ab omni aríolo, & mago, & Chaldæo. Sermo enim quem tu quæris, rex, gravis est: nec reperiétur quisquam, qui índicet illum in conspéctu regis: excéptis diis, quorum non est cum homínibus convérsatio. Quo audíto, rex, in furóre & in ira magna, præcépit ut perírent omnes sapiéntes Babylónis. Et egréssâ senténtiâ, sapiéntes interficiebántur: quærebantúrque Dániel, & sócii ejus, ut períret. Tunc Dániel requisívit de lege, atque senténtia ab Arioch príncipe milítiæ regis, qui egréssus fúerat ad interficiéndos sapiéntes Babylónis. Et interrogávit eum, qui à rege potestátem accéperat, quam ob causam tam crudélis senténtia à fácie regis esset egréssa. Cùm ergo rem indicásset Arioch Daniéli, Dániel ingréssus rogávit regem ut tempus daret sibi ad solutiónem indicándam regi. Et ingréssus est domum suam, Ananiæque, & Misaéli, & Azáriæ, sóciis suis indicávit negótium: ut quærerent misericórdiam à fácie Dei cæli super sacraménto isto, & non perírent Dániel & sócii ejus, cum céteris sapiéntibus Babylónis. Tunc Daniéli mystérium per visiónem nocte revelátum est; & benedíxit Dániel Deum cæli.

℟. j. Apériet sápiens os suū in oratióne, & Dóminus magnus spíritu intelligéntiæ replébit illum, * Et ipse tamquam imbres emíttet elóquia sapiéntiæ suæ. ℣. Ingréssus Dániel domum suam, sóciis

suis indicávit negótium, ut quærerent misericórdiã à fácie Dei cæli super sacraménto isto.* Et ipse. *Eccli. 39. Dan. 2.*

Lectio ij.

ET locútus ait: Sit nomen Dómini benedíctum à século & usque in séculum: quia sapiéntia & fortitúdo ejus sunt. Et ipse mutat témpora, & ætátes: transfert regna, atque constítuit, dat sapiéntiam sapiéntibus, & sciéntiam intelligéntibus disciplínam: Ipse revélat profúnda & abscóndita, & novit in ténebris constitúta: & lux cum eo est. Tibi Deus patrum nostrórum confíteor, téque laudo: quia sapiéntiam, & fortitúdinem dedísti mihi; & nunc ostendísti mihi quæ rogávimus te, quia sermónem regis aperuísti nobis. Post hæc Dániel ingréssus ad Arioch, quem constitúerat rex ut pérderet sapiéntes Babylónis, sic ei locutus est: Sapiéntes Babylónis ne perdas: intróduc me in conspéctu regis, & solutiónẽ regi narrábo. Tunc Arioch festínus introdúxit Daniélem ad regem, & dixit ei: Invéni hóminẽ de fíliis transmigratiónis Juda, qui solutiónem regi annúntiet. Respóndit rex, & dixit Daniéli, cujus nomen erat Baltássar: Putásne verè potes mihi indicáre sómnium quod vidi, & interpretatiónem ejus?

℟. ij. Quæcúmque sunt abscónsa & improvísa, dídici: * Omnium enim ártifex dócuit me sapiéntia. ℣. Tibi Deus patrum nostrórum confíteor, téque laudo: quia sapiéntiam & fortitúdinem dedísti mihi: * Omnium. *Sap. 7. Dan. 2.*

Lectio iij.

ET respóndens Dániel coram rege, ait: Mystérium, quod rex intérrogat, sapiéntes, magi, aríoli, & arúspices néqueunt indicáre regi. Sed est Deus in cælo revélans mystéria, qui indicávit tibi rex Nabuchodónosor quæ ventúra sunt in novíssimis tempóribus. Sómnium tuum, & visiónes cápitis tui in cubíli tuo hujuscémodi sunt: Tu rex cogitáre cœpísti in strato tuo, quid esset futúrum post hæc: & qui revélat mystéria, osténdit tibi quæ ventúra sunt. Mihi quoque non in sapiéntia, quæ est in me plus quàm in cunctis viventibus, sacraméntum hoc revelátum est: sed ut interpretátio regi manifésta fieret, & cogitatiónes mentis tuæ scires. Tu rex vidébas, & ecce quasi státua una grandis: státua illa magna, & statúra sublímis stabat contra te, & intúitus ejus erat terríbilis. Hujus státuæ caput ex auro óptimo erat, pectus autem & bráchia de argénto, porrò venter & fémora ex ære. Ti-

biæ autem férreæ: pedum quædam pars erat férrea, quædam autem fíctilis. Vidébas ita, donec abscíssus est lapis de monte sine mánibus, & percússit státuam in pédibus ejus férreis, & fictílibus, & comminuit eos. Tunc contríta sunt páriter ferrum, testa, æs, argéntum, & aurum, & redácta quasi in favíllam æstívæ áreæ, quæ rapta sunt vento: nullúsque locus invéntus est eis: lapis autem, qui percússerat státuam, factus est mons magnus, & implévit univérsam terram.

℟. iij. Dedit mihi Deus dícere ex senténtia, & præsúmere digna horum quæ mihi dantur: * Quóniam sapiéntiæ dux est, & sapiéntium emendátor. ℣. Non in sapiéntia quæ est in me plus quàm in cunctis viventibus sacraméntum hoc mihi revelátum est: * Quóniam. Glória * Quóniam. *Sap.* 7. *Dan.* 2.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 2. v. 36.

HOc est sómnium: Interpretatiónem quoque ejus dicémus coram te, rex. Tu rex regum es: & Deus cæli, regnum, & fortitúdinem, & impérium, & glóriam dedit tibi; & ómnia in quibus hábitant filii hóminum, & béstiæ agri: vólucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditióne tua univérsa constítuit; tu es ergo caput áureum. Et post te consúrget regnum áliud minus te argénteum: & regnum tértium áliud æreum, quod imperábit univérsæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrũ. Quómodò ferrum comminuit, & domat ómnia, sic comminuet, & cónteret ómnia hæc. Porrò quia vidísti pedum & digitórum partem testæ fíguli, & partem férream; regnum divísum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur, secúndùm quod vidísti ferrum mistum testæ ex luto. Et dígitos pedum ex parte férreos, & ex parte fíctiles; ex parte regnum erit sólidum, & ex parte contrítum. Quòd autem vidísti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebúntur quidem humáno sémine, sed non adhærébunt sibi, sícuti ferrum miscéri non potest testæ. In diébus autem regnórum illórum suscitábit Deus cæli regnum, quod in ætérnum non dissipábitur, & regnum ejus álteri pópulo non tradétur; comminuet autem & consúmet univérsa regna hæc; & ipsum stabit in ætérnum. Secúndum quod vidísti, quòd de monte abscíssus est lapis sine mánibus: & comminuit testã, & ferrum, & æs, & argéntum, & aurum, Deus magnus osten-

dit regi quæ ventúra sunt pósteà. Et verum est sómnium, & fidélis interpretátio ejus.

℟. j. Quæcumque. *p.* 354.

Lectio ij. *v.* 46. *& C.* 3.

TUnc Rex Nabuchodónosor cécidit in fáciem suam, & Daniélem adorávit, & hóstias & incénsum præcépit ut sacrificárent ei. Loquens ergo rex, ait Daniéli: Verè Deus vester Deus deórum est, & Dóminus regum, & revélans mystéria; quóniam tu potuísti aperíre hoc sacraméntum. Tunc rex Daniélem in sublíme éxtulit; & múnera multa & magna dedit ei: & constítuit eum príncipem super omnes províncias Babylónis; & præféctum magistrátuum super cunctos sapiéntes Babylónis. Dániel autem postulávit à rege: & constítuit super ópera provínciæ Babylónis, Sidrach, Misach, & Abdénago: ipse autem Dániel erat in fóribus regis. Nabuchodónosor rex fecit státuam aúream, altitúdine cubitórum sexagínta, latitúdine cubitórum sex, & státuit eam in campo Dura provínciæ Babylónis. Itaque Nabuchodónosor rex misit ad congregándos sátrapas, magistrátus, & júdices, duces, & tyránnos, & præféctos; omnésque príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem státuæ, quam eréxerat Nabuchodónosor rex.

℟. ij. Dedit mihi Deus dícere ex senténtia, & præsúmere digna horum quæ mihi dantur: * Quóniam sapiéntiæ dux est, & sapiéntium emendátor. ℣. Verè Deus vester Deus deórum est, & Dóminus Regum & revélans mystéria; * Quóniam. *Sap.* 7. *Dan.* 2.

Lectio iij.

ET præco clamábat valénter: Vobis dícitur pópulis, tríbubus, & linguis: In hora, quâ audiéritis sónitum tubæ, & fístulæ, & cítharæ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, & univérsi géneris musicórum, cadéntes adoráte státuam aúream, quam constítuit Nabuchodónosor rex. Si quis autem non prostrátus adoráverit, eâdem horâ mittétur in fornácem ignis ardéntis. Post hæc ígitur statim ut audiérunt omnes pópuli sónitum tubæ, fístulæ, & cítharæ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, & omnis géneris musicórum; cadéntes omnes pópuli: tribus, & linguæ, adoravérunt státuam aúream, quam constitúerat Nabuchodónosor rex. Statímque in ipso témpore accedéntes viri Chaldæi accusavérunt Judæos; dixerúntque Nabuchodónosor Regi: Rex in ætérnum vive.... Sunt viri Judæi, quos constituísti super opera regiónis Babyló-

nis, Sidrach, Misach, & Abdénago: viri isti contempsérunt, rex, decrétum tuum; deos tuos non colunt, & státuã áuream, quam erexísti, non adórant. Tunc Nabuchodónosor in furóre & in ira præcépit ut adduceréntur Sidrach, Misach, & Abdénago: qui conféstim addúcti sunt in conspéctu regis. Pronuntiánsque Nabuchodónosor rex, ait eis: Veréne Sidrach, Misach, & Abdénago, deos meos non cólitis, & státuam áuream, quam constítui, non adorátis? Nunc ergo si estis paráti, quacúmque horâ audiéritis sónitum tubæ, fístulæ, cítharæ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, omnísque géneris musicórum, prostérnite vos, & adoráte státuam quam feci: quòd si non adoravéritis eâdem horâ mittémini in fornácem ignis ardéntis; & quis est Deus, qui erípiet vos de manu mea?

℟. *iij.* Tu quidem in præsénti vita nos perdis: sed Rex mundi defúnctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit; * Tibi resurréctio ad vitam non erit. ℣. Ecce Deus noster quem cólimus potest erípere nos de camíno ignis ardéntis, & de mánibus tuis, ô rex, liberáre. * Tibi. Glória. * Tibi. *2. Machab. 7. Dan. 3.*

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 3. v. 16.

RESpondéntes Sidrach, Misach, & Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónosor: Non opórtet nos de hac re respondére tibi. Ecce enim Deus noster, quem cólimus, potest erípere nos de camíno ignis ardéntis, & de mánibus tuis, ô rex, liberáre. Quòd si nolúerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non cólimus, & státuam áuream, quam erexísti, non adorámus. Tunc Nabuchodónosor replétus est furóre: & aspéctus faciéi illíus immutátus est super Sidrach, Misach, & Abdénago, & præcépit ut succenderétur fornax séptuplum quàm succéndi consuéverat. Et viris fortíssimis de exércitu suo jussit, ut ligátis pédibus Sidrach, Misach, & Abdénago, mítterent eos in fornácem ignis ardéntis. Et conféstim viri illi vincti cum braccis suis, & tiáris, & calceaméntis, & véstibus missi sunt in médium fornácis ignis ardéntis, nam jússio regis urgébat: fornax autem succénsa erat nimis. Porrò viros illos, qui míserant Sidrach, Misach, & Abdénago, interfécit flamma ignis.

℟. *j.* Tu quidem. *ut heri,*

Lectio ij.

VIri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdénago, cecidérunt in médio camíno ignis ardéntis, colligáti. Et ambulábant in médio flammæ laudántes Deum, & benedicéntes Dómino. Stans autem Azárias orávit sic, aperiénsque os suum in médio ignis, ait: Benedíctus es Dómine Deus patrum nostrórum: & laudábile & gloriósum nomen tuum in sécula: quia justus es in ómnibus quæ fecísti nobis, & univérsa ópera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & ómnia judícia tua vera. Judícia enim vera fecísti, juxta ómnia, quæ induxísti super nos, & super civitátem sanctam patrum nostrórum Jerúsalem: quia in veritáte & in judício induxísti ómnia hæc propter peccáta nostra. Peccávimus enim, & iníquè égimus recedéntes à te: & delíquimus in ómnibus: & præcépta tua non audívimus, nec observávimus, nec fécimus sicut præcéperas nobis, ut bene nobis esset. Omnia ergo, quæ induxísti super nos, & univérsa, quæ fecísti nobis, in vero judício fecísti: & tradidísti nos in mánibus inimicórum nostrórum iniquórum, & pessimórum, prævaricatorúmque & regi injústo, & péssimo ultra omnem terram. Et nunc non póssumus aperíre os: confúsio, & oppróbrium facti sumus servis tuis, & his, qui colunt te. Ne, quæsumus, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum, & ne díssipes testaméntum tuum.

℞. ij. Nobis propter increpatiónem & correptiónem * Dóminus Deus noster módicum irátus est, sed íterum reconciliábitur servis suis. ℣. Omnia quæ induxísti super nos, in vero judício fecísti; ne, quæsumus, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum. * Dóminus. 2. *Machab.* 7. *Dan.* 3.

Lectio iij.

ET non est in témpore hoc princeps, & dux, & prophéta, neque holocaústum, neque sacrifícium, neque oblátio, neque incénsum, neque locus primitiárum coram te, ut possímus inveníre misericórdiam tuam: sed in ánimo contríto, & spíritu humilitátis suscipiámur. Sicut in holocaústo aríetum, & taurórum, & sicut in míllibus agnórum pínguium: sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódiè, ut pláceat tibi: quóniam non est confúsio confidéntibus in te. Et nunc séquimur te in toto corde, & timémus te, & quærimus fáciem tuam. Ne confúndas nos, sed fac nobíscum

juxta mansuetúdinem tuam, & secúndùm multitúdinem misericórdiæ tuæ. Et érue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo Dómine: & confundántur omnes, qui osténdunt servis tuis mala, confundántur in omni poténtia tua, & robur eórum conterátur: & sciant quia tu es Dóminus Deus solus, & gloriósus super orbem terrárum... Angelus autem Dómini descéndit cum Azária, & sóciis ejus in fornácem: & excússit flammam ignis de fornáce, & fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem, & non tétigit eos omnìnò ignis, neque contristávit, nec quidquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant, & glorificábant, & benedicébant Deum in fornáce dicéntes: Benedíctus es Dómine Deus patrum nostrórũ: & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

℟. *iij.* Invicem se hortabántur mori fórtiter, dicéntes: * Dóminus Deus aspíciet veritátem, consolábitur in nobis, & in servis suis consolábitur. ℣. Hi tres quasi ex uno ore laudábant, & glorificábant, & benedicébant Deum in fórnáce, dicéntes, * Dóminus. Glória. * Dóminus. 2. *Mach.* 7. *Dan.* 3.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 4. *v.* 27.

REx ait: Nonne hæc est Bábylon magna, quam ego ædificávi in domum regni, in róbore fortitúdinis meæ, & in glória decóris mei? Cúmque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dícitur Nabuchodónosor rex: Regnum tuum transíbit à te, & ab homínibus ejícient te, & cum béstiis & feris erit habitátio tua: fœnum quasi bos cómedes, & septem témpora mutabúntur super te, donec scias quòd dominétur Excélsus in regno hóminum, & cuicúmque volúerit, det illud. Eâdem horâ sermo complétus est super Nabuchodónosor, & ex homínibus abjéctus est, & fœnum ut bos comédit, & rore cæli corpus ejus inféctum est: donec capílli ejus in similitúdinem aquilárum créscerent, & ungues ejus quasi ávium. Igitur post finem diérũ ego Nabuchodónosor óculos meos ad cælum levávi, & sensus meus rédditus est mihi: & Altíssimo benedíxi, & vivéntẽ in sempitérnũ laudávi & glorificávi: quia potéstas ejus potéstas sempitérna, & regnum ejus in generatiónem & generatiónem. Et omnes habitatóres terræ apud eum in níhilum reputáti sunt: juxta voluntá-

tem enim ſuam facit tam in virtútibus cæli, quàm in habitatóribus terræ: & non eſt qui resíſtat mánui ejus, & dicat ei: Quare fecíſti? In ipſo témpore ſenſus meus revérſus eſt ad me, & ad honórem regni mei, decorémque pervéni: & figúra mea revérſa eſt ad me: & optimátes mei, & magiſtrátus mei requiſiérunt me, & in regno meo reſtitútus ſum; & magnificéntia ámplior áddita eſt mihi. Nunc ígitur ego Nabuchodónoſor laudo, & magnífico, & glorífico regem cæli: quia ómnia ópera ejus vera, & viæ ejus judícia, & gradiéntes in ſupérbia poteſt humiliáre.

℟. j. Vovéte Dómino Deo veſtro, omnes qui in circúitu ejus affértis múnera; * Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum, terríbili apud Reges terræ. ℣. Ego Nabuchodónoſor óculos meos ad cælum levávi, & ſenſus meus rédditus eſt mihi; & Altíſſimo benedíxi, * Terríbili. *Pſ.* 75. *Dan.* 4.

Lectio ij. *Cap.* 5.

BAltáſſar rex fecit grande convívium optimátibus ſuis mille: & unuſquíſque ſecúndùm ſuam bibébat ætátem. Præcépit ergo jam temuléntus ut afferréntur vaſa aúrea & argéntea, quæ aſportáverat Nabuchodónoſor pater ejus de templo, quod fuit in Jeruſalem, ut bíberent in eis rex & optimátes ejus, uxoréſque ejus, & concubínæ. Tunc alláta ſunt vaſa aúrea, & argéntea, quæ aſportáverat de templo, quod fúerat in Jeruſalem, & bibérunt in eis rex, & optimátes ejus, uxóres & concubínæ illíus. Bibébant vinum, & laudábant deos ſuos aúreos, & argénteos, æreos, férreos, lígneóſque, & lapídeos. In eádem hora apparuérunt dígiti, quaſi manûs hóminis ſcribéntis contra candelábrum in ſuperfície paríetis aulæ régiæ: & rex aſpiciébat artículos manûs ſcribéntis. Tunc fácies regis commutáta eſt, & cogitatiónes ejus conturbábant eum: & compáges renum ejus ſolvebántur, & génua ejus ad ſe ínvicem collidebántur. Exclamávit ítaque rex fórtiter ut introdúcerent magos, Chaldæos, & arúſpices. Et próloquens rex ait ſapiéntibus Babylónis: Quicúmque légerit ſcriptúram hanc, & interpretatiónem ejus manifeſtam mihi fécerit, púrpurâ veſtiétur, & torquem áuream habébit in collo, & tértius in regno meo erit. Tunc ingréſſi omnes ſapiéntes regis non potuérunt nec ſcriptúram légere, nec interpretatiónem indicáre regi. Undè rex Baltáſſar ſatis

conturbátus

conturbátus est, & vultus illíus immutátus est: sed & optimátes ejus turbabántur.

℟. ij. Apériet sápiens. p. 353.

Lectio iij.

IGitur introdúctus est Dániel coram rege. Ad quem præfátus rex ait: Tu es Dániel de filiis captivitátis Judæ, quem addúxit pater meus rex de Judæa? audívi de te quóniam spíritum deórũ hábeas: & sciéntia, intelligentiáque ac sapiéntia ampliores invéntæ sunt in te. Et nunc introgréssi sunt in conspéctu meo sapiéntes magi, ut scriptúram hanc légerent, & interpretatiónem ejus indicárent mihi: & nequivérunt sensum hujus sermónis edícere. Porrò ego audívi de te, quòd possis obscúra interpretári, & ligáta dissólvere: si ergo vales scriptúram légere, & interpretatiónem ejus indicáre mihi, púrpurâ vestiéris, & torquem áuream circa collum tuum habébis, & tértius in regno meo princeps eris. Ad quæ respóndens Dániel, ait coram rege: Múnera tua sint tibi, & dona domûs tuæ álteri da: scriptúram autem legam tibi, rex, & interpretatiónẽ ejus osténdam tibi. O rex, Deus Altíssimus regnum, & magnificéntiam, glóriam, & honórem dedit Nabuchodónosor patri tuo. Et propter magnificéntiam, quam déderat ei; univérsi pópuli, tribus, & linguæ tremébant, & metuébant eum: quos volébat, interficiébat: & quos volébat, percutiébat: & quos volébat, exaltábat: & quos volébat, humiliábat. Quando autem elevátum est cor ejus, & spíritus illíus obfirmátus est ad supérbiam, depósitus est de sólio regni sui, & glória ejus abláta est: & à filiis hóminum ejéctus est, sed & cor ejus cum béstiis pósitum est, & cum ónagris erat habitátio ejus: fœnum quoque ut bos comedébat, & rore cæli corpus ejus inféctum est, donec cognósceret quòd potestátem habéret Altíssimus in regno hóminum: & quemcúmque volúerit, suscitábit super illud.

℟. iij. Quæcúmque sunt abscónsa & improvísa, dídici: * Omnium enim ártifex dócuit me sapiéntia. ℣. Scriptúram legam tibi, Rex, & interpretatiónem ejus osténdam tibi. * Omnium. Glória. * Omnium. *Sap.* 7. *Dan.* 4.

FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 5. v. 22.

AIt Dániel: Tu quoque, filius Nabuchodónosor, Baltássar non humiliásti cor tuum, cùm scires hæc ómnia: sed advérsùm

Dominatórem cæli elevátus es: & vasa domûs ejus alláta sunt coram te: & tu, & optimátes tui, & uxóres tuæ, & concubínæ tuæ vinum bibístis in eis: deos quoque argénteos & áureos, & æreos, & férreos, lígneósque, & lapídeos, qui non vident, neque áudiunt, neque séntiunt, laudásti: porrò Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificásti. Idcircò ab eo missus est artículus manûs, quæ scripsit hoc, quod exarátum est. Hæc est autem scriptúra, quæ digésta est: Manè, thecel, phares. Et hæc est interpretátio sermónis. Mane; Numerávit Deus regnum tuum, & complévit illud. Thecel; appénsus es in statéra, & invéntus es minus habens. Phares; divísum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Tunc jubénte rege indútus est Dániel púrpurâ, & circúmdata est torques áurea collo ejus: & prædicátum est de eo quòd habéret potestátem tértius in regno suo. Eâdem nocte interféctus est Baltássar rex Chaldæus; & Dárius Medus succéssit in regnum annos natus sexagínta duos.

℟. j. Dedit mihi, *pag.* 355.

Lectio ij. *Cap.* 9. *v.* 21.

ECce vir Gábriel, quem víderam in visióne à princípio, citò volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni; & dócuit me, & locútus est mihi, dixítque: Dániel nunc egréssus sum ut docérem te, & intellígeres. Ab exórdio precum tuárũ egréssus est sermo: ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadvérte sermónem, & intéllige visiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempitérna, & impleátur vísio, & prophetía, & ungátur Sanctus sanctórũ. Scito ergo, & animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut íterùm ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, & hebdómades sexagínta duæ erunt, & rursum ædificábitur platea, & muri in angústia témporũ. Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus: & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem, & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro, & finis ejus vástitas, & post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómadâ unâ: & in dimídio hebdómadis defíciet

hostia & sacrificium : & erit in templo abominátio desolatiónis : & usque ad consummatiónem & finem perseverábit desolátio.

℞. ij. Cùm vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ prædicta est à Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto; tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: *Erit enim tunc tribulátio magna, qualis non fuit ab início mundi, neque fiet. ℣. Post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus, & civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro; & finis ejus vástitas. * Erit enim. *Matth. 24. Dan. 9.*

Lectio iij. Cap. 13. v. 1.

ET erat vir hábitans in Babylóne, & nomen ejus Jóakim: & accépit uxórem nómine Susánnam, filiam Hélciæ, pulcram nimis, & timéntem Deum; paréntes enim illius, cùm essent justi, erudiérunt filiam suam secúndùm legem Móysi.... Surrexérunt duo senes, & accurrérunt ad eam, & dixérunt: Ecce óstia pomárii clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in concupiscéntia tuî sumus: quamóbrem assentíre nobis, & commiscére nobíscum. Quòd si nolúeris, dicémus contra te testimónium, quòd fúerit tecum júvenis, & ob hanc causam emíseris puéllas à te. Ingémuit Susánna, & ait: Angústiæ sunt mihi úndique, si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras: sed mélius est mihi absque ópere incídere in manus vestras, quàm peccáre in conspectu Dómini. Et exclamávit voce magnâ Susánna, exclamavérunt autem & senes advérsùs eam. Et cucúrrit unus ad óstia pomárii, & apéruit. Cùm ergo audíssent clamórem famuli domûs in pomário, irruérunt per postícum, ut vidérent quidnam esset. Postquàm autem senes locúti sunt, erubuérunt servî vehementer; quia nunquam dictus fúerat sermo hujúscemodi de Susánna. Et facta est dies crástina... Consurgéntes autem duo presbyteri in médio pópuli, posuérunt manus suas super caput ejus... Crédidit eis multitúdo quasi sénibus & judícibus pópuli, & condemnavérunt eam ad mortem.

℞. iij. Perambulábam in innocéntia cordis mei in médio domûs meæ: me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: narravérunt ut abscónderent láqueos, dixérunt: Quis vidébit eos? sed *Testimónia tua, Dómine, intelléxi. ℣. Mélius est mihi absque ópere incídere in manus ve-

ſtras, quàm peccáre in conſpéctu Dómini.* Teſtimónia. Glória.* Teſtimónia. *Pſ.* 100. 118. *&* 63. *Dan.* 13.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 13. *v.* 45.

CUm Suſánna ducerétur ad mortem, ſuſcitávit Dóminus ſpíritum ſanctum púeri junióris, cujus nomen Dániel; & exclamávit voce magnâ: Mundus ego ſum à ſánguine hujus. Et convérſus omnis pópulus ad eum dixit: Quis eſt ſermo iſte, quem tu locútus es? Qui cùm ſtaret in médio eórum, ait: Sic fátui fílii Iſraël, non judicántes, neque quod verum eſt cognoſcéntes, condemnáſtis fíliam Iſraël. Revertímini ad judícium, quia falſum teſtimónium locúti ſunt advérsùs eam. Revérſus eſt ergo pópulus cum feſtinatióne, & dixérunt ei ſenes: Veni, & ſede in médio noſtrûm, & índica nobis: quia tibi Deus dedit honórem ſenectútis. Et dixit ad eos Dániel: Separáte illos ab ínvicem procul, & dijudicábo eos. Cùm ergo diviſi eſſent alter ab áltero, vocávit unum de eis, & dixit ad eum; Inveteráte diérum malórum, nunc venérunt peccáta tua, quæ operabáris priùs... Nunc ergo ſi vidíſti eam, dic ſub qua árbore víderis eos colloquéntes ſibi. Qui ait: Sub ſchino. Dixit autem Dániel: Rectè mentítus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei accéptâ ſenténtiâ ab eo, ſcindet te médium. Et amóto eo, juſſit veníre álium: & dixit ei: Semen Chánaan, & non Juda, ſpécies decépit te, & concupiſcéntia ſubvértit cor tuū. Nunc ergo dic mihi, ſub qua árbore comprehénderis eos loquéntes ſibi. Qui ait: Sub prino. Dixit autem ei Dániel: Rectè mentítus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Dómini, gládium habens, ut ſecet te médium, & interfíciat vos. Exclamávit ítaque omnis cœtus voce magnâ, & benedixérunt Deum, qui ſalvat ſperántes in ſe. Et conſurrexérunt advérsùs duos presbyteros, & interfecérunt eos, & ſalvátus eſt ſanguis innóxius in die illa.

℟. j. Qui ſedébant in porta inſurrexérunt ſuper me, locúti ſunt advérsùm me linguâ dolósâ, & detrahébant mihi: * Illi autem periérunt propter iniquitátem ſuam. ℣. Deus meus eripuíſti ánimam meam de morte, & protexíſti me à convéntu malignántium. * Illi. *Pſ.* 68. *&* 108. *&* 72. *&* 55. *&* 65.

Lectio ij. *Cap.* 14. *v.* 9.

ERant autem ſacerdótes Bel ſeptuagínta, excéptis u-

xóribus, & párvulis, & filiis. Et venit rex cum Daniéle in templum Bel. Et dixérunt sacerdótes Bel: Ecce nos egrédimur foras; & tu Rex pone escas, & vinũ misce, & claude óstium, & signa ánnulo tuo. Factum est ígitur postquàm egréssi sunt illi, rex pósuit cibos ante Bel: præcépit Dániel púeris suis, & attulérunt cinerem, & cribrávit per totum templum coram rege: & egréssi clausérunt óstium; & signántes ánnulo regis abiérunt. Sacerdótes autem ingréssi sunt nocte juxta consuetúdinem suam, & uxóres, & filii eórum: & comedérunt ómnia, & bibérunt. Surréxit autem rex primo dilúculo, & Dániel cum eo. Et ait rex: Salvane sunt signácula, Dániel? Qui respóndit: Salva, rex. Statímque cùm aperuísset óstiũ, intúitus rex mensam, exclamávit voce magnâ: Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam. Et risit Dániel: & ténuit regem ne ingrederétur intrò: & dixit: Ecce paviméntum, animadvérte cujus vestígia sint hæc. Et dixit rex: Vídeo vestígia virórum, & mulíerum, & infántium. Et irátus est rex. Tunc apprehéndit sacerdótes, & uxóres, & filios eórũ; & ostendérunt ei abscóndita ostíola, per quæ ingrediebántur, & consumébant quæ erant super mensam. Occídit ergo illos rex, & trádidit Bel in potestátem Daniélis: qui subvértit eum, & templum ejus.

℟. *ij.* Qui habet sermónem meum, loquátur sermónem meum verè: * Numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi málleus cónterens petram. ℣. Verè Deus vester Deus deórum est, & Dóminus regum revélans mystéria. *Numquid. *Jerem.* 23. *Dan.* 2.

¶ [*Quando Septuagesima incidit in Dominicam II. post Epiphaniam, tunc dicitur hac nocte pro iij. Lectione Evangelium & Homilia vij. Lect. cum suo ℟. vij. infrà in Dominica II. post Epiph. p. 369. In Laud. verò fit ejusdem Commemoratio per Ant. & Orat. propr. p. 371. cum ℣. Feriali ut in Psalterio.*]

Lectio iij.

QUod cùm audíssent Babylónii, indignáti sunt vehementer; & congregáti advérsùm regem, dixérunt: Judæus factus est rex: Bel destrúxit, dracónem interfécit, & sacerdótes occídit. Et dixérunt cùm veníssent ad regem: Trade nobis Daniélem, alióquin interficiémus te, & domum tuam.... Qui misérunt eum in lacum leónum, & erat ibi diébus sex. Porrò in lacu erant leónes septem, & dabántur eis duo córpora quotídie,

& duæ oves : & tunc non data sunt eis, ut devorárent Daniélem. Erat autem Hábacuc prophéta in Judæa, & ipse coxerat pulméntum, & intríverat panes in alvéolo; & ibat in campum ut ferret messóribus. Dixítque Angelus Dómini ad Hábacuc: Fer prándium, quod habes, in Babylónem Daniéli, qui est in lacu leónum. Et dixit Hábacuc: Dómine, Babylónem non vidi, & lacum nésscio. Et apprehéndit eum Angelus Dómini in vértice ejus : & portávit eum capíllo cápitis sui, posuítque eum in Babylóne supra lacum in ímpetu spíritûs sui. Et clamávit Hábacuc, dicens : Dániel serve Dei, tolle prándium, quod misit tibi Deus..... Surgénsque Dániel comédit. Porrò Angelus Dómini restítuit Hábacuc conféstim in loco suo. Venit ergo rex die séptimo ut lugéret Daniélem; & venit ad lacum, & introspéxit, & ecce Dániel sedens in médio leónum. Et exclámavit voce magnâ rex, dicens : Magnus es Dómine Deus Daniélis. Et extráxit eum de lacu leónum. Porrò illos, qui perditiónis ejus causa fúerant, intromísit in lacum, & devoráti sunt in moménto coram eo.

℟. iij. Réquies Sább. *p.* 146.

Ad Vesperas. *ut in Psalt.*

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d* Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : & erat mater Jesu ibi. Vocátus est autem & Jesus & discípuli ejus ad núptias. *Joan.* 2.

Orat. Omnípotens sempitérne Deus, *ut infrà ad Laud. Mat.*

DOMINICA II. *post Epiphaniam.*

Ad Vigilias.

Invit. Jesum Christum de María natum* Veníte adorémus.

Psalmus. 94. Veníte. *pag.* 1.

In I. Noct.

Incipit Liber Osée Prophétæ.

Lectio j. *Cap.* 1.

VErbum Dómini, quod factum est ad Osée filium Beéri, in diébus Oziæ, Jóathan, Achaz, Ezéchiæ regum Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Israël. Princípium loquéndi Dómino in Oséé; & dixit Dóminus ad Osée: Vade, sume tibi uxórem fornicatiónum, & fac tibi fílios fornicatiónum, quia fórnicans fornicábitur terra à Dómino. Et ábiit, & accépit Gomer filiam Debélaïm : & concépit, & péperit ei filium. Et dixit Dóminus ad eum: Voca nomen ejus Jezrahel: Quóniam adhuc módicum, & visitábo sánguinem Jézrahel super domum Jehu, & quiéscere fáciam regnum domûs Israël. Et in illa die cónteram arcum Israël in valle Jézrahel. Et concépit adhuc, & péperit

filiam. Et dixit ei : Voca nomen ejus, Absque-misericórdia : quia non addam ultrà miseréri dómui Israël, sed oblivióne oblivíscar eórũ. Et dómui Juda miserébor, & salvábo eos in Dómino Deo suo; & non salvábo eos in arcu, & in gládio, & in bello, & in equis, & in equítibus. Et ablactávit eam, quæ erat Absque-misericórdia. Et concépit, & péperit filium. Et dixit : Voca nomen ejus, Non-pópulus meus: quia vos non pópulus meus, & ego non ero vester. Et erit número filiórum Israël quasi aréna maris, quæ sine mensúra est, & non numerábitur. Et erit in loco ubi dicétur eis : Non-pópulus meus vos; dicétur eis : Filii Dei vivéntis. Et congregabúntur filii Juda, & filii Israël páriter : & ponent síbimet caput unum, & ascéndent de terra : Quia magnus dies Jézrahel.

℟. *j.* Iste dies observábilis est Dómini : buccináte tubâ in insígni die solemnitátis vestræ, quia præcéptum in Israël est ; constitúite diem solémnem in condénsis usque ad cornu altáris : * Gaudéte & exultáte. ℣. Venit Christus Jesus in hunc mundum peccatóres salvos facere. * Gaudéte. *Exod.* 12. *Ps.* 80. & 117. 1. *Tim.* 1.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 16.

ET erit in die illa, ait Dóminus ; vocábit me : Vir meus ; & non vocábit me ultrà, Báali. Et áuferam nómina Báalim de ore ejus, & non recordábitur ultrà nóminis eórum. Et percútiam cum eis fœdus in die illa, cum béstia agri, & cum vólucre cæli, & cum réptili terræ : & arcum, & gládium, & bellum cónteram de terra ; & dormíre eos fáciam fiducialiter. Et sponsábo te mihi in sempitérnum: & sponsábo te mihi in justítia, & in judício, & in misericórdia, & in miseratiónibus. Et sponsábo te mihi in fide ; & sciès quia ego Dóminus. Et erit in die illa : Exaúdiam, dicit Dóminus, exaúdiam cælos, & illi exaúdient terram. Et terra exaúdiet tríticum, & vinum, & óleum : & hæc exaúdient Jézrahel. Et seminábo eam mihi in terra, & miserébor ejus quæ fuit Absque-misericórdia. Et dicam Non-pópulo meo : Pópulus meus es tu ; & ipse dicet: Deus meus es tu.

℟. *ij.* Dies sanctificátus. *p.* 4.

Lectio iij. Cap. 4.

AUdíte verbum Dómini filii Israël, quia judíciũ Dómino cum habitatóribus terræ : Non est enim véritas, & non est misericórdia, & non est sciéntia Dei in terra. Maledíctum, & mendácium, &

homicídium, & furtum, & adultérium inundavérunt, & sanguis sánguinē tétigit. Propter hoc lugébit terra, & infirmábitur omnis, qui hábitat in ea, in béstia agri, & in vólucre cæli: sed & pisces maris congregabúntur. Verúmtamē unusquísque non júdicet: & non arguátur vir: Pópulus enim tuus sicut hi, qui contradícunt sacerdóti. Et córrues hódiè, & córruet étiam prophéta tecum: nocte tacére feci matrem tuam. Contícuit pópulus meus, eo quòd non habúerit sciéntiam: quia tu sciéntiam repulísti, repéllam te, ne sacerdótio fungáris mihi: & oblíta es legis Dei tui, oblivíscar filiórum tuórum & ego. Secúndùm multitúdinem eórum sic peccavérunt mihi: glóriam eórum in ignomíniā commutábo. Peccáta pópuli mei cómedent, & ad iniquitátem eórum sublevábunt ánimas eórum. Et erit sicut pópulus, sic Sacérdos; & visitábo super eum vias ejus, & cogitatiónes ejus reddam ei. Et cómedent, & non saturabúntur: fornicáti sunt, & non cessavérunt; quóniam Dóminum dereliquérunt in non custodiéndo. Fornicátio, & vinum, & ebríetas áuferunt cor. Pópulus meus in ligno suo interrogávit, & báculus ejus annuntiávit ei: spíritus enim fornicatiónum decépit eos, & fornicáti sunt à Deo suo.

℟. iij. Pascha nostrum. p. 4.

In II. Noct.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. *Cap. 3. v. 10.*

Secúndùm grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui: álius autem superædíficat. Unusquísque autem vídeat quómodo superædíficet. Fundaméntum enim áliud nemo potest pónere præter id, quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundaméntum hoc, aurum, argéntum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam: uniuscujúsque opus maniféstum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur: & uniuscujúsque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árserit, detriméntum patiétur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

℟. iv. Non est in álio áliquo salus, * Nec enim áliud nomen est sub cælo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri. ℣. Fundaméntum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus: * Nec enim. *Act. 4. 1. Cor. 3.*

Lectio v.

NEscítis quia templum Dei estis, & Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, dispérdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se sedúcat: si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc século, stultus fiat ut sit sápiens. Sapiéntia enim hujus mundi, stultítia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehéndam sapiéntes in astútia eórũ. Et iterùm: Dóminus novit cogitatiónes hóminum, quóniam vanæ sunt. Nemo ítaque gloriétur in homínibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apóllo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præséntia, sive futúra: ómnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.

℟. *v.* Vos estis templum Dei vivi; * Et membra vestra templum sunt Spíritûs sancti. ℣. Si quis autem templum Dei violáverit, dispérdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos; * Et membra. 2. *Cor.* 6. *&* 1. *Cor.* 3.

Lectio vj. *Cap.* 4.

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi, & dispensatóres mysteriórum Dei: hîc jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die: sed neque meípsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum; sed non in hoc justificátus sum: qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus, qui & illuminábit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium, & tunc laus erit unicuíque à Deo. Hæc autem, fratres, transfigurávi in me & Apóllo, propter vos: ut in nobis discátis, ne suprà quàm scriptum est, unus advérsùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te discérnit? Quid autem habes quod non accepísti? Si autem accepísti, quid gloriáris, quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis: sine nobis regnátis: & útinam regnétis, ut & nos vobíscum regnémus.

℟. *vj.* Non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus: * Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. ℣. Quid habes quod non accepísti? si autem accepísti, quid gloriáris quasi non accéperis? * Qui. Glória. * Qui. 1. *Cor.* 1: 2. *Cor.* 4.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap. 2.*

IN illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Jesu ibi: vocátus est autem & Jesus & discípuli ejus ad núptias. Et deficiénte vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et réliqua.

Homília S Augustíni Epíscopi
Tract. 8. in Joan.

QUis est qui consíderat ópera Dei quibus régitur & administrátur totus hic mundus, & non obstupéscit, obruitúrque miráculis? ... Sed quia hómines in áliud inténti perdidérunt consideratiónem óperum Dei, in qua darent laudem quotídie Creatóri; servávit sibi Deus inusitáta quædam quæ fáceret, ut tamquam dormiéntes hómines ad se coléndum mirabílibus excitáret... Prióra miràcula fecit per Verbum suum Deum apud se; posterióra fecit per ipsum Verbum suum incarnátum... Cùm ergo tanta videámus facta per Deũ Jesum, quid mirámur aquam in vinum convérsam per hóminem Jesum? Ipse fecit hoc, qui illa ómnia.

℟. *vij.* Dícite invitátis,* Calix meus inébrians quàm præclárus est! ℣. Veníte bíbite vinum quod míscui vobis: gustáte & vidéte,* Calix. *Matth. 22. Ps. 22. Prov. 9. Ps. 33.*

Lectio viij.

EXcépto miráculo, áliquid in ipso facto mystérii & sacraménti latet. Quid mirum si in illam domum ad núptias venit, qui in hunc mundum ad núptias venit? Verbum enim sponsus, & sponsa caro humána, & utrúmque unus Fílius Dei, & idem Fílius hóminis: úterus vírginis Maríæ thálamus ejus; inde procéssit tamquam sponsus de thálamo suo. Certi sacraménti grátiâ vidétur matrem, de qua sponsus procéssit, non agnóscere, & dícere illi: Quid mihi & tibi est, múlier? Miráculum exigébat mater; at ille non agnóscit víscera humána, operatúrus facta divína; tamquam dicens: quod de me facit miráculum, non tu genuísti: divinitátẽ meam non tu genuísti; sed quia genuísti infirmitátem meam, tunc te cognóscam, cùm ipsa infírmitas pendébit in cruce: hoc est enim; Nondum venit hora mea.

℟. *viij.* Sicut Ecclésia subjécta est Christo, ita & mulíeres viris suis in ómnibus. * Viri dilígite uxóres vestras, sicut & Christus diléxit Ecclésiam, & seípsum trádidit pro ea, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ. ℣. Sacraméntum hoc magnum est, in Christo & in Ecclésia:* Viri.

Joan. 2. Hebr. 13. Ephes. 5.
Lectio ix. Tract. 9.

EXceptâ mysticâ significatióne, confirmáre vóluit Dóminus quòd ipse fecit núptias: futúri enim erant, de quibus dixit Apóstolus, prohibéntes núbere, & dicéntes quòd malum essent núptiæ, & & quòd diábolus eas fecísset. Nec illæ quæ virginitátē Deo vovent, quamquam ampliórem gradum honóris & sanctitátis in Ecclésia téneant, sine núptiis sunt: nam & ipsæ pértinent ad núptias cum tota Ecclésia, in quibus núptiis sponsus est Christus. Ac per hoc ergo Dóminus invitátus venit ad núptias, ut conjugális cástitas firmarétur, & ostenderétur sacraméntum nuptiárum: quia & illárum núptiárū sponsus persónam Dómini figurábat.

℞. *ix.* Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus. Viri quasi infirmióri vásculo mulíebri, * Tamquā & coherédibus grátiæ vitæ † Impartiéntes honórem. ℣. Mulíeres súbditæ sint viris suis, * Tamquam. Glória. † Impartiéntes. *Hebr.* 13. 1. *Petr.* 3.

Te Déum. *Et sic in omnibus Dominicis, nisi aliter notetur.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sac.* Benedíctus qui venit. p. 300. *Usque ad Septuag.*

Ad Benedíctus. *Ant.* 1. f. Deficiénte vino, dicit mater Jesu ad eum, Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi & tibi est, múlier? nondum venit hora mea. *Joan.* 2.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui cæléstia simul & terréna moderáris, supplicatiónes pópuli tui cleménter exaúdi, & pacem tuam nostris concéde tempóribus; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Gustávit architriclínus aquā vinum factam, & non sciébat unde esset. Hoc fecit inítium signórum Jesus in Cana Galilææ, & manifestávit glóriam suam; & crediderunt in eum discípuli ejus. *Joan.* 2.

Oratio, Omnípotens. *suprà.*

FERIA SECUNDA.

De Oséе Prophéta.

Lectio j. Cap. 5.

AUdíte hoc sacerdótes, & atténdite domus Israël, & domus regis auscultáte: quia vobis judícium est, quóniam láqueus facti estis speculatióni, & rete expánsum super Thabor; & víctimas declinástis in profúndum: & ego erudítor ómniū eórum. Ego scio Ephraïm, & Israël non est abscónditus à me: qúia nunc fornicátus est Ephraïm, contaminátus est Israël. Non dabunt cogitatiónes suas ut revertántur ad Deum

suũ: quia spíritus fornicatiónum in médio eórum, & Dóminum non cognovérunt. Et respondébit arrogántia Israël in fácie ejus: & Israël, & Ephraïm ruēt in iniquitáte sua, ruet étiam Judas cum eis. In grégibus suis, & in arméntis suis vadent ad quærédũ Dóminum, & non invénient: ablátus est ab eis. In Dóminũ prævaricáti sunt, quia filios aliénos genuérunt: nunc devorábit eos mensis cum pártibus suis. Clángite búccinâ in Gábaa, tubâ in Rama: ululáte in Béthaven, post tergum tuum Bénjamin. Ephraïm in desolatióne erit in die correptiónis: in tríbubus Israël osténdi fidẽ. Facti sũt príncipes Juda quasi assuméntes términum: super eos effúndam quasi aquam irã meam. Calúmniam pátiens est Ephraïm fractus judício: quóniam cœpit abíre post sordes. Et ego quasi tínea Ephraïm: & quasi putrédo dómui Juda.

℟. *j.* Hæc fecísti, & tácui. Existimásti iníquè quòd ero tuî símilis; * Arguam te, & státuam contra fáciem tuam. ℣. Atténdite domus Israël quóniam láqueus facti estis speculatióni, & ego erudítor ómnium eórum, * Arguam. *Ps.* 49. *Os.* 5.

Lectio ij. *Cap.* 6.

In tribulatióne sua manè consúrgent ad me: Veníte, & revertámur ad Dóminum: quia ipse cepit, & sanábit nos: percútiet, & curábit nos. Vivificábit nos post duos dies; in die tértia suscitábit nos, & vivémus in conspéctu ejus. Sciémus, sequemúrque ut cognoscámus Dóminum: quasi dilúculum præparátus est egréssus ejus, & véniet quasi imber nobis temporáneus & serótinus terræ. Quid fáciam tibi Ephraïm? Quid fáciam tibi Juda? misericórdia vestra quasi nubes matutína, & quasi ros manè pertránsiens. Propter hoc dolávi in prophétis, occídi eos in verbis oris mei: & judícia tua quasi lux egredientur; quia misericórdiam vólui, & non sacrifícium, & sciéntiam Dei plusquàm holocáusta. Ipsi autẽ sicut Adam transgréssi sunt pactum, ibi prævaricáti sunt in me. Gálaad cívitas operántium idólum, supplantáta sánguine. Et quasi fauces virórum latrónum, párticeps sacerdótum, in via interficiéntium pergéntes de Sichem; quia scelus operáti sunt. In domo Israël vidi horréndum: ibi fornicatiónes Ephraïm: contaminátus est Israël. Sed & Juda pone messem tibi, cùm convértero captivitátem pópuli mei.

℟. *ij.* Projícite à vobis omnes prævaricatiónes vestras, & fácite vobis cor no-

vum, & spíritum novum. Quia nolo mortem moriéntis, * Revertímini, & vívite. ℣. In domo Israël vidi horréndum: ibi fornicatiónes Ephraïm: contaminátus est Israël. *Revertímini. *Ezech.* 18. *Os.* 6.

Lectio iij. *Cap.* 7.

Cum sanáre vellem Israël, reveláta est iníquitas Ephraïm, & malítia Samaríæ, quia operáti sunt mendácium: & fur ingréssus est spólians, latrúnculus foris. Et ne fortè dicant in córdibus suis omnem malítiam eórum me recordátum: nunc circumdedérunt eos adinventiónes suæ, coram fácie mea factæ sunt. In malítia sua lætificavérunt regem: & in mendáciis suis príncipes. Omnes adulterántes, quasi clíbanus succénsus à coquénte: quiévit páululum cívitas à commistióne ferménti, donec fermentarétur totum. Dies regis nostri: cœpérunt príncipes fúrere à vino: exténdit manum suam cum illusóribus: quia applicuérunt quasi clíbanum cor suum, cùm insidiarétur eis: totâ nocte dormívit coquens eos, manè ipse succénsus quasi ignis flammæ. Omnes calefácti sunt quasi clíbanus, & devoravérunt júdices suos: omnes reges eórum cecidérunt: non est qui clamet in eis ad me... Et humiliábitur supérbia Israël in fácie ejus: nec revérsi sunt ad Dóminum Deum suum, & non quæsiérunt eum in ómnibus his. Et factus est Ephraïm, quasi colúmba sedúcta, non habens cor: Ægyptum invocábant, ad Assyrios abiérunt. Et cùm proféсti fúerint, expándam super eos rete meum: quasi vólucrem cæli détraham eos, cædam eos secúndùm auditiónẽ cœtûs eórum. Væ eis, quóniam recessérunt à me; vastabúntur, quia prævaricáti sunt in me: & ego redémi eos; & ipsi locúti sunt contra me mendácia. Et non clamavérunt ad me in corde suo, sed ululábant in cubílibus suis: super tríticum & vinum ruminábant, recessérunt à me. Et ego erudívi eos, & confortávi bráchia eórum: & in me cogitavérunt malítiam.

℟. iij. Ut osténderet Deus divítias glóriæ suæ, vasa misericórdiæ præparávit non solùm ex Judæis, sed étiam ex Géntibus.* Et erit in loco ubi dictum est eis, Non-plebs mea vos, ibi vocabúntur fílii Dei vivi. ℣. Væ eis, quóniã recessérunt à me; vastabúntur, quia prævaricáti sunt in me; & ego redémi eos. * Et erit. Glória. * Et erit. *Rom.* 9. *Os.* 7.

FERIA TERTIA.

De Oséæ Prophéta.

Lectio j. *Cap. 8.*

IN gútture tuo sit tuba, quasi áquila super domum Dómini: pro eo quòd transgréssi sunt fœdus meum, & legem meam prævaricáti sunt. Me invocábunt: Deus meus, cognóvimus te Israël. Projécit Israël bonum, inimícus persequétur eum. Ipsi regnavérunt, & non ex me: príncipes exstitérunt, & non cognóvi: argéntum suum & aurum suum fecérunt sibi idóla, ut interírent. Projéctus est vítulus tuus, Samaría, irátus est furor meus in eos: úsquequo non póterunt emundári? Quia ex Israël & ipse est; ártifex fecit illum, & non est Deus: quóniam in araneárum telas erit vítulus Samaríæ... Sed & cùm mercéde condúxerint natiónes, nunc congregábo eos, & quiéscent paulísper ab ónere regis, & príncipum: quia multiplicávit Ephraïm altária ad peccándum: factæ sunt ei aræ in delíctum. Scribam ei multíplices leges meas, quæ velut aliénæ computátæ sunt. Hóstias ófferent, immolábunt carnes, & cómedent, & Dóminus non suscípiet eas: nunc recordábitur iniquitátis eórum, & visitábit peccáta eórum: ipsi in Ægyptum converténtur. Et oblítus est Israël factóris sui, & ædificávit delúbra: & Judas multiplicávit urbes munítas: & mittam ignē in civitátes ejus, & devorábit ædes illíus.

℟. j. Scito & vide quia malum & amárum est reliquísse te Dóminum Deum tuum, & non esse timórem Dei apud te: * Arguet te malítia tua, & avérsio tua increpábit te. ℣. Oblítus est Israël factóris sui, & ædificávit delúbra. * Arguet. *Jer. 2. Os. 8.*

Lectio ij. *Cap. 9.*

VEnérunt dies visitatiónis, venérunt dies retributiónis: scitóte Israël stultum prophétam, insánum virum spirituálem, propter multitúdinem iniquitátis tuæ, & multitúdinem améntiæ. Speculátor Ephraïm cum Deo meo: Prophéta láqueus ruínæ factus est super omnes vias ejus, insánia in domo Dei ejus. Profúndè peccavérunt, sicut in diébus Gábaa: recordábitur iniquitátis eórum, & visitábit peccáta eórum. Quasi uvas in desérto invéni Israël: quasi prima poma ficúlneæ in cacúmine ejus vidi patres eórum: ipsi autē intravérunt ad Beélphegor, & abalienáti sunt in confusiónem, & facti sunt abominábiles sicut ea, quæ dilexérunt. Ephraïm quasi avis avolávit, glória eórum à partu, & ab útero, & à concéptu. Quòd

& si enutríerint filios suos, absque líberis eos fáciam in homínibus: sed & væ eis cùm recéssero ab eis. Da eis Dómine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine líberis, & úbera aréntia. Omnes nequítiæ eórum in Galgal, quia ibi exósos hábui eos: propter malítiam adinventiónum eórum de domo mea ejíciam eos: non addam ut díligam eos, omnes príncipes eórum recedéntes. Percússus est Ephraïm, radix eórum exsiccáta est: fructum nequáquam fácient. Quòd & si genúerint, interfíciam amantíssima úteri eórum. Abjíciet eos Deus meus, quia non audiérunt eum: & erunt vagi in natiónibus.

℟. ij. Lugéte & ploráte: *Risus vester in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem: humiliámini in conspéctu Dómini. ℣. Fructum nequáquam fácient. Quòd & si genúerint, interfíciam amantíssima úteri eórum. * Risus vester. *Jac. 4. Os. 9.*

Lectio iij. *Cap. 10.*

Vitis frondósa Israël, fructus adæquátus est ei: secúndùm multitúdinem fructûs sui multiplicávit altária, juxta ubertátem terræ suæ exuberávit simulácris. Divísum est cor eórum, nunc interíbunt: ipse confrínget simulácra eórum, depopulábitur aras eórũ. Quia nunc dicent: Non est rex nobis: non enim timémus Dóminum: & rex quid fáciet nobis? Loquímini verba visiónis inútilis, & feriétis fœdus: & germinábit quasi amaritúdo judícium super sulcos agri.... Transíre fecit Samaría regem suum, quasi spumam super fáciem aquæ. Et disperdéntur excélsa idóli, peccátum Israël: lappa, & tríbulus ascéndet super aras eórum: & dicent móntibus: Operíte nos: & cóllibus: Cádite super nos. Ex diébus Gábaa, peccávit Israël, ibi stetérunt: non comprehéndet eos in Gábaa prælium super filios iniquitátis. Juxta desidérium meum corrípiam eos: congregabúntur super eos pópuli, cùm corripiántur propter duas iniquitátes suas. Ephraïm vítula docta dilígere tritúram, & ego transívi super pulcritúdinem colli ejus: ascéndam super Ephraïm, arabit Judas, confrínget sibi sulcos Jacob. Seminate vobis in justítia, & métite in ore misericórdiæ, innováte vobis nováte: tempus autem requiréndi Dóminum, cùm vénerit qui docébit vos justítiam. Arástis impietátem, impietátem messuístis, comedístis frugem mendácii: quia confísus es in viis tuis, in multitúdine fórtium tuórum.

℟. iij. Auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis, quiéscite ágere pervérsè, díscite bene fácere, & dirígite stúdia vestra, * Et veníte: si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabúntur. ℣. Semináte vobis in justítia, & métite in ore misericórdiæ, innováte vobis novále * Et. Glória.* Et. *Is.* 1. *Jer.* 18. *Os.* 10.

FERIA QUARTA.

De Oséе Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 11.

SIcut manè tránsiit, pertránsiit rex Israël. Quia puer Israël, & diléxi eum: & ex Ægypto vocávi fílium meum. Vocavérunt eos, sic abiérunt à fácie eórum: Báalim immolábant, & simulácris sacrificábant. Et ego quasi nutrítius Ephraïm, portábam eos in bráchiis meis: & nesciérunt quòd curárem eos. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis: & ero eis quasi exáltans jugum super maxíllas eórum: & declinávi ad eum ut vescerétur. Non revertétur in terram Ægypti, & Assur ipse rex ejus: quóniam noluérunt convérti. Cœpit gládius in civitátibus ejus, & consúmet eléctos ejus, & cómedet cápita eórum. Et pópulus meus pendébit ad réditum meum: jugum autem imponétur eis simul, quod non auferétur. Quómodò dabo te Ephraïm, prótegam te Israël? Quómodò dabo te sicut Adama, ponam te, ut Séboïm? Convérsum est in me cor meũ, páriter conturbáta est pœnitúdo mea. Non fáciam furórem iræ meæ: non convértar ut dispérdam Ephraïm: quóniam Deus ego, & non homo: in médio tuî sanctus, & non ingrédiar civitátem. Post Dóminum ambulábunt, quasi leo rúgiet: quia ipse rúgiet, & formidábunt fílii maris. Et avolábunt quasi avis ex Ægypto, & quasi colúmba de terra Assyriórum: & collocábo eos in dómibus suis, dicit Dóminus. Circúmdedit me in negatióne Ephraïm, & in dolo domûs Israël: Judas autem testis descéndit cum Deo, & cum sanctis fidélis.

℟. j. Revértere aversátrix Israël, dicit Dóminus, & non avértam fáciem meam à vobis; * Quia sanctus ego sum, & non iráscar in perpétuum. ℣. Non fáciam furórem iræ meæ, non convértar ut dispérdam Ephraïm; * Quia. *Jer.* 3. *Os.* 1.

Lectio ij. *Cap.* 12.

EPhraïm pascit ventum, & séquitur æstum: totâ die mendácium & vastitátem multíplicat: & fœdus cum Assyriis íniit, & óleum in Ægyptum ferebat. Judícium ergo

Dómini cum Juda, & visitátio super Jacob: juxta vias ejus, & juxta adinventiónes ejus reddet ei. In útero supplantávit fratrem suum: & in fortitúdine sua diréctus est cum ángelo. Et inváluit ad ángelum, & confortátus est: flevit, & rogávit eum: in Bethel invénit eum, & ibi locútus est nobíscum. Et Dóminus Deus exercítuum, Dóminus, memoriále ejus. Et tu ad Deum tuum convérteris: misericórdiam & judícium custódi, & spera in Deo tuo semper. Chánaan, in manu ejus statéra dolósa, calúmniam diléxit. Et dixit Ephraïm: Verúmtamen dives efféctus sum, invéni idólum mihi: omnes labóres mei non invénient mihi iniquitátem, quam peccávi.

℟. *ij.* Fornicáta es & polluísti terram in malítiis tuis: tamen * Revértere ad me, & ego suscípiam te, dicit Dóminus. ℣. Misericórdiam & judícium custódi, & spera in Deo tuo semper. * Revértere. *Jer. 3. Os. 12.*

Lectio iij.

Et ego Dóminus Deus tuus ex Terra Ægypti, adhuc sedére te fáciam in tabernáculis, sicut in diébus festivitátis. Et locútus sum super prophétas, & ego visiónem multiplicávi, & in manu prophetárum assimilátus sum. Si Gálaad idólum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolántes: nam & altária eórum quasi acérvi super sulcos agri: Fugit Jacob in regiónem Syriæ, & servívit Israël in uxórem, & in uxórem servávit. In prophéta autem edúxit Dóminus Israël de Ægypto: & in prophéta servátus est. Ad iracúndiam me provocávit Ephraïm in amaritudínibus suis, & sánguis ejus super eum véniet, & oppróbrium ejus restítuet ei Dóminus suus.

℟. *iij.* Multiplicátæ sunt prævaricatiónes eórum, & in domo meretrícis luxuriabántur. * Spíritus fornicatiónis in médio eórum. ℣. Ad iracúndiam me provocávit Ephraïm in amaritudínibus suis, & sánguis ejus super eum véniet, & oppróbrium ejus restítuet ei Dóminus suus. * Spíritus. *Jer. 5. Os. 12.*

FERIA QUINTA.

De Osée Prophéta.

Lectio j. Cap. 13.

Loquénte Ephraïm, horror invásit Israël, & delíquit in Baal, & mórtuus est. Et nunc addidérunt ad peccándum: fecerúntque sibi conflátile de argénto suo quasi similitúdinem idolórum, factúra artíficum totum est. His ipsi dicunt: Immoláte hómines, vítulos adorántes. Idcírco erunt quasi nubes matu-

tuâ, & sicut ros matutinus prætériens, sicut pulvis túrbine raptus ex área, & sicut fumus de fumário. Ego autem Dóminus Deus tuus ex terra Ægypti: & Deum absque me néscies, & salvátor non est præter me. Ego cognóvi te in desérto, in terra solitúdinis. Juxta páscua sua adimpléti sunt, & saturáti sunt: & levavérunt cor suum, & oblíti sunt meî. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriórum. Occúrram eis quasi ursa raptis cátulis, & dirúmpam interióra jécoris eórum: & consúmam eos ibi quasi leo, béstia agri scindet eos. Perdítio tua Israël: tantúmmodò in me auxílium tuum.

℟. *j*. Servíre me fecísti in peccátis tuis, præbuísti mihi labórem in iniquitátibus tuis. * Ego sum, ego sum ipse qui déleo iniquitátes tuas propter me, & peccatórum tuórum non recordábor. ℣. Perdítio tua Israël: tantúmmodo in me auxílium tuum. * Ego sum. *Is*. 43. *Os*. 13.

Lectio ij.

UBi est rex tuus? Máximè nunc salvet te in ómnibus úrbibus tuis: & júdices tui, de quibus dixísti: da mihi regem, & príncipes. Dabo tibi regem in furóre meo, & áuferam in indignatióne mea. Colligáta est iníquitas Ephraïm, abscónditum peccátum ejus. Dolóres parturiéntis vénient ei: ipse filius non sápiens: nunc enim non stabit in contritióne filiórum. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos: ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inférne: consolátio abscóndita est ab óculis meis; quia ipse inter fratres dívidet: addúcet uréntem ventum Dóminus de desérto ascendéntē: & siccábit venas ejus, & desolábit fontem ejus, & ipse dirípiet thesaúrum omnis vasis desiderábilis.

℟. *ij*. Cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est; Absórpta est mors in victória. *Ubi est mors victória tua? ubi est mors stímulus tuus? ℣. De manu mortis liberábo eos, & de morte rédimam eos: ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inférne. * Ubi. 1. *Cor*. 15. *Os*. 13.

Lectio iij. *Cap*. 14.

PEreat Samaría, quóniam ad amaritúdinem concitávit Deum suum: in gládio péreant, párvuli eórum elidántur, & fœtæ ejus discindántur. Convértere Israël ad Dóminum Deum tuum: quóniam corruísti in iniquitáte tua. Tóllite vobíscum verba, & convertímini ad Dóminum: & dícite ei: Omnem aufer

iniquitátem, áccipe bonum: & reddémus vítulos labiórum nostrórum. Assur non salvábit nos, super equum non ascendémus, nec dicémus ultrà: Dii nostri ópera mánuum nostrárum: quia ejus, qui in te est, miseréberis pupílli. Sanábo contritiónes eórum, díligam eos spontáneè: quia aversus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Isráël germinábit sicut lílium, & erúmpet radix ejus ut Líbani. Ibunt rami ejus, & erit quasi olíva glória ejus, & odor ejus ut Líbani. Converténtur sedéntes in umbra ejus: vivent trítico, & germinábunt quasi vínea: memoriále ejus sicut vinum Líbani. Ephraïm quid mihi ultrà idóla? ego exaúdiam, & dírigam eum ego ut abíetem viréntem: ex me fructus tuus invéntus est. Quis sápiens, & intélliget ista? Intélligens, & sciet hæc? quia rectæ viæ Dómini, & justi ambulábunt in eis: prævaricatóres verò córruent in eis.

℟. iij. Nonne verba mea bona sunt cum eo qui rectè gráditur? Quis sápiens? & intélliget quia rectæ viæ Dómini, & justi ambulábunt in eis; * Prævaricatóres verò córruent in eis. ℣. Univérsæ viæ Dómini, misericórdia & véritas requiréntibus testaméntum ejus & testimónia ejus; * Prævaricatóres. Glória. * Prævaricatóres. *Mich. 2. Os. 14. Ps. 24.*

FERIA SEXTA.

Incipit Liber Joélis Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VErbum Dómini, quod factum est ad Joël filium Phátuel. Audíte hoc senes, & áuribus percípite omnes habitatóres terræ: si factum est istud in diébus vestris, aut in diébus patrum vestrórum? Super hoc fíliis vestris narráte, & fílii vestri fíliis suis, & fílii eórum generatióni álteræ. Resíduum erúcæ comédit locústa, & resíduum locústæ comédit bruchus, & resíduum bruchi comédit rubígo. Expergiscímini ébrii, & flete, & ululáte omnes, qui bíbitis vinum in dulcédine: quóniam périit ab ore vestro. Gens enim ascéndit super terram meam, fortis & innumerábilis: dentes ejus ut dentes leónis: & moláres ejus ut cátuli leónis. Pósuit víneam meam in desértum, & ficum meam decorticávit: nudans spoliávit eam, & projécit: albi facti sunt rami ejus. Plange, quasi virgo accíncta sacco super virum pubertátis suæ. Périit sacrifícium, & libátio de domo Dómini: luxérunt sacerdótes minístri Dómini. De

populáta est regio, luxit humus: quóniam devastátum est tríticum, confúsum est vinum, elánguit óleum. Confúsi sunt agrícolæ, ululavérunt vinitóres super fruménto, & hórdeo, quia périit messis agri. Vínea confúsa est, & ficus elánguit: malogranátum, & palma, & malum, & ómnia ligna agri aruérunt: quia confúsum est gáudium à filiis hóminum.

℟. j. Ego plantávi te víneam eléctam, omne semen verum;* Quómodo ergo convérsa es mihi in pravum vínea aliéna? Ideo auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejus. ℣. Confúsi sunt agrícolæ, ululavérunt vinitóres super fruménto & hórdeo, quia périit messis agri, vínea confúsa est. *Quómodo *Jer.* 2. *Matth.* 21. *Joël.* 1.

Lectio ij.

ACcíngite vos, & plángite sacerdótes, ululáte minístri altáris: ingredímini, cubáte in sacco minístri Dei mei: quóniam intériit de domo Dei vestri sacrifícium, & libátio. Sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum, congregáte senes omnes habitatóres terræ in domum Dei vestri: & clamáte ad Dóminum. A a a, diéi. Quia propè est dies Dómini, & quasi vástitas à poténte véniet. Numquid non coram óculis vestris aliménta periérunt de domo Dei nostri, lætítia, & exultátio? Computruérunt juménta in stércore suo, demolíta sunt hórrea, dissipátæ sunt apothécæ: quóniam confúsum est tríticum. Quid ingémuit animal, mugiérunt greges arménti? Quia non est páscua eis: sed & greges pécorum dispeniérunt. Ad te Dómine clamábo: quia ignis comédit speciósa desérti, & flamma succéndit ómnia ligna regiónis. Sed & béstiæ agri, quasi área sítiens imbrem, suspexérũt ad te: quóniã exsiccáti sunt fontes aquárum, & ignis devorávit speciósa desérti.

℟. ij. Horréndum est incídere in manus Dei vivéntis;* Scimus enim qui dixit: mihi vindícta, & ego retríbuam. ℣. A a a, diéi. Quia propè est dies Dómini, & quasi vástitas à poténte véniet. * Scimus *Hebr.* 10. *Joël.* 1.

Lectio iij. *Cap.* 2.

CAnite tubâ in Sion, ululáte in mõte sancto meo, conturbéntur omnes habitatóres terræ: quia venit dies Dómini, quia propè est. Dies tenebrárum & calíginis, dies nubis & túrbinis: quasi manè expánsum super montes, pópulus multus & fortis: símilis ei non fuit à princípio, & post

eum non erit usque in annos generatiónis & generatiónis. Ante fáciem ejus ignis vorans & post eum exúrens flamma: quasi hortus voluptátis terra coram eo, & post eum solitúdo desérti, neque est qui effúgiat eum. Quasi aspéctus equórum, aspéctus eorum: & quasi équites, sic current. Sicut sónitus quadrigárum super cápita móntium exíliet, sicut sónitus flammæ ignis devorántis stípulam, velut pópulus fortis præparátus ad prælium. A fácie ejus, cruciabúntur pópuli: omnes vultus redigéntur in ollam... Nunc ergo dicit Dóminus: convertímini ad me in toto corde vestro in jejúnio, & in fletu, & in planctu. Et scíndite corda vestra, & non vestiménta vestra, & convertímini ad Dóminū Deum vestrum: quia benígnus & misericors est, pátiens & multæ misericórdiæ, & præstábilis super malítia. Quis scit si convertátur, & ignóscat, & relínquat post se benedictiónem, sacrifíciū, & libámen Dómino Deo vestro?

℞. iij. Magnus dies Dómini, & terríbilis valde: quis sustinébit eum? * Nunc ergo: convertímini ad Dóminum Deum vestrum, quia benígnus & miséricors est. ℣. Venit dies magnus iræ sedéntis super thronum, & Agni; & quis póterit stare? * Nunc ergo. Glória. * Nunc. *Joël.* 2. *Apoc.* 6.

SABBATO.

De Joéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 2.

CAnite tubâ in Sion, & sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum, congregáte pópulum, sanctificáte ecclésiam, coadunáte senes, congregáte párvulos, & sugéntes úbera: egrediátur sponsus de cubíli suo, & sponsa de thálamo suo. Inter vestíbulum & altáre plorábunt sacerdótes minístri Dómini: & dicent: Parce Dómine, parce pópulo tuo: & ne des hereditátem tuam in oppróbriū, ut domInéntur eis natiónes. Quare dicunt in pópulis: Ubi est Deus eórum? Zelátus est Dóminus terram suam, & pepércit pópulo suo... Noli timére terra, exúlta & lætáre: quóniam magnificávit Dóminus ut fáceret. Nolíte timére animália regiónis: quia germinavérunt speciósa desérti, quia lignum áttulit fructum suum, ficus, & vínea dedérunt virtútem suam. Et filii Sion exultáte; & lætámini in Dómino Deo vestro: quia dedit vobis doctórem justítiæ: & descéndere fáciet ad vos imbrem matutínum & serótinum, sicut in princípio. Et

implebúntur áreæ fruménto, & redundábunt torculária vino & óleo. Et reddam vobis annos, quos comédit locústa, bruchus, & rubígo, & erúca: fortitúdo mea magna, quam misi in vos. Et comedétis vescéntes, & saturabímini: & laudábitis nomen Dómini Dei vestri, qui fecit mirabília vobíscum: & non confundétur pópulus meus in sempitérnum. Et sciétis quia in médio Israël ego sum: & ego Dóminus Deus vester, & non est ámplius: & non confundétur pópulus meus in ætérnum.

℟. j. Convertímini peccatóres, & fácite justítiam; * Convertímini ad me, & salvi éritis, quia ego Deus, & non est álius. ℣. Accíngite vos, & plángite sacerdótes; sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum. * Convertímini ad me. *Is.* 45. *Matth.* 3. *Joel.* 2.

Lectio ij. v. 28. *& C.* 3.

ET erit post hæc: Effúndam Spíritum meum super omnem carnem: & prophetábunt fílii vestri & fíliæ vestræ: senes vestri sómnia somniábunt, & júvenes vestri visiónes vidébunt. Sed & super servos meos, & ancíllas in diébus illis effúndam Spíritum meum. Et dabo prodígia in cælo & in terra, sánguinem, & ignem, & vapórem fumi. Sol convertétur in ténebras, & luna in sánguinem: ántequàm véniat dies Dómini magnus & horríbilis. Et erit: omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit: quia in monte Sion & in Jerúsalem erit salvátio, sicut dixit Dóminus, & in resíduis, quos Dóminus vocáverit. Quia ecce in diébus illis, & in témpore illo, cùm convértero captivitátem Juda & Jerúsalem, congregábo omnes Gentes, & dedúcam eas in vallem Jósaphat: & disceptábo cum eis ibi super pópulo meo, & hereditáte mea Israël, quos dispersérunt in natiónibus, & terram meam divisérunt; & super pópulum meum misérunt sortem: & posuérunt púerum in prostíbulo, & puéllam vendidérunt pro vino ut bíberent. Verùm quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis términus Palæsthinórum? numquid ultiónem vos reddétis mihi? & si ulciscímini vos contra me, citò velóciter reddam vicissitúdinem vobis super caput vestrum.

℟. ij. Dabo prodígia in cælo sursùm, & signa in terra deórsùm; * Et omnis quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. ℣. Effúndam Spíritum meum super omnem carnem, & prophetábunt fílii

vestri, & filiæ vestræ; * Et omnis. *Act. 2. Joël. 2.*

Lectio iij.

Ecce ego suscitábo eos de loco, in quo vendidístis eos: & convértam retributiónem vestram in caput vestrū. Et vendam filios vestros, & filias vestras in mánibus filiórum Juda, & venúmdabunt eos Sabæis genti longínquæ, quia Dominus locútus est. Clamáte hoc in géntibus, sanctificáte bellum, suscitáte robústos: accédant, ascéndant omnes viri bellatóres. Concídite arátra vestra in gládios, & ligónes vestros in lánceas. Infirmus dicat: quia fortis ego sum. Erúmpite, & venite omnes gentes de circúitu, & congregámini: ibi occúmbere fáciet Dóminus robústos suos, consúrgant, & ascéndant Gentes in vallem Jósaphat: quia ibi sedébo ut júdicem omnes gentes in circúitu. Míttite falces, quóniam maturávit messis: veníte, & descéndite, quia plenum est tórcular, exúberant torculária: quia multiplicáta est malítia eórum. Pópuli pópuli in valle concisiónis: quia juxtà est dies Dómini in valle concisiónis. Sol & luna obtenebráti sunt, & stellæ retraxérunt splendórem suum. Et Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúsalem dabit vocem suam; & movebúntur cæli & terra: & Dóminus spes pópuli sui, & fortitúdo filiórum Israël. Et sciétis quia ego Dóminus Deus vester hábitans in Sion monte sancto meo: & erit Jerúsalem sancta, & aliéni non transíbunt per eam ámpliùs. Et erit in die illa: stillábunt montes dulcédinē, & colles fluent lacte: & per omnes rivos Juda ibunt aquæ; & fons de domo Dómini egrediétur, & irrigábit torréntem spinárum. Ægyptus in desolatiónem erit, & Idumæa in desértum perditiónis: pro eo quod iníquè égerint in filios Juda, & effúderint sánguinem innocéntem in terra sua. Et Judæa in ætérnum habitábitur, & Jerúsalem in generatiónem & generatiónem. Et mundábo sánguinem eórum, quem non mundáveram: & Dóminus commorábitur in Sion.

℟. iij. Réquies sábbati. 146

In Vesp. *Ad* Magníficat, *Ant.* 8. c. Cùm descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. *Matth.* 8.

Oratio, Omnípotens. *infrà in Laud. Matut.*

DOMINICA III. *post Epiphaniam.*

In I. Noct.

Incipit Liber Amos Prophétæ.

Lectio j. *Cap.* 1.

VErba Amos, qui fuit in pastóribus de Thécue: quæ vidit super Israël in diébus Oziæ regis Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Israël, ante duos annos terræ motûs. Et dixit: Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúsalem dabit vocem suam: & luxérunt speciósa pastórum, & exsiccátus est vertex Carméli. Hæc dicit Dóminus: Super tribus scelé-ribus Damásci, & super quá-tuor non convértam eum: eo quòd trituráverint in plaustris férreis Gálaad. Et mittam ignem in domum Azaël, & devorábit domos Bénadad. Et cónteram vectem Damásci; & dispérdam habitatórem de campo idóli, & tenéntem sceptrum de domo voluptátis: & transferétur pópulus Syriæ Cyrénen, dicit Dóminus. Hæc dicit Dóminus: Super tribus sceléribus Gazæ, & super quá-tuor non convértam eum: eo quòd transtúlerint captivitá-tem perféctam, ut conclúderent eam in Idumæa. Et mittam ignem in murum Gazæ, & devorábit ædes ejus. Et dispérdam habitatórem de Azóto, & tenéntem sceptrum de Ascalóne; & convértam manum meam super Accaron, & períbunt réliqui Philisthinó-rum, dicit Dóminus Deus. Hæc dicit Dóminus: Super tribus sceléribus Tyri, & super quátuor non convértam eum: eo quòd conclúserint captivitátem perféctam in Idumæa, & non sint recordáti fœderis fratrum. Et mittam ignem in Tyrum, & devorábit ædes ejus.

℟. *j.* Iste dies. *pag.* 367.

Lectio ij. *v.* 11. *& C.* 2.

HÆc dicit Dóminus: Super tribus sceléribus Edom, & super quátuor non convértam eum: eo quod persecútus sit in gládio fratrem suum, & violáverit misericórdiam ejus, & tenúerit ultrà furórem suum, & indignatiónem suam serváverit usque in finem. Mittam ignem in Theman: & devorábit ædes Bosræ. Hæc dicit Dóminus: Super tribus sceléribus filiórum Ammon, & super quátuor non convértam eum: eo quòd dissecúerit prægnántes Gálaad ad dilatándum términum suũ. Et succéndam ignem in muro Rabba: & devorábit ædes ejus in ululátu in die belli, & in túrbine in die commotiónis. Et ibit Melchom in captivitátem, ipse, & príncipes ejus simul, dicit Dóminus. Hæc dicit Dóminus: Super tribus sceléribus Moab, & super quátuor non convértam eum: eo quòd incénderit ossa regis Idumææ

dumææ usque ad cínerem. Et mittam ignem in Moab, & devorábit ædes Cárioth; & moriétur in sónitu Moab, in clangóre tubæ: & dispérdam júdicem de médio ejus, & omnes príncipes ejus interfíciam cum eo, dicit Dóminus.

℟. ij. Dies sanctificátus. 4.

Lectio iij.

HÆc dicit Dóminus: Super tribus scseléribus Israël, & super quátuor non convértam eum: pro eo quòd vendíderit pro argénto justum, & paúperem pro calceaméntis. Qui cónterunt super púlverem terræ cápita paúperum, & viam humílium declínant; & fílius ac pater ejus iérunt ad puéllam, ut violárent nomen sanctum meum; & super vestiméntis pignorátis accubuérunt juxta omne altáre: & vinum damnatórum bibébant in domo Dei sui. Ego autem extermináviAmorrhæum à fácie eórum, cujus altitúdo, cedrórum altitúdo ejus, & fortis ipse quasi quercus; & contrívi fructum ejus désuper, & radíces ejus subter. Ego sum, qui ascéndere vos feci de Terra Ægypti, & duxi vos in desérto quadragínta annis ut possidérétis Terram Amorrhæi. Et suscitávi de fíliis vestris in prophétas, & de juvénibus vestris Nazaræos: numquid non ita est, filii Israël, dicit Dóminus? Et propinábitis Nazaræis vinum: & prophétis mandábitis, dicéntes: Ne prophetétis. Ecce ego stridébo subter vos, sicut stridet plaústrum onústum fœno.

℟. iij. Pascha nostrum. p. 4.

IN II. NOCT.

De Epístola prima béati Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. *Cap. 4.*

PUto quòd Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos: quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes; vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam & esurímus, & sitímus, & nudi sumus, & cólaphis cædimur, & instábiles sumus, & laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, & benedícimus: persecutiónem pátimur, & sustinémus: blasphemámur, & obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres: nam in Chri-

sto Jesu per Evangélium ego vos génui.

℟. iv. Tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, * Ut & vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. ℣. Nos stulti propter Christum: maledícimur, & benedícimus; persecutiónem pátimur, & sustinémus; blasphemámur, & obsecrámus; * Ut. 2. *Cor.* 4. & 1. *Cor.* 4.

Lectio v. v. 16. & *Cap.* 5.

Rogo ergo vos, imitatóres mei estóte, sicut & ego Christi. Ideò misi ad vos Timótheum, qui est fílius meus caríssimus, & fidélis in Dómino: qui vos commonefáciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubíque in omni Ecclésia dóceo. Tamquam non ventúrus sim ad vos, sic infláti sunt quidam. Véniam autem ad vos citò, si Dóminus volúerit: & cognóscam non sermónem eórum qui infláti sunt, sed virtútem. Non enim in sermóne est regnum Dei, sed in virtúte. Quid vultis? in virga véniam ad vos, an in caritáte, & spíritu mansuetúdinis? Omnínò audítur inter vos fornicátio, & talis fornicátio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxórem patris sui áliquis hábeat. Et vos infláti estis: & non magis luctum habuístis, ut tollátur de médio vestrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem absens córpore, præsens autem spíritu, jam judicávi ut præsens, eum qui sic operátus est, in nómine Dómini Jesu Christi, congregátis vobis & meo spíritu, cum virtúte Dómini nostri Jesu, trádere hujúsmodi sátanæ in intéritum carnis, ut spíritus salvus sit in die Dómini nostri Jesu Christi.

℟. v. Trádidit illos Deus in passiónes ignomíniæ, ut fáciant ea quæ non convéniunt: qui cùm justítiam Dei cognovíssent, non intellexérunt * Quóniam qui tália agunt digni sunt morte; & non solùm qui ea fáciunt, sed étiam qui consséntiunt faciéntibus. ℣. Auférte malum ex vobis ipsis; * Quóniam. *Rom.* 1. 1. *Cor.* 5.

Lectio vj.

Non est bona gloriátio vestra. Nescítis quia módicum ferméntum totam massam corrúmpit? Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova conspérsio, sicut estis ázymi. Etenim pascha nostrũ immolátus est Christus. Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ & nequítiæ: sed in ázymis sinceritátis & veritátis. Scripsi vobis in epístola: Ne commisceámini fornicáriis; non útique for-

nicáriis hujus mundi, aut avá-ris, aut rapácibus, aut idólis serviéntibus: alióquin debuerátis de hoc mundo exiísse. Nunc autem scripsi vobis non commiscéri, si is qui frater nominátur, est fornicátor, aut avárus; aut idólis sérviens, aut malédicus, aut ebriósus, aut rapax: cum ejúsmodi nec cibum súmere. Quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicáre? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicátis? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicábit. Auférte malum ex vobis ipsis.

℟. vj. Omnis ánima, quæ fécerit de abominatiónibus his quídpiam, períbit de médio pópuli sui;* Et ne polluámini in eis. ℣. Scripsi vobis in epístola, Ne commisceámini fornicáriis; * Et. *Levit.* 18. 1. *Cor.* 5.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 8.

IN illo témpore; Cùm descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprósus véniens adorábat eum dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et exténdens Jesus manum, tétigit eum, dicens: Volo, mundáre. Et conféstim mundáta est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide némini díxeris, sed vade, osténde te sacerdóti, & offer munus quod præcépit Móyses, in testimónium illis. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. in Cap. 8. Matth.

DE monte Dómino descendénti occúrrunt turbæ: quia ad altióra ascéndere non valuérunt. Et primus occúrrit ei leprósus: necdum enim póterat cum lepra tam multíplicem in monte Salvatóris audire sermónem. Et notándum quòd hic primus speciáliter curátus sit: secúndò puer Centuriónis: tértiò socrus Petri fébriens in Capharnaüm: quarto loco, qui obláti sunt ei à dæmónio vexáti; quorum spíritus verbo ejiciébat, quando omnes malè habéntes curávit.

℟. vij. Leprósus véniens adorábat Jesum, dicens:* Dómine, si vis, potes me mundáre. ℣. Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & spíritûs, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei. * Domine. *Matth.* 8. 2. *Cor.* 7.

Lectio viij.

ET ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens. Rectè post prædicatiónem atque doctrínam, signi offértur occásio, ut per virtútum mirácula prætéritus apud audiéntes sermo confirmétur.

Dómine, si vis, potes me mundáre. Qui voluntátem rogat, de virtúte non dúbitat. Et exténdens manum Jesus, tétigit eum, dicens: Volo, mundáre. Extendénte manum Dómino, statim lepra fugit; simúlque considera quàm húmilis & sine jactántia respónsio. Ille díxerat: Si vis; Dóminus respóndit, Volo. Ille præmíserat, Potes me mundáre; Dóminus jungit, & dicit: Mundáre. Non ergo ut pleríque Latinórum putant, jungéndum est & legéndum, Volo mundáre; sed separátim, ut primùm dicat, Volo; deinde imperet, Mundáre.

℟. viij. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, Deus meus in te confído, non erubéscam; *Etenim univérsi qui sústinent te non confundéntur. ℣. Exténdens Jesus manum tétigit eum, dicens: Volo; mundáre; * Etenim. Ps. 24. Matth. 8.

Lectio ix.

ET ait illi Jesus: Vide, némini díxeris. Et revéra quid erat necésse ut sermóne jactáret, quod córpore præferébat? Sed vade, osténde te sacerdóti. Várias ob causas mittit eum ad sacerdótem: primùm propter humilitátem, ut sacerdótibus honórem deférre videátur; (erat enim lege præcéptum, ut qui mundáti essent à lepra, offérrent múnera sacerdótibus.) Deinde ut mundátum vidéntes leprósum, aut créderent Salvatóri, aut non créderent: si créderent, salvaréntur; si non créderent, inexcusábiles forent. Et simul ne quod in eo sæpíssimè criminabántur, legem viderétur infríngere.

℟. ix. Adducétur leprósus ad Sacerdótem, qui præcípiet ei qui purificátur, ut ófferat* Pro delícto, & in holocaústum. ℣. Vade, osténde te sacerdóti, & offer munus quod præcépit Móyses * Pro delícto. Glória. * Pro. Levit. 14. Matth. 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. 2. Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniã, & curábo eum. *Matth.* 8.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice, atque ad protegéndum nos déxteram tuæ majestátis exténde; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Dico vobis quòd multi ab Oriénte & Occidénte vénient, & recúmbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælórum; filii autem regni ejiciéntur in ténebras exterióres: ibi erit fletus, & stridor déntium. *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

De Amos Prophéta.

Lectio j. *Cap. 3.*

AUdíte verbum, quod locútus est Dóminus super vos, filii Israël: super omnem cognatiónem, quam edúxi de Terra Ægypti, dicens: Tantúmmodò vos cognóvi ex ómnibus cognatiónibus terræ: idcircò visitábo super vos omnes iniquitátes vestras. Si clanget tuba in civitáte, & pópulus non expavéscet? Si erit malum in civitáte, quod Dóminus non fécerit? Quia non facit Dóminus Deus verbum, nisi reveláverit secrétum suum ad servos suos prophétas. Leo rúgiet, quis non timébit? Dóminus Deus locútus est, quis non prophetábit? Audítum fácite in ædibus Azóti, & in ædibus Terræ Ægypti; & dícite: Congregámini super montes Samaríæ, & vidéte insánias multas in médio ejus, & calúmniam patiéntes in penetrálibus ejus. Et nesciérunt fácere rectum, dicit Dóminus, thesaurizántes iniquitátẽ, & rapínas in ædibus suis. Proptérea hæc dicit Dóminus Deus: Tribulábitur & circuiétur terra: & detrahétur ex te fortitúdo tua, & diripiéntur ædes tuæ.

℟. j. Si non audiéritis vocem meam, multitúdo hæc magna convertétur in mínimam inter gentes quò ego eas dispérgam, * Quia scio quòd me non aúdiet pópulus. ℣. Tribulábitur & circuiétur terra, & detrahétur ex te fortitúdo tua, & diripiéntur ædes tuæ, * Quia. *Baruch. 2. Amos 3.*

Lectio ij. *v. 12. & C. 4.*

HÆc dicit Dóminus: Quómodò si éruat pastor de ore leónis duo crura, aut extrémum aurículæ: sic eruéntur filii Israël, qui hábitant in Samaría in plaga léctuli, & in Damásci grabáto. Audíte, & contestámini in domo Jacob, dicit Dóminus Deus exercítuum: quia in die cùm visitáre cœpero prævaricatiónis Israël, super eum visitábo, & super altária Bethel: & amputabúntur córnua altáris, & cadent in terram. Et percútiam domum hiemálem cum domo æstíva: & peribunt domus ebúrneæ, & dissipabúntur ædes multæ, dicit Dóminus... Audíte verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samaríæ: quæ calúmniam fácitis egénis, & confríngitis paúperes: quæ dícitis dóminis vestris: Afférte, & bibémus. Jurávit Dóminus Deus in sancto suo: quia ecce dies vénient super vos, & levábunt vos in contis, & relíquias vestras in ollis fervéntibus. Et per apertúras exíbitis áltera contra álteram, & projiciémini in Armon, di-

cit Dóminus. Veníte ad Bethel, & ímpiè ágite: ad Gálgalam, & multiplicáte prævaricatiónem: & afférte manè víctimas vestras, tribus diébus décimas vestras.

℟. ij. Vos recessístis de via, & scandalizástis plúrimos in lege: * Propter quod & ego dedi vos contemptíbiles & húmiles ómnibus pópulis, sicut non servástis vias meas. ℣. Audíte verbũ hoc, vaccæ pingues, quæ calúmniã fácitis egéno, & confríngitis paúperes: * Propter quod. *Malach.* 2. *Amos* 4.

Lectio iij.

EGo quoque prohíbui à vobis imbrem, cùm adhuc tres menses superéssent usque ad messem: & plui super unam civitátem, & super álteram civitátem non plui: pars una complúta est: & pars, super quam non plui, áruit. Et venérunt duæ & tres civitátes ad unam civitátem ut bíberent aquam, & non sunt satiátæ: & non redístis ad me, dicit Dóminus.... Misi in vos mortem in via Ægypti, percússi in gládio júvenes vestros usque ad captivitátem equórum vestrórum: & ascéndere feci putrédinem castrórum vestrórum in nares vestras: & non redístis ad me, dicit Dóminus. Subvérti vos, sicut subvértit Deus Sódomam, & Gomórrham, & facti estis quasi torris raptus ab incéndio: & non redístis ad me, dicit Dóminus. Quaprópter hæc fáciam tibi, Israël: postquàm autem hæc fécero tibi, præparáre in occúrsum Dei tui Israël; quia ecce formans montes, & creans ventum, & annúntians hómini elóquium suum, fáciens matutínam nébulam, & grádiens super excélsa terræ: Dóminus Deus exercítuum, nomen ejus.

℟. iij. Dóminus Deus tuus in médio tuî, fortis, * Ipse salvábit. ℣. Præparáre in occúrsum Dei tui, Israël. * Ipse. Glória. * Ipse. *Sophon.* 3. *Amos.* 4.

FERIA TERTIA.

De Amos Prophéta.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 11.

IDcírco, pro eo quòd diripiebátis paúperem, & prædam eléctam tollebátis ab eo: domos quadro lápide ædificábitis, & non habitábitis in eis: víneas plantábitis amantíssimas, & non bibétis vinum eárum: quia cognóvi multa scélera vestra, & fórtia peccáta vestra: hostes justi accipiéntes munus, & paúperes depriméntes in porta. Ideò prudens in témpore illo tacébit, quia tempus malum est. Quærite bonum, & non malum, ut vivátis, & erit Dóminus Deus exercítuum vobíscum, sicut dixístis: Odíte malum, & dilígite bonum, &

...nstitúite in porta judícium: ...forte misereátur Dóminus ...eus exercítuum relíquiis Joseph. Proptérea hæc dicit Dóminus Deus exercítuum dominátor, in ómnibus platéis ...nctus: & in cunctis, quæ ...ris sunt, dicétur væ væ: & ...cábunt agrícolam ad luctũ, ...ad planctum eos qui sciunt ...ngere. Et in ómnibus ví...is erit planctus: quia pertransíbo in médio tuî, dicit Dóminus.

℟. j. Animæquióres estóte ...i; clamáte ad Dóminum, ...eripiet vos de manu prín...um inimicórum, ℣. Quǽrite bonum, & non malum, ut ...vátis; & erit Dóminus exer...tuum vobíscum; * Et erí...t. *Baruch. 4. Amos 5.*

Lectio ij.

VÆ desiderántibus diem Dómini: ad quid eam ...bis? Dies Dómini ista, té...bræ, & non lux. Quómodò ...úgiat vir à fácie leónis, & ...curat ei ursus: & ingrediá...r domum, & innitátur manu ... super paríetem, & mór...at eum cóluber. Numquid ...n ténebræ, dies Dómini, & ...n lux: & calígo, & non ...endor in ea? Odi, & pro...ci festivitátes vestras: & non ...piam odórem cœtuum ve...órum. Quòd si obtuléritis ...ihi holocautómata, & mú...era vestra, non suscípiam: & vota pínguium vestrórum non respíciam. Aufer à me tumúltum cárminum tuórum: & cántica lyræ tuæ non aúdiam. Et revelábitur quasi aqua judícium, & justítia quasi torrens fortis. Numquid hóstias & sacrifícium obtulístis mihi in desérto quadragínta annis, domus Israël? Et portástis tabernáculum Moloch vestro, & imáginem idolórum vestrórum, sidus dei vestri, quæ fecístis vobis. Et migráre vos fáciam trans Damáscum, dicit Dóminus, Deus exercítuum nomen ejus.

℟. ij. Convértit Deus, & trádidit eos servíre milítiæ cæli, * Sicut scriptum est in libro Prophetárum. ℣. Suscepístis tabernáculum Moloch & sidus Dei vestri Rempham, figúras, quas fecístis, adoráre eas; & transferam vos trans Babylónem, * Sicut. *Act. 7.*

Lectio iij. Cap. 6.

VÆ qui opuléntí estis in Sion, & confíditis in monte Samaríæ? optimátes cápita populórum, ingrediéntes pompáticè domum Israël. Transíte in Chálane, & vidéte, & ite indè in Emath magnam: & descéndite in Geth Palæstinórum, & ad óptima quæque regna horum: si látior términus eórum término vestro est; qui separáti estis in diem malum, & appropinquá-

tis sólio iniquitátis; qui dormítis in lectis ebúrneis, & lascivítis in stratis vestris: qui comédítis agnum de grege, & vítulos de médio arménti. Qui cánitis ad vocem psaltérii; sicut David putavérunt se habére vasa cántici. Bibéntes vinum in phíalis, & óptimo unguénto delibúti: & nihil patiebántur super contritióne Joseph. Quaprópter nunc migrábunt in cápite transmigrántium; & auferétur fáctio lasciviéntium. Jurávit Dóminus Deus in ánima sua, dicit Dóminus Deus exercítuum: detéstor ego supérbiam Jacob, & domos ejus odi, & tradam civitátem cum habitatóribus suis.

℟. *iij.* Ploráte dívites in misériis vestris quæ advénient vobis; epuláti estis super terram, & in luxúriis enutrístis corda vestra, thesaurizástis vobis iram, * Judícium enim sine misericórdia illi qui non fecit misericórdiam. ℣. Aurum & argéntum vestrum æruginávit, & ærúgo eórum manducábit carnes vestras sicut ignis. * Judícium. Glória. * Judícium. *Jac. 5. & 2.*

FERIA QUARTA.

De Amos Prophéta.

Lectio j. *Cap. 6. v. 9.*

QUòd si réliqui fúerint decem viri in domo una, & ipsi moriéntur. Et tollet eum propínquus suus, & combúret eum, ut éfferat ossa de domo: & dicet ei, qui in penetrálibus domûs est: Numquid adhuc est penes te? Et respondébit: Finis est. Et dicet ei: Tace, & non recordéris nóminis Dómini. Quia ecce Dóminus mandábit, & percútiet domum majórem ruínis, & domum minórem scissiónibus. Numquid cúrrere queúnt in petris equi, aut arári potest in búbalis, quóniam convertístis in amaritúdinem judícium, & fructum justítiæ in absínthium? Qui lætámini in níhilo; qui dícitis: Numquid non in fortitúdine nostra assúmpsimus nobis córnua? Ecce enim suscitábo super vos, domus Israël, dicit Dóminus Deus exercítuum, gentem: & cónteret vos ab intróïtu Emath usque ad torréntem desérti.

℟. *j.* Jurávit Dóminus exercítuũ per ánimam suam: Quóniam replébo te homínibus quasi brucho, * Et super te celeúma cantábitur, ℣. Ecce enim suscitábo super vos domus Israël, dicit Dóminus Deus exercítuum, gentem: & cónteret vos ab intróïtu Emath usque ad torréntem desérti; * Et. *Jerem. 51. Amos. 6.*

Lectio ij. *Cap. 7.*

HÆc osténdit mihi Dóminus Deus: & ecce fi-

ctor locústæ in princípio germinántium serótini imbris, ecce serótinus post tensiónem regis. Et factum est: cùm consummásset comédere herbam terræ, dixi: Dómine Deus propítius esto, óbsecro: quis suscitábit Jacob, quia párvulus est? Misértus est Dóminus super hoc: non erit, dixit Dóminus. Hæc osténdit mihi Dóminus Deus: & ecce vocábat judícium ad ignem Dóminus Deus: & devorávit abyssum multam, & comédit simul partem. Et dixi, Dómine Deus quiésce, óbsecro: quis suscitábit Jacob: quia párvulus est? Misertus est Dóminus super hoc: sed & istud non erit, dixit Dóminus Deus. Hæc osténdit mihi Dóminus: & ecce Dóminus stans super murum litum, & in manu ejus trulla cæmentárii. Et dixit Dóminus ad me: Quid tu vides Amos? & dixi: trullam cæmentárii. Et dixit Dóminus: ecce ego ponam trullam in médio pópuli mei Israël: non adjíciam ultrà superindúcere eum. Et demoliéntur excélsa idóli, & sanctificatiónes Israël desolabúntur, & consúrgam super domum Jeróboam in gládio.

℟. ij. Aúferam à vobis vocem jucunditátis, & vocem gaúdii, & vocem sponsi, & vocem sponsæ; * Et erit omnis terra sine vestígio ab inhabitántibus eam. ℣. Demoliéntur excélsa idóli, & sanctificatiónes Israël desolabúntur: & consúrgam super domum Jeróboam in gládio; * Et erit. *Bar. 2. Amos 7.*

Lectio iij.

Et misit Amásias sacérdos Bethel ad Jeróboam regem Israël, dicens: Rebellávit contra te Amos in médio domûs Israël: non póterit terra sustinére univérsos sermónes ejus. Hæc enim dicit Amos: In gládio moriétur Jeróboam, & Israël captívus migrábit de terra sua. Et dixit Amásias ad Amos: Qui vides, grádere, fuge in terram Juda: & cómede ibi panem, & prophetábis ibi. Et in Bethel non adjícies ultrà ut prophétes: quia sanctificátio regis est, & domus regni est. Respondítque Amos, & dixit ad Amásiam: Non sum prophéta, & non sum filius prophétæ: sed armentárius ego sum véllicans sycómoros. Et tulit me Dóminus cùm séquerer gregem: & dixit Dóminus ad me: Vade prophéta ad pópulum meum Israël. Et nunc audi verbum Dómini: tu dicis: Non prophetábis super Israël, & non stillábis super domum idóli. Propter hoc hæc dicit Dóminus: Uxor tua in civitáte fornicábitur: &

filii tui, & filiæ tuæ in gládio cadent, & humus tua funículo metiétur:& tu in terra pollúta moriéris,& Israël captivus migrábit de terra sua.

℟. iij. Sedébo ut júdicem omnes gentes in circúitu. Míttite falces quia maturávit messis: veníte & descéndite quia plenum est tórcular, exúberant torculária, * Quia multiplicáta est malítia eórum. ℣. Tu in terra pollúta moriéris, & Israël captívus migrábit de terra sua, * Quia. Glória. * Quia. *Joël. 3. Amos 7.*

FERIA QUINTA.

De Amos Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 8.

HÆc osténdit mihi Dóminus Deus:& ecce úncinus pomórũ.Et dixit: Quid tu vides Amos?Et dixi: Uncinum pomórum. Et dixit Dóminus ad me: Venit finis super pópulum meum Israël: non adjíciam ultrà ut pertránseam eum. Et stridébunt cárdines templi in die illa, dicit Dóminus Deus: multi moriéntur: in omni loco projiciétur siléntium. Audíte hoc qui contéritis paúperem, & defícere fácitis egénos terræ; dicéntes: Quando transíbit mensis, & venumdábimus merces: & sábbatum, & aperiémus fruméntum: ut imminuámus mensúram, & augeámus siclum, & supponámus statéras dolósas, ut possideámus in argénto egénos & paúperes pro calceaméntis, & quisquílias fruménti vendámus? Jurávit Dóminus in supérbiam Jacob: Si oblítus fúero usque ad finem ómnia ópera eórum. Et erit in die illa, dicit Dóminus Deus: óccidet sol in merídie, & tenebréscere fáciam terram in die lúminis. Et convértam festivitátes vestras in luctum, & ómnia cántica vestra in planctum: & indúcam super omne dorsum vestrum saccum,& super omne caput calvítium: & ponam eam quasi luctum unigéniti, & novíssima ejus quasi diem amárum.

℟. j. Odi & projéci festivitátes vestras, holocautómata * Et múnera vestra non suscípiam. ℣. Convértam festivitátes vestras in luctum, & ómnia cántica vestra in planctum, * Et múnera. *Amos 5. & 8.*

Lectio ij. *v. 11. & Cap. 9.*

ECce dies véniunt, dicit Dóminus: & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiéndi verbum Dómini..... In die illa defícient vírgines pulcræ, & adolescéntes in siti. Qui jurant in delícto Samaríæ: & dicunt: Vivit Deus tuus Dan: & vivit via Bersábee, & cadent, & non resúr-

gent ultrà. Vidi Dóminum stantem super altáre; & dixit: Pércute cárdinem, & commoveántur superliminária: avarítia enim in cápite ómnium, & novíssimum eórum in gládio interfíciam: non erit fuga eis. Fúgient, & non salvábitur ex eis qui fúgerit. Si descénderint usque ad inférnum, inde manus mea edúcet eos: & si ascénderint usque in cælum, inde détraham eos. Et si abscónditi fúerint in vértice Carméli, inde scrutans áuferam eos: & si celáverint se ab óculis meis in profúndo maris, ibi mandábo serpénti, & mordébit eos. Et si abíerint in captivitátem coram inimícis suis, ibi mandábo gládio, & occídet eos: & ponam óculos meos super eos in malum, & non in bonum.

℟. ij. Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Israël: Ecce ego ponam fáciem meam in vobis in malum, & dispérdam omnem Judam, * Et consuméntur à mínimo usque ad máximum in gládio. ℣. Si abíerint in captivitátem coram inimícis suis, ibi mandábo gládio, & occídet eos: * Et.
Jer. 44. Amos 9.

Lectio iij.

ET Dóminus Deus exercítuum, qui tangit terram, & tabéscet: & lugébunt omnes habitántes in ea: & ascéndet sicut rivus omnis, & défluet sicut flúvius Ægypti. Qui ædíficat in cælo ascensiónem suam, & fascículum suum super terram fundávit: qui vocat aquas maris, & effúndit eas super fáciem terræ, Dóminus nomen ejus.... Ecce óculi Dómini Dei super regnum peccans, & cónteram illud à fácie terræ: verúmtamẽ cónterens non cónteram domum Jacob, dicit Dóminus.... In die illa suscitábo tabernáculum David, quod cécidit: & reædificábo apertúras murórum ejus, & ea, quæ corrúerant instaurábo: & reædificábo illud sicut in diébus antíquis. Ut possídeant relíquias Idumææ, & omnes natiónes, eò quòd invocátum sit nomen meum super eos, dicit Dóminus fáciens hæc. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus: & comprehéndet arátor messórem, & calcátor uvæ mitténtem semen: & stillábunt montes dulcédinem, & omnes colles culti erunt. Et convértam captivitátem pópuli mei Israël: & ædificábunt civitátes desértas & inhabitábunt: & plantábunt víneas, & bibent vinum eárum, & fácient hortos, & cómedent fructus eórum. Et plantábo eos super humum suam: & non evéllam eos ultrà de terra sua, quam dedi

cis, dicit Dóminus Deus tuus.

℟. iij. Revértere aversátrix Israël, dicit Dóminus; & non avértam fáciem meam à vobis; * Quia sanctus ego sum, & non iráscar in perpétuum. ℣. Stillábunt montes dulcédinem, & omnes colles culti erunt; & convértam captivitátem pópuli mei Israël, * Quia. Glória. * Quia. *Jer. 3. Amos. 9.*

FERIA SEXTA.

Incipit Jonas Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

FActum est verbum Dómini ad Jonam fílium Amathi, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem grandem, & prædica in ea: quia ascéndit malítia ejus coram me. Et surréxit Jonas, ut fúgeret in Tharsis à fácie Dómini, & descéndit in Joppen, & invénit navem eúntem in Tharsis: & dedit naulum ejus, & descéndit in eam, ut iret cum eis in Tharsis à fácie Dómini. Dóminus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempéstas magna in mari, & navis periclitabátur cónteri. Et timuérunt nautæ, & clamavérunt viri ad deum suum: & misérunt vasa quæ erant in navi in mare, ut alleviarétur ab eis: & Jonas descéndit ad interióra navis, & dormiébat sopóre gravi. Et accéssit ad eum gubernátor, & dixit ei: Quid tu sopóre depríměris? surge, ínvoca Deum tuum, si forte recógitet Deus de nobis, & non pereámus. Et dixit vir ad collégam suum: Veníte, & mittámus sortes, & sciámus quare hoc malum sit nobis. Et misérunt sortes: & cécidit sors super Jonam.

℟. j. Quò ibo à spíritu tuo, Dómine? & quò à fácie tua fúgiam? Si ascéndero in cælum, tu illic es; si descéndero in inférnum, ades; * Si habitávero in extrémis maris, illuc manus tua dedúcet me. ℣. Surréxit Jonas ut fúgeret in in Tharsis à fácie Dómini: Dóminus autem misit ventum magnum in mare. * Si habitávero. *Ps. 138. Jon. 1.*

Lectio ij.

ET timuérunt viri timóre magno, & dixérunt ad eum: Quid hoc fecísti? (cognovérunt enim viri quòd à fácie Dómini fúgeret, quia indicáverat eis.) Et dixérunt ad eum: Quid faciémus tibi, & cessábit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescébat. Et dixit ad eos: Tóllite me, & míttite in mare: & cessábit mare à vobis: scio enim ego quóniam propter me tempéstas hæc grandis venit super vos. Et remigábant viri ut reverteréntur ad áridam, & non valébant: quia mare ibat, &

intumescébat super eos. Et clamavérunt ad Dóminum, & dixérunt: Quæsumus Dómine, ne pereámus in ánima viri istíus, & ne des super nos sánguinem innocéntem: quia tu Dómine, sicut voluísti, fecísti. Et tulérunt Jonam, & misérunt in mare: & stetit mare à fervóre suo. Et timuérunt viri timóre magno Dóminum, & immolavérunt hóstias Dómino, & vovérunt vota.

℟. ij. Tu es Dómine, qui vitæ & mortis habes potestátem, & dedúcis ad portas mortis, & redúcis: sed * Tuam manum Dómine effúgere impossíbile est. ℣. Tóllite me, & míttite in mare; scio enim quóniam propter me tempéstas hæc grandis venit super vos. * Tuam. *Sap. 16. Jon. 1.*

Lectio iij. Cap. 2. & 3.

ET præparávit Dóminus piscem grandem ut deglutíret Jonam: & erat Jonas in ventre piscis tribus diébus, & tribus nóctibus. Et orávit Jonas ad Dóminum Deum suum de ventre piscis... Et dixit Dóminus pisci: & evómuit Jonam in áridam. Et factum est verbum Dómini ad Jonam secúndò, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem magnam; & prædica in ea prædicatiónem, quam ego loquor ad te. Et surréxit Jonas, & ábiit in Níniven juxta verbum Dómini: & Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi uníus: & clamávit, & dixit: Adhuc quadragínta dies, & Nínive subvertétur. Et credidérunt viri Ninivítæ in Deum: & prædicavérunt jejúnium, & vestíti sunt saccis à majóre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive: & surréxit de sólio suo, & abjécit vestiméntum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. Et clamávit, & dixit in Nínive ex ore regis & príncipum ejus, dicens: Hómines, & juménta, & boves, & pécora non gustent quidquam; nec pascántur, & aquá non bibant.

℟. iij. Non salvábitur qui fúgerit: si abscónditi fúerint in vértice Carméli, inde scrutans aúferam eos: & * Si celáverint se ab óculis meis in profúndo maris, ibi mandábo serpénti, & mordébit eos. ℣. Præparávit Dóminus piscē grandem, ut deglutíret Jonam: * Si celáverint se. *Am. 9. Jon. 2.*

SABBATO.

De Jona Prophéta.

Lectio j. Cap. 4.

ET afflíctus est Jonas afflictióne magnâ, & irátus est; & orávit ad Dóminum, & dixit: Obsecro Dómine, numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc es-

sem in terra mea? Propter hoc præoccupávi ut fúgerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens, & miséricors es, pátiens, & multæ miseratiónis, & ignóscens super malítia. Et nunc Dómine tolle quæso ánimam meam à me: quia mélior est mihi mors quàm vita. Et dixit Dóminus: Putásne bene irásceris tu? Et egréssus est Jonas de civitáte, & sedit contra Oriéntem civitátis: & fecit síbimet umbráculum ibi, & sedébat subter illud in umbra, donec vidéret quid accíderet civitáti. Et præparávit Dóminus Deus héderam, & ascéndit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, & protégeret eum; laboráverat enim: & lætátus est Jonas super hédera lætítiâ magnâ. Et parávit Deus vermem ascénsu dilúculi in crástinum: & percússit héderam, & exáruit. Et cùm ortus fuísset sol, præcépit Dóminus vento cálido & uréntı: & percússit sol super caput Jonæ, & æstuábat: & petívit ánimæ suæ ut morerétur, & dixit: Mélius est mihi mori, quàm vívere. Et dixit Dóminus ad Jonam: Putásne bene irásceris tu super hédera? Et dixit: Bene iráscor ego usque ad mortem. Et dixit Dóminus: Tu doles super héderam, in qua non laborásti, neque fecísti ut crésceret; quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte périit. Et ego non parcam Nínive civitáti magnæ, in qua sunt plusquàm centum viginti míllia hóminum qui nésciunt quid sit inter déxteram & sinístrã suam, & juménta multa?

℟. j. Operiántur saccis hómines & juménta, & clament ad Dóminum in fortitúdine; * Quis scit si convertátur, & ignóscat Deus, & relínquat post se benedictiónem? ℣. Revertátur unusquísque à via sua mala, & dirígite vias vestras & stúdia vestra. * Quis. *Jon. 3. Joël, 2. Jerem. 18.*

Incipit Abdias Prophéta.

Lectio ij. *Cap. 1.*

VIsio Abdiæ. Hæc dicit Dóminus Deus ad Edom: Audítum audívimus à Dómino, & legátum ad gentes misit: Súrgite, & consurgámus advérsùs eum in prælium. Ecce párvulum dedi te in Géntibus; contemptíbilis tu es valde. Supérbia cordis tui éxtulit te, habitántem in scissúris petrárum, exaltántem sólium tuum: qui dicis in corde tuo: quis détrahet me in terram? Si exaltátus fúeris ut áquila, & si inter sídera posúeris nidum tuum; inde détraham te, dicit Dóminus. Si fures introíssent ad te, si latrónes per noctem, quómodo conticuísses? Nonne furáti essent suf-

ficiéntia sibi? Si vindemiatóres introíssent ad te, numquid saltem racémum reliquíssent tibi? Quómodo scrutáti sunt Esaü, investigavérunt abscóndita ejus? Usque ad términum emisérunt te: omnes viri fœderis tui illusérunt tibi: invaluérunt advérsùm te viri pacis tuæ: qui cómedunt tecum, ponent insídias subter te: non est prudéntia in eo. Numquid non in die illa, dicit Dóminus, perdam sapiéntes de Idumæa, & prudéntiam de monte Esaü.

℟. *ij.* Arrogántia tua decépit te, qui hábitas in cavérnis petræ, & apprehéndere níteris altitúdinem collis: si exaltátus fúeris ut áquila; * Et si inter sídera posúeris nidum tuum, inde détraham te, dicit Dóminus. ℣. Fúgient, & non salvábitur ex eis qui fúgerit: si descénderint usque ad inférnum, inde manus mea edúcet eos; * Et. *Jer. 49. Abd. v. 4. Am. 9.*

Lectio iij.

In die cùm stares advérsùs eum, quando capiébant aliéni exércitum ejus, & extránei ingrediebántur portas ejus, & super Jerúsalem mittébant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis. Et non despícies in die fratris tui, in die peregrinatiónis ejus: & non lætáberis super filios Juda in die perditiónis eórum: & non magnificábis os tuum in die angústiæ. Neque ingrediéris portam pópuli mei in die ruínæ eórum: neque despícies & tu in malis ejus in die vastitátis illíus: & non emittéris advérsùs exércitum ejus in die vastitátis illíus. Neque stabis in exítibus ut interfícias eos qui fúgerint: & non conclúdes réliquos ejus in die tribulatiónis. Quóniam juxtà est dies Dómini super omnes gentes; sicut fecísti, fiet tibi: retributiónem tuam convértet in caput tuum. Quómodo enim bibístis super montem sanctum meum, bibent omnes Gentes júgiter: & bibent, & absorbébunt, & erunt quasi non sint. Et in monte Sion erit salvátio, & erit sanctus: & possidébit domus Jacob eos qui se possséderant. Et erit domus Joseph flamma, & domus Esaü stípula: & succendéntur in eis, & devorábunt eos: & non erunt relíquiæ domûs Esaü, quia Dóminus locútus est.

℟. *iij.* Réquies Sább. *p.* 146.

In Vesperis, *Ad* Magníficat, *Ant.* 1. A. Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt discípuli ejus; & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; ipse verò dormiébat. *Matth.* 8.

Oratio, Deus qui nos in

tantis. infrà in Laud. Mat.

DOMINICA IV.
Post Epiphaniam.
In I. Noct.

Incipit Michæas Prophéta.

Lectio j. *Cap.* I.

VErbum Dómini quod factum est ad Michæam Morasthíten, in diébus Jóathan, Achaz, & Ezéchiæ, regum Juda; quod vidit super Samaríam, & Jerúsalem. Audíte pópuli omnes, & atténdat terra, & plenitúdo ejus: & sit Dóminus Deus vobis in testem, Dóminus de templo sancto suo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco sancto suo; & descéndet, & calcábit super excélsa terræ. Et consuméntur montes subtus eum; & valles scindéntur sicut cera à fácie ignis, & sicut aquæ quæ decúrrunt in præceps. In scélere Jacob omne istud, & in peccátis domûs Israël. Quod scelus Jacob? Nonne Samaría? Et quæ excélsa Judæ? Nonne Jerúsalem? Et ponam Samaríam quasi acérvum lápidum in agro cùm plantátur vínea: & détraham in vallem lápides ejus, & fundaménta ejus revelábo. Et ómnia sculptília ejus concidéntur, & omnes mercédes ejus comburéntur igne, & ómnia idóla ejus ponam in perditiónem: quia de mercédibus meretrícis congregáta sunt, & usque ad mercédem meretrícis reverténtur. Super hoc plangam, & ululábo: vadam spoliátus & nudus: fáciam planctum velut dracónũ, & luctum quasi struthiónũ. Quia despetáta est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tétigit portam pópuli mei usque ad Jerúsalem.

℟. j. Iste dies. suprà, p. 364.

Lectio ij. *v.* 10. *Cap.* 2.

IN Geth nolíte annuntiáre, lácrymis ne plorétis, in domo púlveris púlvere vos conspérgite. Et transíte vobis habitátio pulcra, confúsa ignomínia: non est egréssa quæ hábitat in éxitu: planctum domus vicína accípiet ex vobis, quæ stetit síbimet; quia infirmáta est in bonum, quæ hábitat in amaritudínibus: quia descéndit malum à Dómino in portam Jerúsalem. Tumúltus quadrígæ stupóris habitánti Lachis: princípium peccáti est fíliæ Sion, quia in te invénta sunt scélera Israël. Proptérea dabit emissários super hereditátem Geth: domus mendácii in deceptiónem regibus Israël. Adhuc herédem addúcam tibi quæ hábitas in Márefa: usque ad Odóllam véniet glória Israël. Decalváre: & tondére super fílios deliciárum tuárum, diláta calvítium tuum sicut áquila: quóniam captívi

sunt ex te. Væ qui co-
is inútile, & operámini
m in cubílibus vestris:
e matutína fáciunt illud,
iam contra Deum est
eórum. Et concupié-
gros, & violénter tu-
, & rapuérunt domos:
mniabántur virum &
m ejus; virum, & here-
em ejus. Idcírco hæc di-
Dóminus: Ecce ego cógi-
per famíliam istam ma-
undè non auferétis col-
tra, & non ambulábitis
i, quóniam tempus
m est.

Dies sanctificátus. p. 4.

Lectio iij.

die illa sumétur super
s parábola, & cantábi-
ánticum cum suavitáte,
ium; Depopulatióne
ti sumus: pars pópuli
commutáta est: quómo-
cédet à me, cùm rever-
, qui religiónes nostras
at? Propter hoc non erit
mittens funículum sortis
tu Dómini. Ne loquá-
loquéntes: Non stillá-
per istos, non compre-
t confúsio. Dicit domus
b: Numquid abbreviá-
est spíritus Dómini, aut
funt cogitatiónes ejus?
ne verba mea bona sunt
eo, qui rectè gráditur?
contrário pópulus meus
dversárium consurréxit:
désuper túnicâ pállium sustu-
lístis: & eos, qui transíbant
simplíciter, convertístis in
bellum. Mulíeres pópuli mei
ejecístis de domo deliciárum
suárum: à párvulis eárum tu-
lístis laudem meam in perpé-
tuum. Súrgite, & ite, quia
non habétis hîc réquiem: pro-
pter immundítiam ejus cor-
rumpétur putrédine péssimâ.
Utinam non essem vir habens
spíritum, & mendácium po-
tiùs lóquerer: stillábo tibi in
vinum, & in ebrietátem: &
erit super quem stillátur pó-
pulus iste.

℟. iij. Pascha nostrum. p. 4.

IN II. NOCT.

De Epístola prima béati Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. *Cap. 6.*

AUdet áliquis vestrûm habens negótium advérsùs álterum, judicári apud iníquos, & non apud sanctos? An nescítis quóniam sancti de hoc mundo judicábunt? Et si in vobis judicábitur mundus, indígni estis qui de mínimis judicétis. Nescítis quóniam Angelos judicábimus? quantò magis seculária? Seculária ígitur judícia si habuéritis: contemptíbiles qui sunt in Ecclésia, illos constitúite ad judicándum. Ad verecúndiam vestram dico. Sic non est inter vos sápiens quisquam, qui possit judicáre in-

ter fratrem suum? Sed frater cum fratre judício conténdit: & hoc apud infidéles? Jam quidem omnínò delíctum est in vobis, quod judícia habétis inter vos. Quare non magis injúriam accípitis? Quare non magis fraudem patímini? Sed vos injúriam fácitis, & fraudátis: & hoc frátribus. An nescítis quia iníqui regnum Dei non possidébunt? Nolíte erráre: neque fornicárii, neque idólis serviéntes, neque adúlteri, neque molles, neque masculórum concubitóres, neque fures, neque avári, neque ebriósi, neque malédici, neque rapáces, regnum Dei possidébunt. Et hæc quidam fuístis: sed ablúti estis, sed sanctificáti estis, sed justificáti estis in nómine Dómini nostri Jesu Christi, & in Spíritu Dei nostri.

℟. iv. Ego dico vobis non resístere malo: sed qui petit à te, da ei, & * Ei qui vult tecum judício conténdere, & túnicam tuam tóllere, dimítte ei & pállium. ℣. Delíctum est in vobis quòd judícia habétis inter vos: quare non magis injúriam & fraudem patímini? * Ei qui. *Matth.* 5. 1. *Cor.* 6.

Lectio v.

OMnia mihi licent, sed non ómnia expédiunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullíus rédigar potestáte. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has déstruet: corpus autem non fornicatióni, sed Dómino; & Dóminus córpori. Deus verò & Dóminum suscitávit: & nos suscitábit per virtútem suam. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, fáciam membra meretrícis? Absit. An nescítis quóniam qui adhæret meretríci, unum corpus effícitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autem adhæret Dómino, unus spíritus est. Fúgite fornicatiónem. Omne peccátum, quodcúmque fécerit homo, extra corpus est; qui autem fornicátur, in corpus suum peccat. An nescítis quóniam membra vestra, templum sunt Spíritûs sancti, qui in vobis est, quem habétis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis prétio magno. Glorificáte, & portáte Deum in córpore vestro.

℟. v. Fúgite fornicatiónem, * Quóniam córpora vestra membra sunt Christi; & membra vestra templum sunt Spíritûs sancti, qui in vobis est. ℣. Vos estis templum Dei vivi: si quis autem templum Dei violáverit, dispérdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: *

oniam. 1. & 2. Cor. 6. &
r. 3.
Lectio vj. Cap. 7.
E quibus autem scripsí-
stis mihi : Bonum est
ini mulíerem non tánge-
ropter fornicatiónem au-
unusquísque suam uxó-
hábeat, & unaquæque
virum hábeat. Uxóri
bitum reddat : símiliter
m & uxor viro. Múlier
órporis potestátem non
, sed vir. Simíliter au-
vir sui córporis pote-
m non habet, sed múlier.
e fraudáre ínvicem, ni-
rtè ex consénsu ad tem-
, ut vacétis oratióni : &
m revertímini in idípsũ,
entet vos sátanas propter
ntinéntiam vestram. Hoc
m dico secúndùm indul-
tiam, non secúndùm im-
um. Volo enim omnes vos
sicut meípsum : sed unus-
que próprium donum ha-
ex Deo : álius quidem sic,
s verò sic. Dico autem
nuptis, & víduis : bonũ
llis si sic permáneant, si-
& ego. Quòd si non se
tinent, nubant. Mélius est
n núbere, quàm uri.
. vj. Honorábile connú-
m in ómnibus, & thorus
aculátus. Viri quasi infir-
ri vásculo muliebri, *
nquã & coherédibus grá-
vitæ, † Impartiéntes honórem. ℣. Mulíeres súbditæ sint viris suis, * Tamquam. Glória. † Impartiéntes. Heb. 13. 1. Petr. 3.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore: Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus : ipse verò dormiébat. Et accessérunt ad eum discípuli ejus, & suscitavérunt eum, dicéntes: Dómine, salva nos, perímus. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi
Præf. Enar. 2. in Psalm. 25.

AUdístis in Evangélio : Periclitabátur návigium in stagno, & dormiébat Jesus. Navigámus per quoddam stagnum, & ventus & procéllæ non desunt : tentatiónibus quotidiánis hujus séculi propè opplétur nostrum navígium. Unde autem fit, nisi quia dormit Jesus ? Si non dormíret in te Jesus, tempestátes istas non paterêris ; sed tranquillitátem habéres intériùs, convigilánte tecum Jesu.

℟. vij. Audi Dómine, & miserére nostrî; éxcita poténtiam tuam, ut salvos fácias nos : * Líbera nos á malo. ℣.

Osténde fáciem tuam, & salvi érimus;* Líbera. *Baruch.* 3. *Psal.* 79. *Matth.* 6. & 8.

Lectio viij.

Quid est autem, Dormit Jesus? Fides tua, quæ est de Jesu, obdormívit. Surgunt procéllæ stagni hujus, vides malos floróre, bonos laboráre; tentátio est, fluctus est. Et dicit ánima tua: O Deus ipsa est justítia tua, ut mali flóreant, boni labórent? Dicis Deo, Ipsa est justítia tua? Et Deus tibi, Ipsa est fides tua? Hæc enim tibi promísi? Ad hoc Christiánus factus es, ut in século isto floréres? Sed unde hoc dicis? Unde flúctibus stagni & tempestáte turbáris? Quia dormit Jesus; id est, quia fides tua quæ est de Jesu, sopíta est in corde tuo.

℟. *viij.* Exsúrge, quare obdórmis Dómine? * Exsúrge, ádjuva nos, & rédime nos propter nomen tuum. ℣. Accessérunt ad eum discípuli ejus, & suscitavérunt eum, dicéntes: * Exsúrge. *Ps.* 43. *Matth.* 8.

Lectio ix.

Quid facis ut liberéris? Excíta Jesum, & dic: Magíster, perímus: movent enim incérta stagni, perímus. Evigilábit ille, id est, rédiet ad te fides tua, & adjuvánte illo considerábis in ánima tua; quia, quæ dantur modò malis, non cum illis perseverábunt; tibi autē quod promíttitur, manébit in ætérnum. Evigilánte Christo, jam tempéstas illa non quátiet cor tuum, non opplébunt fluctus navim tuam; quia fides tua imperat ventis & flúctibus, & tránsiet perículum.

℟. *ix.* Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? Potens es Dómine, & véritas tua in circúitu tuo;* Tu domináris potestáti maris, motum autem flúctuum ejus tu mítigas. ℣. Surgens Jesus imperávit ventis & mari, & facta est tranquíllitas magna.* Tu. Glória. * Tu. *Ps.* 88. *Matth.* 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. E. Dixit eis Jesus: Quid tímidi estis módicæ fídei? Tunc surgens imperávit ventis & mari, & facta est tranquíllitas magna. *Matth.* 8.

Oratio.

Deus qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis & córporis; ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte, vincámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Porrò hómines miráti sunt, dicéntes: Qualis est hic, quia venti & mare obédiunt ei! *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

De Michæa Prophéta.

Lectio j. *Cap. 3.*

AUdíte príncipes Jacob, & duces domûs Israël: Numquid non vestrûm est scire judícium?... Tunc clamábunt ad Dóminum, & non exaúdiet eos: & abscóndet fáciem suam ab eis in témpore illo, sicut néquiter egérunt in adinventiónibus suis. Hæc dicit Dóminus super prophétas, qui sedúcunt pópulum meum: qui mordent déntibus suis, & prædicant pacem: & si quis non déderit in ore eórum quídpiam, sanctíficant super eum prælium. Proptérea nox vobis pro visióne erit, & ténebræ vobis pro divinatióne: & occúmbet sol super prophétas, & obtenebrábitur super eos dies. Et confundéntur qui vident visiónes, & confundéntur divíni: & opérient omnes vultus suos, quia non est respónsum Dei. Verúmtamen ego replétus sum fortitúdine Spíritûs Dómini, judício, & virtúte: ut annúntiem Jacob scelus suum, & Israël peccátum suũ. Audíte hoc príncipes domûs Jacob, & júdices domûs Israël: quia abominámini judícium, & ómnia recta pervértitis. Qui ædificátis Sion in sanguínibus, & Jerúsalem in iniquitáte. Príncipes ejus in munéribus judicábant, & sacerdótes ejus in mercéde docébant, & prophétæ ejus in pecúnia divinábant: & super Dóminum requiescébant, dicéntes: Numquid non Dóminus in médio nostrûm? Non vénient super nos mala. Propter hoc, causa vestrî, Sion quasi ager arábitur, & Jerúsalem quasi acérvus lápidum erit, & mons templi in excélsa silvárum.

℟. j. Príncipes in médio ejus, quasi leónes rugiéntes; júdices ejus lupi, prophétæ ejus vesáni, sacerdótes ejus polluérunt sanctum; * Dóminus justus, manè dabit judíciũ suum, & non abscondétur. ℣. Príncipes ejus in munéribus judicábant, & sacerdótes ejus in mercéde docébant; * Dóminus. *Soph. 3. Mich. 3.*

Lectio ij. *Cap. 4.*

ET erit: In novíssimo diérum erit mons domûs Dómini præparátus in vértice móntium, & sublímis super colles; & fluent ad eum pópuli. Et properábunt gentes multæ, & dicent: Veníte, ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob: & docébit nos de viis suis, & íbimus in sémitis ejus: quia de Sion egrediétur lex, & verbum Dómini de Jerúsalem. Et judicábit inter pópulos multos, & corrípiet gentes fortes usque in longínquum: & concídent gládios suos in vómeres, & hastas suas in ligónes: non

sumet gens advérsùs gentem gládium : & non discent ultrà belligeráre. Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui detérreat: quia os Dómini exercítuum locútum est. Quia omnes pópuli ambulábunt unusquísque in nómine dei sui: nos autem ambulábimus in nómine Dómini Dei nostri in ætérnum & ultrà. In die illa, dicit Dóminus, congregábo claudicántem : & eam, quam ejéceram, cólligam, & quam afflíxeram : Et ponam claudicántem in relíquias : & eam, quæ laboráverat, in gentem robústam : & regnábit Dóminus super eos in monte Sion ex hoc nunc & usque in ætérnum.

℟. ij. In die illa dicétur Jerúsalem : Noli timére, Dóminus Deus tuus in médio tuî ; ecce ego interfíciam omnes qui afflixérunt te, & salvábo claudicántem, * Et eam quæ ejécta fúerat, congregábo. ℣. In die illa ponam claudicántem in relíquias, & eam quæ laboráverat, in gentem robústam ; * Et eam. *Sophon.* 3. *Mich.* 4.

Lectio iij. v. 10. *& Cap.* 5.

DOle & sátage fília Sion quasi partúriens : quia nunc egrediéris de civitáte, & habitábis in regióne, & vénies usque ad Babylónem, ibi liberáberis : ibi rédimet te Dóminus de manu inimicórum tuórum. Et nunc congregátæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidétur: & aspíciat in Sion óculus noster. Ipsi autem non cognovérunt cogitatiónes Dómini, & non intellexérunt consílium ejus: quia congregávit eos quasi fœnum áreæ. Surge, & tritúra fília Sion: quia cornu tuum ponam férreum, & úngulas tuas ponam æreas: & comminues pópulos multos, & interfícies Dómino rapínas eórum, & fortitúdinem eórum Dómino univérsæ terræ. Nunc vastáberis fília latrónis : obsidiónem posuérunt super nos, in virga percútient maxíllam júdicis Israël. Et tu Béthleem Ephráta párvulus es in míllibus Juda : ex te mihi egrediétur qui sit dominátor in Israël, & egréssus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo partúriens páriet : & relíquiæ fratrum ejus converténtur ad fílios Israël. Et stabit, & pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui : & converténtur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. Et erit iste pax.

℟. iij. Sic scriptum est per Prophétam : Et tu Béthleem terra Juda, nequáquam míni-

ma es in princípibus Juda; ex te enim éxiet dux * Qui regat pópulum meum Israël. ℣. Ex te mihi egrediétur qui sit dominátor in Israël, & egréssus ejus ab inítio à diébus æternitátis; * Qui. Glória. * Qui. *Matth. 2. Mich. 5.*

FERIA TERTIA.

De Michæa Prophéta.

Lectio j. Cap. 5. v. 7.

ET erunt relíquiæ Jacob in médio populórũ multórum quasi ros à Dómino, & quasi stillæ super herbam, quæ non exspéctat virum, & non præstolátur filios hóminum. Et erunt relíquiæ Jacob in Géntibus in médio populórum multórum, quasi leo in juméntis silvárum, & quasi cátulus leónis in grégibus pécorum: qui cùm transíerit, & conculcáverit, & céperit, non est qui éruat. Exaltábitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimíci tui interíbunt. Et erit in die illa, dicit Dóminus: Aúferam equos tuos de médio tuî, & dispérdam quadrígas tuas. Et perdam civitátes terræ tuæ, & déstruã omnes munitiónes tuas, & aúferam maleficia de manu tua, & divinatiónes non erunt in te. Et períre fáciam sculptília tua, & státuas tuas de médio tuî: & non adorábis ultrà ópera mánuum tuárum. Et evéllam lucos tuos de médio tuî: & cónteram civitátes tuas. Et fáciam in furóre & in indignatióne ultiónem in ómnibus géntibus, quæ non audiérunt.

℟. j. Aúferam à vobis. *p. 393.*

Lectio ij. Cap. 6.

AUdíte quæ Dóminus lóquitur: Surge, conténde judício advérsùm montes, & aúdiant colles vocem tuam. Aúdiant montes judícium Dómini, & fórtia fundaménta terræ: quia judícium Dómini cum pópulo suo, & cum Israël dijudicábitur. Pópule meus quid feci tibi, aut quid moléstus fui tibi? Respónde mihi. Quia edúxi te de terra Ægypti, & de domo serviéntium liberávi te: & misi ante fáciem tuam Móysen, & Aáron, & Maríam? Pópule meus meménto quæso quid cogitáverit Balach rex Moab, & quid respónderit ei Bálaam filius Beor, de Setim usque ad Gálgalam, ut cognósceres justítias Dómini. Quid dignum ófferam Dómino? Curvábo genu Deo excélso? Numquid ófferam ei holocautómata, & vítulos annículos? Numquid placári potest Dóminus in míllibus aríetum, aut in multis míllibus hircórum pínguium? Numquid dabo primogénitũ meum pro scélere meo, fructum ventris mei pro peccáto ánimæ meæ? Indicábo tibi ô

homo quid sit bonum, & quid Dóminus requírat à te: Utique fácere judícium, & dilígere misericórdiam, & sollícitum ambuláre cum Deo tuo. Numquid justificábo statéram ímpiā, & saccélli póndera dolósa? In quibus dívites ejus repléti sunt iniquitáte, & habitántes in ea loquebántur mendácium, & lingua eórum fraudulénta in ore eórum. Et ego ergo cœpi percútere te perditióne super peccátis tuis.

℟. ij. Odi & projéci. *p.* 394.

Lectio iij. Cap. 7.

VÆ mihi, quia factus sum sicut qui cólligit in autúmno racémos vindémiæ: non est botrus ad comedéndum, præcoquas ficus desiderávit ánima mea. Périit sanctus de terra, & rectus in homínibus non est: omnes in sánguine insidiántur, vir fratrem suum ad mortem venátur. Malum mánuum suárum dicunt bonum: princeps póstulat, & judex in reddéndo est; & magnus locútus est desidérium ánimæ suæ, & conturbavérunt eam. Nolíte crédere amíco: & nolíte confídere in duce: ab ea quæ dormit in sinu tuo, custódi claustra oris tui: quia filius contuméliam facit patri, & filia consúrgit advérsùs matrem suam, nurus advérsùs socrum suam: & inimíci hóminis doméstici ejus. Ego autem ad Dóminum aspíciam, exspectábo Deum salvatórem meū, aúdiet me Deus meus. Ne lætéris inimíca mea super me, quia cécidi: consúrgam, cùm sédero in ténebris, Dóminus lux mea est. Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei, donec causam meam júdicet, & fáciat judícium meum: edúcet me in lucem, vidébo justítiam ejus.

℟. iij. Ecce dies Dómini véniet ad conteréndos peccatóres; stellæ cæli & splendor eárum non expándent lumen suum: * Et visitábo super orbis mala, & contra ímpios iniquitátem eórum, dicit Dóminus. ℣. Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei, donec causam meam júdicet, & fáciat judícium meum. * Et. Glória. * Et. *Is.* 13.

FERIA QUARTA.

De Michæa Prophéta.

Lectio j. Cap. 7. v. 10.

ASpíciet inimíca mea, & operiétur confusióne, quæ dicit ad me: Ubi est Dóminus Deus tuus? Oculi mei vidébunt in eam: nunc erit in conculcatiónem ut lutum plateárum. Dies, ut ædificéntur macériæ tuæ: in die illa longè fiet lex. In die illa & usque ad te véniet de Assur, & usque ad civitátes munítas; & à civitátibus munitis

nitis usque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte. Et terra erit in desolatiónem propter habitatóres suos, & propter fructum cogitatiónum eórum. Vidébunt gentes, & confundéntur super omni fortitúdine sua: ponent manum super os, aures eórum surdæ erunt. Lingent púlverem sicut serpéntes, velut reptília terræ perturbabúntur in ædibus suis: Dóminum Deum nostrum formidábunt, & timébunt te. Quis Deus símilis tuî, qui aufers iniquitátem, & transis peccátum reliquiárum hereditátis tuæ? non immíttit ultrà furórem suum, quóniam volens misericórdiam est. Revertétur, & miserébitur nostrî: depónet iniquitátes nostras, & projíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. Dabis veritátem Jacob, misericórdiam Abraham: quæ jurásti pátribus nostris à diébus antíquis.

℟. j. Puer Israël, & diléxi eum: * Ego quasi nutrítius Ephraïm portábam eos in bráchiis meis; & nesciérunt quòd curárem eos. ℣. Dabis veritátem Jacob, misericórdiam Abraham: quæ jurásti pátribus nostris à diébus antíquis; * Ego. *Osée.* 11. *Mich.* 7.

Incipit Nahum Prophéta.

Lectio ij. *Cap.* 1.

ONus Nínive: Liber visiónis Nahum Elcesæi. Deus æmulátor, & ulcíscens Dóminus: ulcíscens Dóminus, & habens furórem; ulcíscens Dóminus in hostes suos, & irâscens ipse inimícis suis. Dóminus pátiens, & magnus fortitúdine, & mundans non fáciet innocéntem. Dóminus in tempestáte & túrbine viæ ejus, & nébulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare, & exsíccans illud; & ómnia flúmina ad desértum dedúcens. Infirmátus est Basan, & Carmélus; & flos Líbani elánguit. Montes commóti sunt ab eo, & colles desoláti sunt; & contrémuit terra à fácie ejus, & orbis, & omnes habitántes in eo. Ante fâciem indignatiónis ejus quis stabit? & quis resístet in ira furóris ejus? indignátio ejus effúsa est ut ignis; & petræ dissolútæ sunt ab eo. Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis; & sciens sperántes in se. Et in dilúvio prætereúnte, consummatiónem fáciet loci ejus: & inimícos ejus persequéntur ténebræ.

℟. ij. Incrépuit mare, & exsiccátum est; pósuit flúmina in desértum; commóta est & contrémuit terra; fundaménta móntium conturbáta

sunt, & commóta sunt, quóniam irátus est eis: * In ira ejus ignis à fácie ejus exársit, carbónes succénsi sunt ab eo. ℣. Ante fáciem indignatiónis ejus quis stabit? & quis resístet in ira furóris ejus? * In. Ps. 105. 106. & 17. Nah. 1.

Lectio iij. v. 12. & Cap. 2.

QUid cogitátis contra Dóminum? consummatiónem ipse fáciet: non consúrget duplex tribulátio. Quia sicut spinæ se ínvicem compleсtúntur, sic convívium eórum páriter potántium: consuméntur quasi stípula ariditáte plena. Ex te exíbit cógitans contra Dóminum malítiam: mente pertráctans prævaricatiónem. Hæc dicit Dóminus: Si perfécti fúerint: & ita plures, sic quoque attondéntur & pertransíbit: afflíxi te, & non affligam te ultrà. Et nunc cónteram virgam ejus dorso tuo, & víncula tua disrúmpam. Et præcípiet super te Dóminus, non seminábitur ex nómine tuo ámpliùs; de domo Dei tui interfíciam sculptile, & conflátile, ponam sepúlcrum tuum, quia inhonorátus es. Ecce super montes pedes evangelizántis, & annuntiántis pacem: célebra Juda festivitátes tuas, & redde vota tua: quia non adjíciet ultrà ut pertránseat in te Bélial: univérsus intériit. Ascéndit qui dispérgat coram te, qui custódiat obsidiónem: contempláre viam, confórta lumbos, róbora virtúte valdè.

℟. iij. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa, * Quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum. ℣. Quàm pulcri super montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem, annuntiántis bonum; prædicántis salútem, dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus! * Quia. Glória. * Quia Is. 52.

FERIA QUINTA.

De Nahum Prophéta.

Lectio j. Cap. 3.

VÆ cívitas sánguinum, univérsa mendácii dilaceratióne plena: non recédet à te rapína. Vox flagélli, & vox ímpetûs rotæ, & equi freméntis, & quadrígæ ferventis, & équitis ascendéntis: & micántis gládii, & fulgurántis hastæ, & multitúdinis interféctæ, & gravis ruínæ; nec est finis cadáverum, & córruent in corpóribus suis. Propter multitúdinem fornicatiónum meretrícis speciósæ & gratæ, & habéntis malefícia, quæ véndidit gentes in fornicatiónibus suis, & famílias in malefíciis suis. Ecce ego ad te, dicit Dóminus exercítuum, & revelábo pudénda tua in fácie tua, & osténdam Géntibus nuditátem tuam, & regnis ignomíniam

tuam. Et projíciam super te abominatiónes, & contumé-liis te afficiam, & ponam te in exémplum. Et erit, omnis, qui víderit te, resíliet à te, & dicet: Vastáta est Nínive, quis commovébit super te caput? Undè quæram consolatórem tibi? Numquid mélior es Alexándriâ populórum, quæ hábitat in flumínibus? aquæ in circúitu ejus: cujus divítiæ, mare; aquæ, muri ejus.

℟. ij. Væ cívitas sánguinũ, univérsa mendácii dilaceratióne plena: non recédet à te rapína: Ecce ego ad te, & ostendam regnis ignomíniam tuam, & projíciam super te abominatiónes tuas; * Et ponam te in exémplum, & eris despécta. ℣. Omnis qui víderit te, resíliet à te; & dicet: Vastáta est Nínive. * Et. *Nah.* 3

Lectio ij.

Æthiópia fortitúdo ejus, & Ægyptus, & non est finis: Africa, & Lybies fuérunt in auxílio tuo. Sed & ipsa in transmigratiónem ducta est in captivitátem: párvuli ejus elísi sunt in cápite ómnium viárum, & super ínclytos ejus misérunt sortem, & omnes optimátes ejus confíxi sunt in compédibus. Et tu ergo inebriáberis, & eris despécta: & tu quæres auxílium ab inimíco. Omnes munitiónes tuæ sicut ficus cum grossis suis. Ibi cómedet te ignis: períbis gládio, devorábit te ut bruchus: congregáre ut bruchus, multiplicáre ut locústa. Plures fecísti negotiatiónes tuas, quàm stellæ sint cœli: bruchus expánsus est, & avolávit. Custódes tui quasi locústæ: & párvuli tui quasi locústæ locustárum quæ cōsídunt in sépibus in die frígoris: sol ortus est, & avolavérunt, non est cógnitus locus eárum ubi fúerint. Dormitavérunt pastóres tui, rex Assur: sepeliéntur príncipes tui, latitávit pópulus tuus in móntibus, & non est qui cóngreget. Non est obscúra contrítio tua, péssima est plaga tua: omnes qui audiérunt auditiónẽ tuã, compressérunt manum super te: quia super quem non tránsiit malítia tua semper?

℟. ij. Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confúgimus in auxílium, ut liberárent nos à fácie regis Assyriórum: * Et quómodo effúgere potérimus nos? ℣. Non est obscúra contrítio tua, péssima est plaga tua: omnes qui audiérunt auditiónem tuam, compressérunt manum super te: quia super quem non tránsiit malítia tua semper? * Et. *Is.* 20. *Nahum.* 3.

Incipit Hábacuc Prophéta.

Lectio iij. *Cap.* 1.

ONus, quod vidit Hábacuc Prophéta. Usquè

quò Dómine clamábo, & non exaúdies? vociferábor ad te vim pátiens, & non salvábis? Quare ostendísti mihi iniquitátem, & labórem, vidére prædam, & injustítiam contra me: & factum est judícium, & contradíctio poténtior. Propter hoc laceráta est lex, & non pérvenit usque ad finem judícium: quia ímpius prævalet advérsùs justum, proptérea egréditur judícium pervérsum. Aspícite in géntibus, & vidéte: admirámini, & obstupéscite: quia opus factum est in diébus vestris, quod nemo credet, cùm narrábitur. Quia ecce ego suscitábo Chaldæos, gentem amáram, & velócem, ambulántem super latitúdinem terræ, ut possídeat tabernácula non sua. Horríbilis & terríbilis est: ex semetípsa judícium, & onus ejus egrediétur. Leviórcs pardis equi ejus, & velocióres lupis vespertínis, & diffundéntur équites ejus: équites namque ejus de longè vénient, volábunt quasi áquila festínans ad comedéndum. Omnes ad prædam vénient, fácies eórum ventus urens: & congregábit quasi arénam captivitátem.

℟. *iij.* Vidéte contemptóres, & admirámini quia opus óperor ego in diébus vestris, * Opus quod non credétis, si quis enarráverit vobis. ℣. Aspícite in géntibus, & vidéte, & admirámini, quia opus factum est in diébus vestris, * Opus. Glória. * Opus. *Act.* 13. *Hebr.* 1.

FERIA SEXTA.

De Hábacuc Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 10.

Chaldæus de régibus triumphábit, & tyránni ridículi ejus erunt: ipse super omnem munitiónem ridébit, & comportábit ággerem, & cápiet eam. Tunc mutábitur spíritus, & pertransíbit; & córruet; hæc est fortitúdo ejus dei sui. Numquid nón tu à princípio, Dómine Deus meus, sancte meus, & non moriémur? Dómine in judícium posuísti eum: & fortem ut corríperes, fundásti eum. Mundi sunt óculi tui, ne vídeas malum, & respícere ad iniquitátem non póteris. Quare réspicis super iníqua agéntes, & taces devoránte ímpio justiórem se? Et fácies hómines quasi písces maris, & quasi réptile non habens príncipem. Totum in hamo sublevábit, traxit illud in sagéna sua, & congregávit in rete suum. Super hoc lætábitur & exsultábit. Proptéreà immolábit sagénæ suæ, & sacrificábit reti suo: quia in ipsis incrassáta est pars ejus, & cibus ejus eléctus. Propter

hoc ergo expándit sagénam suam, & semper interfícere gentes non parcet.

℟. *j.* Arástis impietátem, iniquitátem messuístis; comedístis frugem mendácii, * Quia confísus es in viis tuis in multitúdine fórtium tuórum. ℣. Propter hoc ergo expándit sagénam suam, & semper interfícere gentes non parcet, * Quia confísus. *Osee* 10. *Hab.* 1.

Lectio ij. *Cap.* 2.

SUper custódiam meam stabo, & figam gradum super munitiónem: & contemplábor, ut vídeam quid dicátur mihi, & quid respóndeam ad arguéntem me. Et respóndit mihi Dóminus, & dixit: Scribe visum, & expléna eum super tábulas; ut percúrrat qui légerit eum, quia adhuc visus procul, & apparébit in finem, & non mentiétur: si moram fécerit, exspécta illum; quia véniens véniet, & non tardábit. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetípso; justus autem in fide sua vivet. Et quómodo vinum potántem décipit; sic erit vir supérbus, & non decorábitur; qui dilatávit quasi inférnus ánimam suam; & ipse quasi mors, & non adimplétur: & congregábit ad se omnes gentes, & coacervábit ad se omnes pópulos. Numquid non omnes isti super eum parábolam sument: & loquélam ænígmatum ejus, & dicétur: Væ ei qui multíplicat non sua? úsquequò & aggravat contra se densum lutum? Numquid non repéntè consúrgent qui mórdeant te; & suscitabúntur lacerántes te, & eris in rapínam eis? Quia tu spoliásti gentes multas, spoliábunt te omnes, qui réliqui fúerint de pópulo, propter sánguinem hóminis, & iniquitátem terræ civitátis, & ómnium habitántium in ea. Væ qui cóngregat avarítiam malam dómui suæ, ut sit in excélso nidus ejus, & liberári se putat de manu mali.

℟. *ij.* Agite dívites, aurum & argéntum vestrum æruginávit; & ærúgo eórum in testimónium vobis erit, & manducábit carnes vestras sicut ignis. * Thesaurizástis vobis iram in novíssimis diébus. ℣. Væ qui cóngregat avarítiam malam dómui suæ, ut sit in excélso nidus ejus, & liberári se putat de manu mali. * Thesaurizástis. *Jac.* 5. *Habac.* 2.

Lectio iij.

COgitásti confusiónem dómui tuæ, concidísti pópulos multos; & peccávit ánima tua. Quia lapis de paríete clamábit; & lignum quod inter junctúras ædificiórum est

respondébit. Væ qui ædificat civitátem in sanguínibus, & præparat urbem in iniquitáte. Numquid non hæc sunt à Dómino exercítuum? Laborábunt enim pópuli in multo igne; & gentes in vácuum, & deficient. Quia replébitur terra, ut cognóscant glóriam Dómini, quasi aquæ operiéntes mare. Quia iníquitas Líbani opériet te, & vástitas animálium deterrébit eos de sanguínibus hóminum, & iniquitáte terræ, & civitátis, & omnium habitántium in ea. Quid prodest scúlptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflátile, & imáginem falsam; quia sperávit in figménto fictor ejus, ut fáceret simulácra muta. Væ qui dicit ligno: Expergíscere: Surge, lápidi tacénti: numquid ipse docére póterit? Ecce iste coopértus est auro & argénto: & omnis spíritus non est in viscéribus ejus. Dóminus autem in templo sancto suo: síleat à fácie ejus omnis terra.

℟. iij. Terríbilis est locus iste; non est hîc áliud nisi domus Dei, & porta cœli. * Verè Dóminus est in loco isto, & ego nesciébam. ℣. Dóminus in templo sancto suo; síleat à fácie ejus omnis terra; * Verè. Glória. * Verè. *Gen.* 28. *Habac.* 2.

SABBATO.

Incipit Aggæus Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

IN anno secúndo Dárii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ ad Zoróbabel filium Saláthiel, ducem Juda, & ad Jesum filium Jósedec, Sacerdótem magnum, dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens; Pópulus iste dicit: Nondum venit tempus domûs Dómini ædificándæ. Et factum est verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ, dicens: Numquid tempus vobis est ut habitétis in dómibus laqueátis, & domus ista desérta? Et nunc hæc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras. Seminástis multum, & intulístis parum; comedístis, & non estis satiáti; bibístis, & non estis inebriáti; operuístis vos, & non estis calefacti; & qui mercédes congregávit, misit eas in sácculum pertúsum. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Pónite corda vestra super vias vestras: ascéndite in móntem, portáte ligna, & ædificáte domum; & acceptábilis mihi erit: & glorificábor, dicit Dóminus. Respexístis ad ámplius, & ecce factum est minus; & intulístis in domum, & exsufflávi illud:

Quam ob causam, dicit Dóminus exercítuum? Quia domus mea desérta est, & vos festinátis unusquísque in domum suam. Et audivit Zoróbabel fílius Saláthiel, & Jesus fílius Jósedec, Sacerdos magnus, & omnes relíquiæ pópuli, vocem Dómini Dei sui, & verba Aggæi prophétæ, sicut misit eum Dóminus Deus eórum ad eos: & tímuit pópulus à fácie Dómini. Et dixit Aggæus núntius Dómini de núntiis Dómini, pópulo dicens: Ego vobíscum sum, dicit Dóminus. Et suscitávit Dóminus spíritum Zoróbabel fílii Saláthiel, ducis Juda, & spíritum Jesu fílii Jósedec sacerdótis magni, & spíritum reliquórum de omni pópulo: & ingréssi sunt, & faciébant opus in domo Dómini exercítuum Dei sui.

℟. j. Quómodo amplificémus Zoróbabel? Nam & ipse quasi signum in déxtera manu, sic & Jesum fílium Jósedec, qui in diébus suis ædificavérunt domum: * Et exaltavérunt templum sanctum Dómino. ℣. Suscitávit Dóminus spíritum Zoróbabel ducis Juda, & spíritum Jesu sacerdótis magni; & ingréssi sunt, & faciébant opus in domo Dómini. * Et exaltavérunt. *Eccli. 49. Agg. 1.*

Lectio ij. Cap. 2. v. 7.

Hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módicum est, & ego commovébo cælum & terram, & mare, & áridam. Et movébo omnes gentes: & véniet desiderátus cunctis géntibus: & implébo domum istam glóriâ, dicit Dóminus exercítuum. Meum est argéntum, & meum est aurum: dicit Dóminus exercítuum. Magna erit glória domûs istíus novíssimæ plus quàm primæ, dicit Dóminus exercítuum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dóminus exercítuum. In vigésima & quarta noni mensis, in anno secúndo Dárii regis, factum est verbum Dómini ad Aggæum prophétam, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Intérroga sacerdótes legem, dicens: Si túlerit homo carnem sanctificátam in ora vestiménti sui, & tetígerit de summitáte ejus panem, aut pulméntum, aut vinum, aut óleum, aut omnem cibum, numquid sanctificábitur? Respondéntes autem sacerdótes, dixérunt: Non.

℟. ij. Deus ab austro véniet, & Sanctus de monte Pharan: *Opéruit cœlos glória ejus, & laudis ejus plena est terra. ℣. Si moram fécerit, exspécta illum, quia véniens véniet, & non tardábit. *

Opéruit. *Habac.* 3. & 2.

Lectio iij.

ET nunc pónite corda vestra à die hac & suprà, ántequam ponerétur lapis super lápidem in templo Dómini. Cùm accederétis ad acérvum vigínti modiórum, & fierent decem: & intrarétis ad tórcular, ut exprimerétis quinquagínta lagénas, & fiébant vigínti. Percússi vos vento uréntе, & ærúgine, & grándine ómnia ópera mánuum vestrárum; & non fuit in vobis qui reverterétur ad me, dicit Dóminus. Pónite corda vestra ex die ista, & in futúrum, à die vigésima & quarta noni mensis; à die quâ fundaménta jacta sunt templi Dómini, pónite super cor vestrum. Et factum est verbum Dómini secúndò ad Aggæum in vigésima & quarta mensis, dicens: Lóquere ad Zoróbabel ducem Juda, dicens: Ego movébo cælum páriter & terram; & subvértam sólium regnórum; & cónteram fortitúdinem regni géntium; & subvértam quadrígam, & ascensórem ejus; & descéndent equi, & ascensóres eórum; vir in gládio fratris sui. In die illa, dicit Dóminus exercítuum, assúmam te Zoróbabel fili Saláthiel serve meus, dicit Dóminus; & ponam te quasi signáculum, quia te elégi, dicit Dóminus exercítuum.

℟. iij. Réquies sább. *p.* 146.

In Vesperis,

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Símile factum est regnum cælórum hómini qui seminávit bonum semen in agro suo. *Matth.* 13.

Oratio, Famíliam tuam. *infrà in Laud. Mat.*

DOMINICA V. *post Epiphaniam.*

In I. Noct.

Incipit Zachárias Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

IN mense octávo, in anno secúndo Dárii regis, factum est verbum Dómini ad Zacháriam fílium Baráchiæ fílii Addo, prophétam, dicens: Irátus est Dóminus super patres vestros iracúndiâ. Et dices ad eos: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum; & convértar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamábant prophétæ prióres, dicéntes: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini de viis vestris malis, & de cogitatiónibus vestris péssimis; & non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dóminus. Patres vestri ubi sunt? Et prophétæ numquid in sempitérnum vivent? Verúmtamen verba mea & legítima mea, quæ mandá-

vi servis meis prophétis, numquid non comprehendérunt patres vestros, & convérsi sunt, & dixérunt: Sicut cogitávit Dóminus exercítuum fácere nobis secúndùm vias nostras, & secúndum adinventiónes nostras fecit nobis? In die vigésima & quarta undécimi mensis Sabat, in anno secúndo Dárii, factum est verbum Dómini ad Zacháriam fílium Baráchiæ, fílii Addo, prophétam, dicens: Vidi per noctem, & ecce vir ascéndens super equum rufum, & ipse stabat inter myrtéta, quæ erant in profúndo: & post eum equi rufi, varii, & albi.

℟. j. Iste dies. *pag.* 367.

Lectio ij.

ET respóndit vir, qui stabat inter myrtéta, & dixit: Isti sunt, quos misit Dóminus ut perámbulent terram. Et respondérunt Angelo Dómini, qui stabat inter myrtéta, & dixérunt: Perambulávimus terram, & ecce omnis terra habitátur, & quiéscit. Et respóndit Angelus Dómini, & dixit: Dómine exercítuum úsquequò tu non miseréberis Jerúsalem, & úrbium Juda, quibus irátus es? Iste jam septuagésimus annus est. Et respóndit Dóminus ángelo, qui loquebátur in me verba bona, verba consolatória. Et dixit ad me ángelus, qui loquebátur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Zelátus sum Jerúsalem & Sion zelo magno. Et irâ magnâ ego iráscor super gentes opuléntas: quia ego irátus sum parum, ipsi verò adjuvérunt in malum. Proptéreà hæc dicit Dóminus: Revértar ad Jerúsalem in misericórdiis: & domus mea ædificábitur in ea, ait Dóminus exercítuum: & perpendículum extendétur super Jerúsalem. Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc áffluent civitátes meæ bonis: & consolábitur adhuc Dóminus Sion, & éliget adhuc Jerúsalem. Et levávi óculos meos, & vidi: & ecce quátuor córnua. Et dixi ad ángelum, qui loquebátur in me: Quid sunt hæc? Et dixit ad me: Hæc sunt córnua, quæ ventilavérunt Judam, & Israël, & Jerúsalem.

℟. ij. Dies sanctificátus. *p.* 4.

Lectio iij. *Cap.* 2.

ET levávi óculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu ejus funículus mensórum. Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me: Ut métiar Jerúsalem, & vídeam quanta sit latitúdo ejus, & quanta longitúdo ejus. Et ecce ángelus, qui loquebátur in me, egrediebátur, & ángelus álius ingrediebátur in occúrsum ejus. Et

dixit ad eum: Curre, lóquere ad púerum istum, dicens: Absque muro habitábitur Jerúsalem præ multitúdine hóminum, & jumentórum in médio ejus. Et ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu: & in glória ero in médio ejus. O, ô fúgite de terra Aquilónis, dicit Dóminus: quóniam in quátuor ventos cœli dispérsi vos, dicit Dóminus. O Sion, fuge quæ hábitas apud fíliam Babylónis: quia hæc dicit Dóminus exercítuum: Post glóriam misit me ad gentes, quæ spoliavérunt vos: qui enim tetígerit vos, tangit pupíllam óculi mei: quia ecce ego levo manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui serviébant sibi: & cognoscétis quia Dóminus exercítuum misit me. Lauda, & lætáre fília Sion: quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tui, ait Dóminus.

℟. iij. Pascha nostrum. p. 4.

IN II. NOCT.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. *Cap. 7. v. 10.*

Is qui matrimónio juncti sunt, præcípio non ego, sed Dóminus, uxórem à viro non discédere: quòd si discésserit, manére innúptam, aut viro suo reconciliári. Et vir uxórem non dimíttat. Nam cǽteris ego dico, non Dóminus: Si quis frater uxórem habet infidélem, & hæc conséntit habitáre cum illo, non dimíttat illam. Et si qua múlier fidélis habet virum infidélem, & hic conséntit habitáre cum illa, non dimíttat virum: sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem, & sanctificáta est múlier infidélis per virum fidélem: alióquin fílii vestri immúndi essent, nunc autem sancti sunt. Quòd si infidélis discédit, discédat: non enim servitúti subjéctus est frater, aut soror in hujúsmodi: in pace autem vocávit nos Deus. Unde enim scis múlier, si virum salvum fácies? aut unde scis vir, si mulíerem salvam fácies? Nisi unicuíque sicut divísit Dóminus, unumquémque sicut vocávit Deus, ita ámbulet, & sicut in ómnibus Ecclésiis dóceo.

℟. iv. Másculum & féminam fecit eos Deus. Propter hoc relínquet homo patrem suum & matrem; & adhærébit ad uxórem suam, & erunt duo in carne una. *Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. ℣. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. *Quod. *Marc.* 10.

Lectio v.

Circumcísus áliquis vocátus est? non addúcat præpútium. In præpútio áliquis

vocátus est? non circumcidátur. Circumcísio nihil est, & præpútium nihil est: sed observátio mandatórum Dei. Unusquísque in qua vocatióne vocátus est, in ea permáneat. Servus vocátus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fíeri liber, magis útere: qui enim in Dómino vocátus est servus, libértus est Dómini: símiliter qui liber vocátus est, servus est Christi. Prétio empti estis, nolíte fíeri servi hóminum.

℟. *v.* Qui matrimónio juncti sunt, uxor à viro non discédat, & vir uxorem non dimíttat, *Unusquísque in qua vocatióne vocátus est, in ea permáneat. ℣. Alligátus es uxóri, noli quærere solutiónem. *Unusquísque. 1. *Cor.* 7.

Lectio vj.

UNusquísque in quo vocátus est, fratres, in hoc permáneat apud Deum. De virgínibus autem præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? Noli quærere solutiónem? Solútus es ab uxóre? Noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si nupserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut & qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudéntes: & qui emunt, tamquã non possidéntes: & qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi.

℟. *vj.* Unicuíque nostrûm data est grátia secúndùm mensúram donatiónis Christi; † Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, * Dívidens síngulis proüt vult. ℣. Unusquísque ita ámbulet sicut vocávit Deus, * Dívidens. Glória. † Hæc autem. *Ephes.* 4. 1. *Cor.* 7.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 13.

IN illo témpore; Parábolam propósuit Jesus turbis, dicens: Símile factum est regnũ cœlórum hómini, qui seminávit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormírent hómines, venit inimícus ejus, & superseminávit zizánia in médio trítici, & ábiit. Cùm autem crevísset herba, & fructum fecísset, tunc apparuérunt & zizánia. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi
Lib. Quæst. sept. in Evang. Matth. qu. 11.

CUm negligéntiùs ágerent Præpóſiti Eccléſiæ, aut cùm dormitiónem mortis accíperent Apóſtoli, venit diábolus, & ſuperſeminávit eos, quos malos fílios Dóminus interpretátur. Sed rectè quæritur, utrum hærétici ſint, aut malè vivéntes cathólici. Poſſunt enim dici fílii mali étiam hærétici, quia ex eódem Evangélii sémine & Chriſti nómine procreáti, pravis opiniónibus ad falſa dógmata convertúntur. Sed quod dicit eos in médio trítici ſeminátos, quaſi videntur illi ſignificári qui unius communiónis ſunt. Verúmtamen quóniam Dóminus agrum ipſum, non Eccléſiam, ſed hunc mundum interpretátus eſt, benè intelligúntur hærétici; quia non ſocietáte unius Eccléſiæ vel unius fídei, ſed ſocietáte ſolíus nóminis Chriſtiáni in hoc mundo permiſcéntur bonis: ut illi qui in eádem fide mali ſunt, pálea pótiùs quàm zizánia deputéntur: quia pálea étiam fundaméntum ipſum habet cum fruménto, radicémque commúnem.

℟. *vij.* Sicut colligúntur zizánia, & igne comburúntur; ſic Angeli ſeparábunt malos de médio juſtórum, & mittent eos* In camínum ignis. ℣. Væ qui ſeparáti eſtis in diem malum * In. *Matth.* 13. *Amos.* 6.

Lectio viij.

IN illa planè ſagéna quâ conclúdúntur & boni, & mali piſces, non abſúrdè mali cathólici intelligúntur. Aliud eſt enim mare, quod magis mundum iſtum ſignificat; álind ſagéna, quæ unius fidei vel unius Eccléſiæ communióné vidétur oſténdere. Inter hæréticos & malos cathólicos hoc intereſt, quòd hærétici falſa credunt, illi autem vera credéntes non vivunt ita ut credunt. Solet autem étiam quæri, ſchiſmátici quid ab hæréticis diſtent; & hoc inveníri, quòd ſchimáticos non fides divérſa fáciat, ſed communiónis diſrúpta ſocíetas. Sed utrùm inter zizánia numerándi ſint, dubitári poteſt. Magis autem vidéntur ſpicis corrúptis eſſe ſimilióres, ſicut ſcriptum eſt: Vento autem corrumpétur fílius iníquus; vel páleis ariſtárum fractis, vel ſciſſis & de ſégete abrúptis. Quò enim altióres, id eſt ſuperbióres, eò fragilióres leviorésque ſunt.

℟. *viij.* Fílius hóminis habet ventilábrum in manu ſua, *Et permundábit áream ſuam. ℣. Congregábit tríticum ſuum in hórreum, páleas autem combúret igni inexſtinguí-

bili, * Et. Matth. 3.

Lectio ix.

SErvi dicunt: Vis, imus, & collígimus ea? Quibus quia Véritas ipsa respóndet, non ita hóminem constitútum esse in hac vita, ut certus esse possit qualis quisque futúrus sit pósteà, cujus in præséntia cernit errórem, vel quid étiam error ejus cónferat ad provéctum bonórum; non esse tales auferéndos de hac vita, ne cùm malos conátur interfícere, bonos interfíciat, quod fortè futúri sunt; aut bónis obsit, quibus & invíti fortè útiles sunt; sed tunc opportúnè fieri, cùm jam in fine non restat vel tempus commutándæ vitæ, vel proficiéndi ad veritátem ex occasióne atque comparatióne aliéni erróris; tunc autem hoc non ab homínibus, sed ab ángelis fieri: inde est quòd respóndet pater-famílias: Non; ne fortè colligéntes zizánia, eradicétis simul & tríticum.

℟. ix. Inimícus autem qui seminávit zizánia, est diábolus; messis verò consummátio séculi est; * Messóres autem Angeli sunt. ℣. Mittet Fílius hóminis Angelos suos, & cólligent de regno ejus ómnia scándala.* Messóres. Glória.* Messóres. Matth. 13.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. D. Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia: Et ait illis: Inimícus homo hoc fecit. *Matth.* 13.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínuâ pietáte custódi: ut quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tuâ semper protectióne muniátur; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d.* Sínite útraque créscere usque ad messem: collígite primùm zizánia, & alligáte ea in fascículos ad comburéndum; tríticum autem congregáte in hórreum meum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

De Zachária Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 3.

OSténdit mihi Dóminus Jesum sacerdótem magnum stantem coram ángelo Dómini: & satan stabat à dextris ejus ut adversarétur ei: Et dixit Dóminus ad satan: Increpet Dóminus in te, satan: & íncrepet Dóminus in te, qui elégit Jerúsalem: numquid non iste torris est érutus de igne? Et Jesus erat indútus véstibus sórdidis: & stabat ante fáciem ángeli: qui respóndit, & ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auférte vestiménta sórdida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce ábstuli à te iniquitátem tuam, & índui te mutatóriis. Et dixit: Pónite cídarim mundam super caput

ejus. Et posuérunt cídarim mundam super caput ejus, & induérunt eum véstibus: & ángelus Dómini stabat. Et contestabátur ángelus Dómini Jesum, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Si in viis meis ambuláveris, & custódiam meã custodíeris: tu quoque judicábis domum meam, & custódies átria mea, & dabo tibi ambulántes de his qui nunc hîc assístunt. Audi Jesu Sacérdos magne, tu & amíci tui qui hábitant coram te, quia viri portendéntes sunt: Ecce enim ego addúcam servum meum Oriéntem.

℞. *j.* Véniet ex Sion qui erípiat, & avértat impietátem à Jacob; *Et hoc illis à me testaméntum, cum abstúlero peccáta eórum. ℣. Ecce ego addúcam servum meum Oriéntem, & aúferam iniquitátem terræ; *Et hoc. *Rom.* 11. *Zach.* 3.

Lectio ij. *Cap.* 4.

ET revérsus est ángelus, qui loquebátur in me, & suscitávit me, quasi virum qui suscitátur de somno suo. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: vidi, & ecce candelábrum aureum totum, & lampas ejus super caput ipsíus, & septem lucérnæ ejus super illud: & septem infusória lucérnis, quæ erant super caput ejus. Et duæ olívæ super illud; una à dextris lámpadis, & una à siníſtris ejus. Et respóndi, & aio ad ángelum, qui loquebátur in me, dicens: Quid sunt hæc, dómine mi? Et respóndit ángelus qui loquebátur in me, & dixit ad me: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, dómine mi. Et respóndit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Dómini ad Zoróbabel, dicens: Non in exércitu, nec in róbore, sed in spíritu meo, dicit Dóminus exercítuum. Quis tu mons magne coram Zoróbabel? In planum; & edúcet lápidem primárium & exæquábit grátiam grátiæ ejus. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens: Manus Zoróbabel fundavérunt domum istam, & manus ejus perfícient eam: & sciétis quia Dóminus exercítuum misit me ad vos.

℞. *ij.* Dómui Juda miserébor, & salvábo eos in Dómino Deo suo; non in exércitu, nec in róbore, * Sed in spíritu meo, dicit Dóminus exercítuum. ℣. Non salvábo eos in arcu & gládio, in bello, & in equis, & in equítibus; * Sed. *Osee* 1. *Zach.* 4.

Lectio iij. *Cap.* 5.

ET convérsus sum, & levávi óculos meos; & vidi, & ecce volúmen volans. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego vídeo volúmen volans: longitúdo ejus vigínti

cubitórum, & latitúdo ejus decem cubitórum. Et dixit ad me: Hæc est maledíctio, quæ egréditur super fáciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicábitur: & omnis jurans ex hoc simíliter judicábitur. Edúcam illud, dicit Dóminus exercítuum: & véniet ad domum furis, & ad domum jurántis in nómine meo mendáciter; & commorábitur in médio domûs ejus, & consûmet eam, & ligna ejus, & lápides ejus. Et egréssus est ángelus qui loquebátur in me, & dixit ad me: Leva óculos tuos, & vide quid est hoc quod egréditur. Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est ámphora egrédiens. Et dixit: Hæc est óculus eórum in univérsa terra. Et ecce taléntum plumbi portabátur, & ecce múlier una sedens in médio ámphoræ. Et dixit: Hæc est impíetas. Et projécit eam in médio ámphoræ, & misit massam plúmbeam in os ejus.

℟. iij. Vidi mórtuos magnos & pusíllos stantes in conspéctu throni; & libri apérti sunt; * Et judicáti sunt mórtui ex his quæ scripta erant in libris secúndùm ópera ipsórum. ℣. Vidi volúmen volans; & omnis fur sicut ibi scriptum est judicábitur, & omnis jurans ex hoc simíliter judicábitur.* Et judicáti sunt. Glória.* Et. *Apoc. 20. Zach. 5.*

FERIA TERTIA.

De Zachária Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

Convérsus sum, & levávi óculos meos, & vidi; & ecce quátuor quadrígæ egrediéntes de médio duórum móntiũ; & montes, montes ærei. In quadríga prima equi rufi, & in quadríga secúnda equi nigri, & in quadríga tértia equi albi, & in quadríga quarta equi várii & fortes. Et respóndi, & dixi ad Angelum, qui loquebátur in me: Quid sunt hæc, dómine mi? Et respóndit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quátuor venti cæli, qui egrediúntur, ut stent coram Dominatóre omnis terræ: in qua erant equi nigri, egrediebántur in terram Aquilónis: & albi egréssi sunt post eos: & várii egréssi sunt ad terram Austri. Qui autem erant robustíssimi, exiérunt, & quærébant ire & discúrrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambuláte terram; & perambulavérunt terram. Et vocávit me, & locútus est ad me, dicens: Ecce qui egrediúntur in terram aquilónis, requiéscere fecérunt spíritum meum in terra aquilónis.

℟. j. Ecce ego salvábo pópulum meum de terra oriéntis, & de terra occásûs solis; * Et erunt mihi in pópu-

sum, & ego ero eis in Deum in veritáte & in justítia. ℣. Ecce qui egrediúntur in terrā aquilónis, requiéscere fecérunt spíritum meum in terra aquilónis; *Et erunt. *Zach. 8.*

Lectio ij. v. 11. & cap. 7.

ET sumes aurum & argéntum; & fácies corónas; & pones in cápite Jesu filii Jósedec sacerdótis magni; & loquéris ad eum dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens: Ecce vir Oriens nomen ejus; & subter eum oriétur, & ædificábit templum Dómino. Et ipse éxstruet templum Dómino; & ipse portábit glóriam, & sedébit, & dominábitur super sólio suo, & erit sacérdos super sólio suo, & consílium pacis erit inter illos duos. Et corónæ erunt Helem, & Tóbiæ, & Idáiæ, & Hem fílio Sophóniæ, memoriále in templo Dómini. Et qui procul sunt, vénient, & ædificábunt in templo Dómini, & sciétis quia Dóminus exercítuum misit me ad vos. Erit autem hoc, si audítu audiéritis vocem Dómini Dei vestri. Et factum est in anno quarto Dárii regis, factum est verbum Dómini ad Zachāriam, in quarta mensis noni, qui est Casleu. Et misérunt ad domum Dei, Sárasar, & Rogómmelec, & viri qui erant cum eo, ad deprecándum fáciem Dómini; ut dícerent sacerdótibus domûs Dómini exercítuum, & prophétis loquéntes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificáre me débeo, sicut jam feci multis annis?

℟. ij. Véniet ex Sion qui erípiat, & avértat impietátem à Jacob; * Et hoc illis à me testaméntum, cùm abstúlero peccáta eórum. ℣. Ecce vir Oriens nomen ejus, & subter eum oriétur, & ædificábit templum Dómino; * Et hoc. *Zach. 3. & 6.*

Lectio iij.

ET factum est verbum Dómini exercítuum ad me, dicens: Lóquere ad omnem pópulum terræ, & ad sacerdótes, dicens: Cùm jejunarétis & plangerétis in quinto & séptimo per hos septuagínta annos; numquid jejúnium jejunástis mihi? Et cùm comedístis & bibístis, numquid non vobis comedístis, & vobismetípsis bibístis? Numquid non sunt verba, quæ locútus est Dóminus in manu prophetárum priórum, cùm adhuc Jerúsalem habitarétur, & esset opulénta, ipsa & urbes in circúitu ejus, & ad austrum, & in campéstribus habitarétur? Et factum est verbum Dómini ad Zacháriam, dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens: Judícium

verum judicáte, & misericórdiam & miseratiónes fácite unusquísque cum fratre suo. Et víduam, & pupíllum, & ádvenam, & paúperem nolíte calumniári; & malum vir fratri suo non cógitet in corde suo. Et noluérunt atténdere, & avertérunt scápulam recedéntem, & aures suas aggravavérunt ne audírent. Et cor suum posuérunt ut adamántem, ne audírent legem, & verba quæ misit Dóminus exercítuum in spíritu suo per manum prophetárum prióorum; & facta est indignátio magna à Dómino exercítuum.

℟. iij. Deponéntes mendácium loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo; * Quóniam sumus ínvicem membra. ℣. Judícium verum judicáte, & misericórdiam fácite unusquísque cum fratre suo, * Quóniam. Glória. * Quóniam. *Ephes.* 4. *Zachar.* 7.

FERIA QUARTA.

De Zachária Prophéta.

Lectio j. *Cap 8.*

FActum est verbum Dómini exercítuum, dicens, Hæc dicit Dóminus exercítuum: Zelátus sum Sion zelo magno, & indignatióne magnâ zelátus sum eam. Hæc dicit Dóminus exercítuum: Revérsus sum ad Sion, & habitábo in médio Jerúsalem; & vocábitur Jerúsalem Cívitas veritátis, & Mons Dómini exercítuum, mons sanctificátus. Hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc habitábunt senes & anus in platéis Jerúsalem; & viri báculus in manu ejus præ multitúdine diérum. Et platéæ civitátis complebúntur infántibus, & puéllis ludéntibus in platéis ejus. Hæc dicit Dóminus exercítuum: Si vidébitur difficile in óculis reliquiárum pópuli hujus in diébus illis, numquid in óculis meis difficile erit, dicit Dóminus exercítuum? Hæc dicit Dóminus exercítuum: Ecce ego salvábo pópulum meum de terra Oriéntis, & de terra Occásûs solis, & addúcam eos, & habitábunt in médio Jerúsalem; & erunt mihi in pópulum, & ego ero eis in Deum in veritáte & in justítia. Nunc autem non juxta dies prióres ego fáciam relíquiis pópuli hujus, dicit Dóminus exercítuum; sed semen pacis erit; vínea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cœli dabunt rorem suum, & possidére fáciam relíquias pópuli hujus univérsa hæc.

℟. j. Percútiam cum eis fœdus in die illa; & arcum, & gládium cónteram de terra, * Et dormíre eos fáciam fiduciáliter. ℣. Non juxta dies prióres ego fáciam relíquiis

pópuli hujus, dicit Dóminus exercítuum, * Et dormíre. *Os.* 2. *Zach.* 8.

Lectio ij.

ET erit: sicut erátis maledíctio in géntibus, domus Juda, & domus Israël; sic salvábo vos, & éritis benedíctio: nolíte timére, confortentur manus vestræ. Quia hæc dicit Dóminus exercítuũ: Sicut cogitávi ut affligerem vos, cùm ad iracúndiam provocássent patres vestri me, dicit Dóminus, & non sum misértus: sic convérsus cogitávi in diébus istis ut benefáciam dómui Juda & Jerúsalém: nolíte timére. Hæc sunt ergo verba quæ faciétis: Loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo; veritátem & judícium pacis judicáte in portis vestris. Et unusquísque malum contra amícum suum ne cogitétis in córdibus vestris; & juraméntum mendax ne diligátis; ómnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dóminus. Et factum est verbum Dómini exercítuum ad me, dícens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Jejúnium quarti, & jejúnium quinti, & jejúniũ séptimi, & jejúnium décimi erit dómui Juda in gaúdium, & lætítiam, & in solemnitátes præcláras; veritátem tantùm & pacem dilígite...Et vénient pópuli multi, & gentes robústæ ad quæréndum Dóminum exercítuum in Jerúsalem, & deprecándam fáciem Dómini. Hæc dicit Dóminus exercítuum: In diébus illis, in quibus apprehéndent decem hómines ex ómnibus linguis géntium, & apprehéndent fímbriã viri Judæi, dicéntes: Ibimus vobíscum; audívimus enim quóniam Deus vobíscum est.

℟. ij. Et erit númerus filiórum Israël quasi aréna maris quæ sine mensúra est, & non numerábitur. * Et erit in loco ubi dicétur eis: Non pópulus meus vos; dicétur eis: Filii Dei vivéntis. ℣. Vénient pópuli multi, & gentes robústæ ad quæréndum Dóminum. * Et. *Os.* 1. *Zach.* 8.

Lectio iij. *Cap.* 9.

ONus verbi Dómini in terra Hadrach, & Damásci requiéi ejus: quia Dómini est óculus hóminis, & ómnium tribuum Israël. Emath quoque in términis ejus, & Tyrus, & Sidon: assumpsérunt quippe sibi sapiéntiam valdè. Et ædificávit Tyrus munitiónem suam, & coacervávit argéntum quasi humum, & aurum ut lutum plateárum. Ecce Dóminus possidébit eam, & percútiet in mari fortitúdinem ejus & hæc igni devorábitur. Et aúferam sánguinem ejus de ore ejus, & abominatiónes ejus de médio déntium ejus,

& relinquétur étiam ipse Deo nostro, & erit quasi dux in Juda, & Accaron quasi Jebusæus. Et circúmdabo domum meam ex his, qui mílitant mihi eúntes & reverténtes, & non transíbit super eos ultrà exáctor; quia nunc vidi in óculis meis. Exsúlta satis fília Sion, & júbila fília Jerúsalem: Ecce rex tuus véniet tibi justus & Salvátor; ipse pauper, & ascéndens super ásinam, & super pullum fílium ásinæ. Et dispérgam quadrígam ex Ephraïm, & equum de Jerúsalem, & dissipábitur arcus belli; & loquétur pacem géntibus, & potéstas ejus à mari usque ad mare, & à flumínibus usque ad fines terræ. Tu quoque in sánguine testaménti tui emisísti vinctos de lacu, in quo non est aqua.

℟. iij. Vocábitur nomen ejus Admirábilis, Consiliárius, Deus fortis, Pater futúri sǽculi, Princeps pacis. Multiplicábitur ejus impérium, * Et pacis non erit finis. ℣. Exsúlta fília Sion; ecce Rex tuus venit, & loquétur pacem géntibus; & potéstas ejus à mari usque ad mare; * Et pacis. Glória. * Et. *Is.* 9. *Zach.* 9.

FERIA QUINTA.
De Zachária Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 9. *v.* 12.

Convertímini ad munitiónem vincti spei, hódie quoque annúntians duplícia reddam tibi: quóniam exténdi mihi Judam quasi arcum, implévi Ephraïm; & suscitábo fílios tuos Sion super fílios tuos Græcia: & ponam te quasi gládium fórtium. Et Dóminus Deus super eos vidébitur, & exíbit ut fulgur jáculum ejus: & Dóminus Deus in tuba canèt, & vadet in túrbine austri. Dóminus exercítuum próteget eos: & devorábunt, & subjícient lapídibus fundæ: & bibéntes inebriabúntur quasi à vino, & replebúntur ut phíalæ, & quasi córnua altáris. Et salvábit eos Dóminus Deus eórum in die illa, ut gregem pópuli sui; quia lápides sancti elevabúntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, & quid pulcrum ejus, nisi fruméntum electórum, & vinum gérminans vírgines?

℟. j. Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis, & * Sciens sperántes in se. ℣. Salvávit Dóminus Deus eórum in die illa, ut gregem pópuli sui, quia lápides sancti elevabúntur super terrã ejus; * Sciens. *Nahum.* 1. *Zach.* 9.

Lectio ij. *Cap.* 10.

Petite à Dómino plúviam in témpore serótino, & Dóminus fáciet nives, & plúviam imbris dabit eis, síngulis herbam in agro. Quia simulácra locúta sunt inútile, &

divíni vidérunt mendácium, & somniatóres locúti sunt frustrà: vanè consolabántur: idcircò abdúcti sunt quasi grex; affligéntur, quia non est eis pastor. Super pastóres irátus est furor meus, & super hircos visitábo: quia visitávit Dóminus exercítuum gregẽ suum, domum Juda, & pósuit eos quasi equum glóriæ suæ in bello. Ex ipso ángulus, ex ipso paxíllus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egrediétur omnis exáctor simul. Et erunt quasi fortes conculcántes lutum viárum in prælio: & bellábunt, quia Dóminus cum eis: & confundéntur ascensóres equórum. Et confortábo domum Juda, & domum Joseph salvábo: & convértam eos, quia miserébor eórum: & erunt sicut fuérunt quando projéceram eos: ego enim Dóminus Deus eórum, & exaúdiam eos. Et erunt quasi fortes Ephraïm, & lætábitur cor eórum quasi à vino: & fílii eórum vidébunt, & lætabúntur: & exsultábit cor eórum in Dómino. Sibilábo eis, & congregábo illos, quia redémi eos: & multiplicábo eos sicut antè fúerant multiplicáti. Et seminábo eos in pópulis, & de longè recordabúntur meî: & vivent cum fíliis suis, & reverténtur.... Confortábo eos in Dómino, & in nómine ejus ambulábunt, dicit Dóminus.

℟. ij. A diébus patrum vestrórum recessístis à legítimis meis, & non custodístis. *Revertímini ad me, & revértar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. ℣. Confortábo eos in Dómino, & in nómine ejus ambulábunt, dicit Dóminus; * Revertímini. *Mal.* 3. *Zach.* 10

Lectio iij. *Cap.* 11.

APeri Líbane portas tuas, & cómedat ignis cedros tuas. Ulula ábies, quia cécidit cedrus, quóniam magnífici vastáti sunt: ululáte quercus Basan, quóniam succísus est saltus munítus. Vox ululátûs pastórum, quia vastáta est magnificéntia eórum: vox rugítûs leónum, quóniam vastáta est supérbia Jordánis. Hæc dicit Dóminus Deus meus: Pasce pécora occisiónis, quæ qui possíderant, occidébant, & non dolébant; & vendébant ea, dicéntes: Benedíctus Dóminus, dívites facti sumus: & pastóres eórum non parcébant eis. Et ego non parcam ultrà super habitántes terram, dicit Dóminus: ecce ego tradam hómines, unumquémque in manu próximi sui, & in manu regis sui: & concídent terram, & non éruam de manu eórum. Et pascam pecus occisiónis propter hoc, ô paúperes gregis: & assúmpsi mihi duas virgas, unam vocávi De-

córem, & álteram vocávi Funículum: & pavi gregem. Et succídi tres pastóres in mense uno, & contrácta est ánima mea in eis: síquidem & ánima eórum variávit in me.

℟. iij. Ecce ego ipse super pastóres requíram gregem meum de manu eórum, * Et non erit ultrà eis in escam. ℣. Succídi tres pastóres in mense uno, & contrácta est ánima mea in eis; * Et. Glória. *Et. *Ezech.* 34. *Zach.* 11.

FERIA SEXTA.

De Zachária Prophéta

Lectio j. *Cap.* 11. *v.* 9.

DIxi: Non pascam vos: quod móritur, moriátur: & quod succíditur, succidátur: & réliqui dévorent unusquísque carnem próximi sui... Et dixi ad eos: Si bonum est in óculis vestris, afférte mercédem meam: & si non, quiéscite. Et appendérũt mercédem meam trigínta argénteos. Et dixit Dóminus ad me: Prójice illud ad statuárium, decórum prétium, quo appretiátus sum ab eis. Et tuli trigínta argénteos: & projéci illos in domum Dómini ad statuárium. Et præcídi virgam meam secúndam, quæ appellabátur Funículus, ut dissólverem germanitátem inter Judam & Israël. Et dixit Dóminus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastóris stulti; quia ecce ego suscitábo pastórem in terra, qui derelícta non visitábit, dispérsum non quæret, & cótritum non sanábit, & id quod stat non enútriet, & carnes pínguium cómedet, & úngulas eórum dissólvet. O pastor? & idólum, derelínquens gregem; gládius super bráchium ejus, & super óculum dextrum ejus: bráchium ejus ariditáte siccábitur, & óculus dexter ejus tenebréscens obscurábitur.

℟. j. Sacerdótes contempsérunt legem meam, polluérunt sanctuária mea; inter sanctum & profánum non habuérunt distántiam, *Et coïnquinábar in médio eórum. ℣. Versa est mihi domus Israël in scóriam; conjurátio prophetárum in médio ejus, ánimas devoravérunt; * Et. *Ezech.* 22.

Lectio ij. *Cap.* 12.

ONus verbi Dómini super Israël. Dicit Dóminus extèndens cœlum, & fundans terram, & fingens spíritum hóminis in eo: Ecce ego ponam Jerúsalem superliminare crápulæ ómnibus pópulis in circúitu: sed & Juda erit in obsidióne contra Jerúsalem. Et erit: In die illa ponam Jerúsalem lápidem óneris cunctis pópulis: omnes, qui levábunt eam, concisióne lacerabúntur: & colligéntur advérsus eam ómnia regna terræ. In die illa, dicit Dóminus,

percútiam omnem equum in stupórem, & ascensórem ejus in améntiam: & super domum Juda apériam óculos meos, & omnem equum populórum percútiam cæcitáte. Et dicent duces Juda in corde suo: Confortęntur mihi habitatóres Jerúsalem in Dómino exercítuū Deo eórum. In die illa ponam duces Juda sicut camínum ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno: & devorábunt ad déxteram, & ad sinístram omnes pópulos in circúitu: & habitábitur Jerúsalem rursus in loco suo in Jerúsalem. Et salvábit Dóminus tabernácula Juda, sicut in princípio: ut non magníficè gloriétur domus David, & glória habitántium Jerúsalem contra Judam.

℟. *ij.* Bonus. *ut heri. p. 427.*

Lectio iij.

IN die illa próteget Dóminus habitatóres Jerúsalem, & erit qui offénderit ex eis in die illa, quasi David: & domus David quasi Dei, sicut ángelus Dómini in conspéctu eórum. Et erit in die illa: quæram contérere omnes Gentes, quæ véniunt contra Jerúsalem. Et effúndam super domū David, & super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ & precum: & aspícient ad me, quem confixérunt, & plangent eum planctu quasi super unigénitum, & dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, sicut planctus Adadrémmon in campo Magéddon. Et planget terra; famíliæ & famíliæ seórsum; famíliæ domûs David seórsum, & mulíeres eórum seórsum... Omnes famíliæ réliquæ, famíliæ & famíliæ seórsum, & mulíeres eórum seórsum.

℟. *iij.* Spíritus ádjuvat infirmitátem nostram; nam quid orémus sicut opórtet, nescímus: sed ipse Spíritus póstulat pro nobis, * Qui secúndùm Deum póstulat pro sanctis. ℣. In die illa effúndam super domum David & super habitatóres Jerúsalem Spíritum grátiæ & precum, * Qui. Glória. Qui. *Rom. 8. Zach. 12.*

SABBATO.

De Zachária Prophéta.

Lectio j. *Cap. 13.*

IN die illa erit fons patens dómui David, & habitántibus Jerúsalem in ablutiónem peccatóris, & menstruátæ. Et erit in die illa, dicit Dóminus exercítuum: Dispérdam nómina idolórum de terra, & non memorabúntur ultrà: & pseudoprophétas & spíritum immúndum áuferam de terra. Et erit: In die illa confundéntur prophétæ, unusquísque ex visióne sua, cùm prophetáverit: nec ope-

riéntur pállio sáccino, ut mentiántur; sed dicet: Non sum prophéta, homo agrícola ego sum: quóniam Adam exémplum meum ab adolescéntia mea. Et dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, & super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, & dispergéntur oves: & convértam manum meam ad párvulos: Et erunt in omni terra, dicit Dóminus; partes duæ in ea dispergéntur, & deficient: & tértia pars relinquétur in ea. Et ducam tértiam partem per ignem, & uram eos sicut úritur argéntum: & probábo eos sicut probátur aurum. Ipse vocábit nomen meum, & ego exaúdiam eum. Dicam: Pópulus meus es; & ipse dicet: Dóminus Deus meus.

℟. j. Ruent in gládio, & in flamma, & in captivitáte, *Ut confléntur, & eligántur, & dealbéntur usque ad tempus præfinítum. ℣. Uram eos sicut úritur argéntum, & probábo eos sicut probátur aurum. * Ut. *Dan.* 11. *Zach.* 13.

Lectio ij. Cap. 14.

Ecce vénient dies Dómini, & dividéntur spólia tua in médio tuî. Et congregábo omnes Gentes ad Jerúsalem in prælium, & capiétur cívitas, & vastabúntur domus, & mulíeres violabúntur: & egrediétur média pars civitátis in captivitátem, & réliquum pópuli non auferétur ex urbe. Et egrediétur Dóminus, & præliábitur contra Gentes illas, sicut præliátus est in die certáminis.... Et fugiétis ad vallem móntium eórum, quóniam conjungétur vallis móntium usque ad próximum: & fugiétis sicut fugístis à fácie terræ motûs in diébus Oziæ regis Juda: & véniet Dóminus Deus meus, omnésque sancti cum eo. Et erit in die illa: Non erit lux, sed frigus & gelu. Et erit dies una, quæ nota est Dómino, non dies, neque nox: & in témpore vésperi erit lux. Et erit in die illa: Exíbunt aquæ vivæ de Jerúsalem: médium eárum ad mare Orientále, & médium eárum ad mare novíssimum: in æstáte & in híeme erunt. Et erit Dóminus Rex super omnem terram: in die illa erit Dóminus unus, & erit nomen ejus unum.

℟. ij. A diébus. *p.* 428.

Lectio iij.

In die illa erit tumúltus Dómini magnus in eis: & apprehéndet vir manum próximi sui, & conserétur manus ejus super manum próximi

sui. Sed & Judas pugnábit advérsùs Jerúsalem : & congregabúntur divítiæ ómnium géntium in circúitu, aurum, & argéntum, & vestes multæ satis... Et omnes qui réliqui fúerint de univérsis géntibus, quæ venérunt contra Jerúsalem, ascéndent ab anno in annum, ut adórent Regem Dóminum exercítuum, & célebrent festivitátem tabernaculórum. Et erit, qui non ascénderit de famíliis terræ ad Jerúsalem, ut adóret Regem Dóminum exercítuum, non erit super eos imber. Hoc erit peccátum Ægypti, & hoc peccátum ómnium géntium, quæ non ascénderint ad celebrándam festivitátem Tabernaculórum. In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Dómino : & erunt lebétes in domo Dómini, quasi phíalæ coràm altári. Et erit omnis lebes in Jerúsalem & in Juda sanctificátus Dómino exercítuum : & vénient omnes immolántes, & sument ex eis, & coquent in eis : & non erit mercátor ultrà in domo Dómini exercítuum in die illo.

℟. iij. Réquies Sább. p. 146.

IN VESPERIS,

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *d.** Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod mínimum est ómnibus semínibus ; cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus. *Matth.* 13.

Oratio, Præsta quæsumus, *ut infrà in Laud. Mat.*

DOMINICA VI.
post Epiphaniam.

IN I. NOCT.

Incipit Sophónias Prophéta

Lectio j. Cap. 1.

VErbum Dómini quod factum est ad Sophóniam filium Chusi, filii Godóliæ, filii Amáriæ, filii Ezéciæ, in diébus Jósiæ filii Amon regis Judæ. Cóngregans congregábo ómnia à fácie terræ, dicit Dóminus : Cóngregans hóminem, & pecus ; cóngregans volatília cæli, & pisces maris : & ruínæ impiórum erunt : & dispérdam hómines à fácie terræ, dicit Dóminus. Et exténdam manum meam super Judam, & super omnes habitántes Jerúsalem, & dispérdam de loco hoc relíquias Baal, & nómina æedituórum cum sacerdótibus : & eos, qui adórant super tecta milítiam cæli, & adórant, & jurant in Dómino, & jurant in Melchom ; & qui avertúntur de post tergum Dómini, & qui non quæsiérunt Dóminum, nec investigavérunt eum. Siléte à fácie Dómini Dei : quia juxtà est dies Dómini, quia præparávit Dóminus hóstiam, sanctificávit vocátos suos. Et erit : in die hóstiæ Dómini visitábo super príncipes,

príncipes, & super fílios regis, & super omnes qui indúti sunt veste peregrínâ: & visitábo super omnem qui arrogánter ingréditur super limen in die illa, qui complent domum Dómini Dei sui iniquitáte & dolo.

℞. j. Iste dies. *p. 367.*

Lectio ij.

ET erit in die illa, dicit Dóminus, vox clamóris à porta píscium, & ululátus à secúnda, & contrítio magna à cóllibus. Ululáte habitatóres Pilæ, contícuit omnis pópulus Chánaan: dispeciérunt omnes involúti argénto. Et erit in témpore illo, scrutábor Jerúsalem in lucérnis: & visitábo super viros defixos in fécibus suis; qui dicunt in córdibus suis: Non fáciet bene Dóminus, & non fáciet malè. Et erit fortitúdo eórum in direptiónem, & domus eórum in desértum: & ædificábunt domos, & non habitábunt; & plantábunt víneas, & non bibent vinum eárum. Juxtà est dies Dómini magnus, juxtà est & velox nimis: vox diéi Dómini amára, tribulábitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulatiónis & angústiæ, dies calamitátis & misériæ, dies tenebrárum & calíginis, dies nébulæ & túrbinis, dies tubæ & clangóris super civitátes munítas, & super ángulos excélsos. Et tribulábo hómines, quia Dómino peccavérunt: sed & argéntum eórum, & aurum eórum non póterit liberáre eos in die iræ Dómini; in igne zeli ejus devorábitur omnis terra, quia consummatiónem cum festinatióne fáciet cunctis habitántibus terram.

℞. ij. Dies sanctificátus. *p. 4.*

Lectio iij. Cap. 2.

COnveníte, congregámini gens non amábilis: priúsquàm páriat júsſio quasi púlverem transeúntem diem, ántequàm véniat super vos ira furóris Dómini, ántequàm véniat super vos dies indignatiónis Dómini. Quærite Dóminum omnes mansuéti terræ, qui judícium ejus estis operáti: quærite justum, quærite mansuétum; si quómodo abscondámini in die furóris Dómini: quia Gaza destrúcta erit, & Ascalon in desértum, Azótum in merídie ejícient, & Accaron eradicábitur. Væ qui habitátis funículum maris, gens perditórum: verbum Dómini super vos, Chánaan terra Philisthinórum, & dispérdam te, ita ut non sit inhabitátor. Et erit funículus maris réquies pastórum, & caulæ pécorum: & erit funículus ejus, qui remánserit de domo Juda: ibi pascéntur, in dómibus Ascalónis ad véspe-

ram requiéscent: quia visitábit eos Dóminus Deus eórum, & avértet captivitátem eórum.

℟. iij. Pascha nostrum. p. 4.

IN II. NOCT.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. Cap. 7. v. 32.

VOlo vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, & divísus est. Et múlier innúpta & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore, & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico, non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honéstum est, & quod facultátem præbeat sine impediménto Dóminum obsecrándi. Si quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quòd sit superadúlta, & ita opórtet fieri: quod vult fáciat; non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, & hoc judicávit in corde suo, serváre vírginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimónio jungit vírginem suam, benè facit: & qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi, quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est; cui vult nubat; tantùm in Dómino. Beátior autem erit, si sic permánserit secúndùm meũ consílium: puto autem quòd & ego Spíritum Dei hábeam.

℟. iv. Múlier vivénte viro alligáta est legi: si autem mórtuus fúerit vir ejus, solúta est à lege viri; ut non sit adúltera, si fúerit cum álio viro. Et vos mortificáti estis legi per corpus Christi, ut sitis altérius qui ex mórtuis resurréxit, * Ut fructificémus Deo. ℣. Nunc autem solúti sumus à lege mortis, in qua detinebámur, * Ut fructific. Rom. 7.

Lectio v. Cap. 8.

DE iis autem quæ idólis sacrificántur, scimus quia omnes sciéntiam habémus. Sciéntia inflat, cáritas verò ædíficat. Si quis autem se exístimat scire áliquid, nondum cognóvit quemádmodum opórteat eum scire. Si quis autem díligit Deum, hic cógnitus est ab eo. De escis autem quæ idólis immolántur, scimus quia nihil est idólum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicántur dii sive in cœlo, sive in terra,

(siquidem sunt dii multi & dómini multi) : nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo ómnia, & nos in illum; & unus Dóminus Jesus Christus, per quem ómnia, & nos per ipsum. Sed non in ómnibus est sciéntia. Quidam autem cum consciéntia usque nunc idóli, quasi idolóthytum mandúcant : & consciéntia ipsórum cùm sit infirma, pollúitur.

℟. v. Sciéntia inflat, cáritas verò ædíficat. Unusquísque próximo suo pláceat in bonum * Ad ædificatiónem. ℣. Per caritátem Spíritûs servíte ínvicem * Ad ædificatiónem. 1. Cor. 15. Rom. 15. Galat. 5.

Lectio vj.

ESca autem nos non comméndat Deo. Neque enim si manducavérimus, abundábimus : neque si non manducavérimus, deficiémus. Vidéte autem ne forte hæc licéntia vestra offendículum fiat infirmis. Si enim quis víderit eum, qui habet sciéntiam, in idolío recumbéntem; nonne consciéntia ejus, cùm sit infirma, ædificábitur ad manducándum idolóthyta? Et períbit infirmus in tua sciéntia frater, propter quem Christus mórtuus est? Sic autem peccántes in fratres, & percutiéntes consciéntiam eórum infirmam, in Christum peccátis. Quaprópter si esca scandalízat fratrem meum : non manducábo carnem in ætérnum, ne fratrem meum scandalízem.

℟. vj. Debémus nos firmióres imbecillitátes infirmórum sustinére, & non nobis placére; * Etenim Christus non sibi plácuit. ℣. Nemo quod suum est quærat, sed quod altérius; * Etenim. Glória. * Etenim. Rom. 15. 1. Cor. 10.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 13.*

IN illo témpore; Parábolam propósuit turbis Jesus, dicens : Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo : quod mínimum quidem est ómnibus semínibus; cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus, & fit arbor, ita ut vólucres cæli véniant, & hábitent in ramis ejus. Et réliqua.

Homília Sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 2. in Cap. 13. Matth.

NOn sit moléstum lectóri si totas parábolas propónimus. Quæ enim obscúra sunt, pléniùs differénda sunt : ne brevitáte nimiâ involvántur magis sensus, quàm exponántur. Regnum cælórum, prædicátio

Evangélii est, & notítia Scriptúrárum quæ ducit ad vitam.

℟. vij. Inclináte aurem vestram in verba oris mei. *Apériam in parábolis os meum, loquar propositiónes ab inítio. ℣. Locútus est Jesus in parábolis ad turbas, & sine parábolis non loquebátur eis, ut impleréтur quod scriptum erat per Prophétam dicéntem: *Apériam. *Ps. 77. Matth. 13.*

Lectio viij.

SImile est ergo hujuscémodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, à plerísque Salvátor intellígitur, quòd in ánimis credéntium séminet: ab áliis, ipse homo séminans in agro suo, hoc est in semetípso & in corde suo. Quis est iste qui séminat, nisi sensus noster & ánimus, qui suscípiens granum prædicatiónis, & fovens seméntem humóre fidei, facit in agro sui péctoris pulluláre? Prædicátio Evangélii míníma est ómnibus disciplínis. Ad primam quippe doctrínam fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Christum mórtuum, & scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus philosophórum & libris eórum, & splendóri eloquéntiæ, & compositióni sermónum: & vidébis quantò minor sit céteris semínibus seméntis Evangélii.

℟. viij. Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum: *Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus, hic est major in regno cælórum. ℣. Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod minus est ómnibus oléribus. *Quicúmque. *Matth. 18. & 13.*

Lectio ix.

SEd illa cùm créverit, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demónstrat: sed totum fláccidum, marcidúmque & mollítum ebúllit in ólera & in herbas, quæ citò aréscunt & córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credéntis vel in toto mundo sata fúerit, non exsúrgit in ólera, sed crescit in árborem: ita ut vólucres cœli (quas vel ánimas credéntium vel fortitúdines Dei servítio mancipátas sentíre debémus,) véniant, & hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evangélicæ árboris, quæ de grano sinápis créverit, dógmatum esse diversitátes, in quibus supradictárum vólucrum unaquæque requiéscit. Assumámus & nos pennas colúmbæ, ut volitántes ad altióra possímus habitáre in ramis hujus árboris, terrenáque fugiéntes ad cælé-

stia festináre.

℟. ix. Quid mihi. p. lxxvij.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Símile est regnum cælórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. *Matth.* 13.

Oratio.

PRæsta quæsumus, omnípotens Deus, ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita & dictis exsequámur & factis; Per.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. a. Hæc ómnia locútus est Jesus in parábolis ad turbas, & sine parábolis non loquebátur eis. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

De Sophónia Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 2. *v.* 8.

AUdívi oppróbriũ Moab, & blasphémias filiórum Ammon: quæ exprobravérunt pópulo meo, & magnificáti sunt super términos eórum. Proptéreà vivo ego, dicit Dóminus exercítuum, Deus Israël, quia Moab ut Sódoma erit, & filii Ammon quasi Gomórrha, síccitas spinárum, & acérvi salis, & desértum usque in ætérnum: relíquiæ pópuli mei dirípient eos, & resídui gentis meæ possidébunt illos. Hoc eis evéniet pro supérbia sua: quia blasphemavérunt, & magnificáti sunt super pópulum Dómini exercítuum. Horríbilis Dóminus super eos, & attenuábit omnes deos terræ: & adorábunt eum viri de loco suo, omnes ínsulæ Géntium. Sed & vos Æthíopes interfécti gládio meo éritis. Et exténdet manum suam super Aquilónem, & perdet Assur: & ponet speciósam in solitúdinem, & in ínvium, & quasi desértum. Et accubábunt in médio ejus greges, omnes béstiæ Géntium: & onocrótalus, & erícius in limínibus ejus morabúntur: vox cantántis in fenéstra, corvus in superlimінári, quóniam attenuábo robur ejus. Hæc est cívitas glorióśa hábitans in confidéntia: quæ dicébat in corde suo: ego sum, & extra me non est ália ámpliùs: quómodo facta est in desértum cubíle béstiæ? Omnis, qui transit per eam, sibilábit, & movébit manum suam.

℟. j. Relínquent gentes idóla sua, & vénient in Jerúsalem, & inhabitábunt in ea, * Et gaudébunt in ea omnes reges terræ adorántes Regem Israël. ℣. Attenuábit Dóminus omnes deos terræ, & adorábunt eum viri de loco suo, omnes ínsulæ géntium; * Et gaudébunt. *Tob.* 14. *Soph.* 2.

Lectio ij. *Cap.* 3.

VÆ provocátrix, & redémpta cívitas, colúmba. Non audívit vocem, & non

suscépit disciplínam: in Dómino non est confísa, ad Deum suum non appropinquávit. Príncipes ejus in médio ejus quási leónes rugiéntes: júdices ejus lupi vésperè, non relinquébant in manè. Prophétæ ejus vesáni, viri infidéles: sacerdótes ejus polluérunt sanctum, injústè egérunt contra legem. Dóminus justus in médio ejus non fáciet iniquitátem: manè manè judícium suum dabit in lucem; & non abscondétur: nescívit autem iníquus confusiónem.... Dixi: Attamen timébis me, suscípies disciplínam: & non períbit habitáculum ejus propter ómnia, in quibus visitávi eam: verúmtamen dilúculo surgéntes corrupérunt omnes cogitatiónes suas. Quaprópter exspécta me, dicit Dóminus, in die resurrectiónis meæ in futúrum, quia judícium meum ut cóngregem gentes, & cólligam regna: & effúndam super eos indignatiónem meam, omnem iram furóris mei: in igne enim zeli mei devorábitur omnis terra: quia tunc reddam pópulis lábium eléctum, ut ínvocent omnes in nómine Dómini, & sérviant ei húmero uno.

℟. ij. Congregábo omnes gentes, *Et visitábo super omnes iniquitátes vestras. ℣. Sedébo ut júdicem omnes gentes in circúitu, quia multiplicáta est malítia eórum, *Et. *Joël.* 3.

Lectio iij.

Ultra flúmina Æthiópiæ, inde súpplices mei, filii dispersórum meórum déferent munus mihi. In die illa non confundéris super cunctis adinventiónibus tuis, quibus prævaricáta es in me: quia tunc áuferã de médio tuî magníloquos supérbiæ tuæ, & non adjícies exaltári ámplius in monte sancto meo. Et derelínquam in médio tuî pópulum páuperem, & egénum: & sperábunt in nómine Dómini. Lauda fília Sion: júbila Israël; lætáre, & exsúlta in omni corde fília Jerúsalem. Abstulit Dóminus judícium tuum, avértit inimícos tuos; rex Israël Dóminus in médio tuî, non timébis malum ultrà. In die illa dicétur Jerúsalem: Noli timére: Sion, non dissolvántur manus tuæ. Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis, ipse salvábit: gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exsultábit super te in laude. Nugas, qui à lege recésserant, congregábo, quia ex te erant: ut non ultrà hábeas super eis oppróbrium. Ecce ego interfíciam omnes, qui afflixérunt te in témpore illo: & salvábo claudicántem: & eam, quæ ejécta fúerat, congregábo: & ponam eos in laudem,

& in nomen, in omni terra confusiónis eórum. In témpore illo, quo addúcam vos: & in témpore, quo congregábo vos: dabo enim vos in nomē, & in laudem ómnibus pópulis terræ, cùm convértero captivitátem vestram coram óculis vestris, dicit Dóminus.

℟. iij. In die illa. *pag.* 406.

FERIA TERTIA.

Incipit Malàchias Prophéta.

Lectio j. *Cap.* I.

ONus verbi Dómini ad Israël in manu Malàchiæ. Diléxi vos, dicit Dóminus; & dixístis: In quo dilexísti nos? Nonne frater erat Esaü Jacob, dicit Dóminus, & diléxi Jacob; Esaü autem ódio hábui? & pósui montes ejus in solitúdinem, & hereditátem ejus in dracónes desérti..... Et óculi vestri vidébunt, & vos dicétis: Magnificétur Dóminus super términum Israël. Fílius honórat patrem, & servus dóminum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dóminus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dóminus exercítuum. Ad vos, ô Sacerdótes, qui despícitis nomen meum, & dixístis: In quo despéximus nomen tuum? Offértis super altáre meum panem pollútum, & dícitis: In quo pollúimus te? In eo quod dícitis: Mensa Dómini despécta est. Si offerátis cœcū ad immolándum, nonne malum est? & si offerátis claudum & lánguidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placúerit ei, aut si suscéperit fáciem tuam, dicit Dóminus exercítuum. Et nunc deprecámini vultum Dei ut misereátur vestrî, (de manu enim vestra factum est hoc) si quo modo suscípiat fácies vestras, dicit Dóminus exercítuum.

℟. j. Sacerdótes. *p.* 429.

Lectio ij.

QUis est in vobis, qui claudat óstia, & incendat altáre meum gratúitò? non est mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum: & munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus, & in omni loco sacrificátur, & offértur nómini meo oblátio munda; quia magnum est nomen meum in géntibus, dicit Dóminus exercítuum. Et vos polluístis illud in eo quòd dícitis: Mensa Dómini contamináta est; & quod superpónitur, contemptíbile est, cum igne qui illud dévorat. Et dixístis: Ecce de labóre, & exsufflástis illud, dicit Dóminus exercítuum, & intulístis de rapínis claudum & lánguidum, & intulístis munus: numquid suscí-

piam illud de manu vestra, dicit Dóminus? Maledíctus dolósus, qui habet in grege suo másculum, & votum fáciens ímmolat débile Dómino; quia Rex magnus ego, dicit Dóminus exercítuum, & nomen meum horríbile in géntibus.

℟. ij. Laudábo nomen tuū assíduè, & collaudábo illud in confessióne, & exaudíta est orátio mea; * Proptéreà confitébor tibi, & benedícam nómini Dómini. ℣. Rex magnus ego, dicit Dóminus exercítuum, & nomen meum horríbile in géntibus. * Proptéreà. *Eccli.* 15. *Mal.* 1.

Lectio iij. *Cap.* 2.

ET nunc ad vos mandátum hoc, ô sacerdótes: Si nolueritis audíre, & si noluéritis pónere super cor ut detis glóriam nómini meo, ait Dóminus exercítuum; mittam in vos egestátem: & maledícam benedictiónibus vestris, & maledícam illis: quóniam non posuístis super cor. Ecce ego projíciam vobis bráchium, & dispérgam super vultum vestrum stercus solemnitátum vestrárum, & assúmet vos secum; & sciétis quia misi ad vos mandátum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dóminus exercítuum. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis; & dedi ei timórem, & tímuit me, & à fácie nóminis mei pavébat. Lex veritátis fuit in ore ejus, & iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace & in æquitáte ambulávit mecum, & multos avértit ab iniquitáte. Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus: quia ángelus Dómini exercítuum est, vos autem recessístis de via, & scandalizástis plúrimos in lege: írritum fecístis pactum Levi, dicit Dóminus exercítuū. Propter quod & ego dedi vos contemptíbiles, & húmiles ómnibus pópulis, sicut non servástis vias meas, & accepístis fáciem in lege. Numquid non pater unus ómnium nostrûm? Numquid non Deus unus creávit nos? Quare ergo déspicit unusquísque nostrûm fratrem suum, víolans pactum pátrum nostrórum?

℟. iij. Nolíte vocári rabbi; * Unus est enim magíster vester, omnes autem vos fratres estis. ℣. Numquid non pater unus ómnium nostrûm? Quare ergo déspicit unusquísque nostrûm fratrem suum? * Unus. Glória. * Unus. *Matth.* 23. *Mal.* 2.

FERIA QUARTA.

De Maláchia Prophéta.

Lectio j. *C.* 2. *v.* 16. *& C.* 3.

CUm ódio habúeris, dimítte, dicit Dóminus

Deus Israël: opériet autē iníquitas vestiméntum ejus: dicit Dóminus exercítuum: custodíte spíritum vestrum, & nolíte despícere. Laboráre fecístis Dóminum in sermónibus vestris, & dixístis: In quo eum fécimus laboráre? In eo quod dícitis: omnis qui facit malum, bonus est in conspéctu Dómini, & tales ei placent: aut certè ubi est Deus judícii? Ecce ego mitto Angelum meū, & præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum suum Dominátor, quem vos quæritis, & ángelus testaménti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dóminus exercítuum: & quis póterit cogitáre diem advéntûs ejus, & quis stabit ad vidéndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullónum: & sedébit conflans, & emúndans argéntum, & purgábit filios Levi, & colábit eos quasi aurum, & quasi argéntum, & erunt Dómino offeréntes sacrifícia in justítia. Et placébit Dómino sacrifícium Juda & Jerúsalem, sicut dies séculi, & sicut anni antíqui.

℟. j. Ex Sion spécies decóris ejus; Deus maniféstè véniet: *Congregáte illi sanctos ejus, qui órdinant testaméntum ejus. ℣. Ecce véniet ad templum suum Dominátor, quem vos quæritis; & Angelus testaménti, quem vos vultis; * Congregáte. *Ps. 49. Malach. 3.*

Lectio ij.

ET accédam ad vos in judício, & ero testis velox maléficis, & adúlteris, & perjúris, & qui calumniántur mercédem mercenárii, víduas, & pupíllos, & ópprimunt peregrínum, nec timuérunt me, dicit Dóminus exercítuū. Ego enim Dóminus, & non mutor: & vos filii Jacob non estis consúmpti. A diébus enim patrum vestrórum recessístis à legítimis meis, & non custodístis. Revertímini ad me, & revértar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. Et dixístis: In quo revertémur?... Inférte omnem décimam in hórreum, & sit cibus in domo mea, & probáte me super hoc, dicit Dóminus: si non aperúero vobis cataráctas cœli, & effúdero vobis benedictiónem usque ad abundántiam; & increpábo pro vobis devorántem, & non corrúmpet fructum terræ vestræ: nec erit stérilis vínea in agro, dicit Dóminus exercítuum. Et beátos vos dicent omnes gentes: éritis enim vos terra desiderábilis, dicit Dóminus exercítuum. Invaluérunt super me verba vestra: dicit Dóminus. Et dixístis: Quid locúti sumus contra te? Dixístis: Vanus est, qui ser-

vit Deo: & quod emoluméntum, quia custodívimus præcépta ejus, & quia ambulávimus tristes coram Dómino exercítuum? Ergo nunc beátos dícimus arrogántes, siquidem ædificáti sunt faciéntes impietátem, & tentavérunt Deum, & salvi facti sunt.

℟. ij. Mei penè moti sunt pedes, quia* Zelávi super iníquos, pacem peccatórum videns; verúmtamen propter dolos posuísti eis, in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges. ℣. Ergo nunc beátos dícimus arrogántes, siquidem ædificáti sunt faciéntes impietátem. * Zelávi. *Mal. 3.*

Lectio iij. C. 3. v. 17. & C. 4.

ET erunt mihi, ait Dóminus exercítuum, in die quâ ego fácio, in pecúlium: & parcam eis, sicut parcit vir fílio suo serviénti sibi. Et convertémini, & vidébitis quid sit inter justum, & ímpium: & inter serviéntem Deo, & non serviéntem ei. Ecce enim dies véniet succénsa quasi camínus: & erunt omnes supérbi, & omnes faciéntes impietátem stípula: & inflammábit eos dies véniens, dicit Dóminus exercítuum, quæ non derelínquet eis radícem, & germen. Et oriétur vobis timéntibus nomen meum Sol justítiæ, & sánitas in pennis ejus: & egrediémini, & saliétis sicut vítuli de arménto. Et calcábitis ímpios, cùm fúerint cinis sub planta pedum vestrórum in die quâ ego fácio, dicit Dóminus exercítuum. Mementóte legis Móysi servi mei, quam mandávi ei in Horeb ad omnem Israël præcépta, & judícia. Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam, ántequàm véniat dies Dómini magnus, & horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, & cor filiórum ad patres eórum: ne fortè véniam, & percútiam terram anathémate.

℟. iij. Magnus dies Dómini, & terríbilis valde: quis sustinébit eum? * Nunc ergo convertímini ad Dóminum Deum vestrum, quia benígnus & misériçors est. ℣. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequàm véniat dies Dómini magnus & horríbilis. * Nunc ergo. Glória. * Nunc ergo. *Joël. 2. Mal. 4.*

FERIA QUINTA.

Incipit Baruch Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

HÆc verba libri, quæ scripsit Baruch fílius Nériæ, fílii Maásiæ, fílii Sedéciæ, fílii Sédei, fílii Hélciæ in Babylónia. In anno quinto, in séptimo die mensis, in témpore quo cepérunt Chaldæi Jerúsalem, & succendérunt eam igni. Et legit Baruch verba libri hujus ad an-

res Jechóniæ fílii Jóakim regis Juda, & ad aures univérsi pópuli veniéntis ad librum, & ad aures poténtium filiórum regum, & ad aures presbyterórum, & ad aures pópuli, à mínimo usque ad máximum eórum ómnium habitántium in Babylónia, ad flumen Sodi. Qui audiéntes plorábant, & jejunábant, & orábant in conspéctu Dómini. Et collegérunt pecúniá secúndùm quod pótuit uniuscujúsque manus. Et misérunt in Jerúsalem ad Jóakim fílium Hélciæ fílii Salom Sacerdótem, & ad Sacerdótes, & ad omnem pópulum, qui invénti sunt cum eo in Jerúsalem: cùm accíperet vasa templi Dómini, quæ abláta fuérunt de templo, revocáre in Terram Juda décimâ die mensis Sivan, vasa argéntea, quæ fecit Sedécias fílius Jósiæ rex Juda.

℟. j. Flebat omnis pópulus cùm audíret verba Legis: * Sed nolíte contristári; gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra. ℣. Audiéntes plorábant, & jejunábant, & orábant in conspéctu Dómini: * Sed. 2. *Esdr.* 8. *Bar.* 1.

Lectio ij.

ET dixérunt: Ecce mísimus ad vos pecúnias, de quibus émite holocautómata, & thus, & fácite manna, & offérte pro peccáto ad aram Dómini Dei nostri: & oráte pro vita Nabuchodónosor regis Babylónis, & pro vita Balthássar fílii ejus, ut sint dies eórum sicut dies cæli super terram: & ut det Dóminus virtútem nobis, & illúminet óculos nostros ut vivámus sub umbra Nabuchodónosor regis Babylónis, & sub umbra Balthássar fílii ejus, & serviámus eis multis diébus, & inveniámus grátiam in conspéctu eórum. Et pro nobisípsis oráte ad Dóminum Deum nostrum: quia peccávimus Dómino Deo nostro, & non est avérsus furor ejus à nobis usque in hunc diem. Et légite librum istum, quem mísimus ad vos recitári in templo Dómini, in die solémni, & in die opportúno; & dicétis: Dómino Deo nostro justítia, nobis autem confúsio faciéi nostræ: sicut est dies hæc omni Juda, & habitántibus in Jerúsalem.... Peccávimus ante Dóminum Deum nostrum, & non credídimus, diffidéntes in eum: & non fúimus subjectíbiles illi, & non audívimus vocem Dómini Dei nostri ut ambularémus in mandátis ejus, quæ dedit nobis. A die quâ edúxit patres nostros de terra Ægypti usque ad diem hanc, erámus incredíbiles ad Dóminum Deum nostrum: & dissipáti recéssimus, ne audirémus vocem ipsíus.

℟. ij. Peccávimus, iniquitátem fécimus, non obedívimus servis tuis Prophétis: * Tibi Dómine justítia, nobis autem confúsio faciéi. ℣. Peccávimus ante Dóminum Deum nostrum, & non audívimus vocem Dómini Dei nostri, ut ambularémus in mandátis ejus, quæ dedit nobis: * Tibi.

Dan. 9. Bar. 1.

Lectio iij. Cap. 2.

PRopter quod státuit Dóminus Deus noster verbum suum, quod locútus est ad nos, & ad júdices nostros, qui judicavérunt Israël, & ad reges nostros, & ad príncipes nostros, & ad omnem Israël, & Juda; ut addúceret Dóminus super nos mala magna quæ non sunt facta sub cælo, quemádmodum facta sunt in Jerúsalem, secúndùm quæ scripta sunt in lege Móysi; ut manducáret homo carnes filii sui, & carnes fíliæ suæ. Et dedit eos sub manu regum ómnium, qui sunt in circúitu nostro in impropérium, & in desolatiónem in ómnibus pópulis, in quibus nos dispérsit Dóminus. Et facti sumus subtus, & non suprà: quia peccávimus Dómino Deo nostro, non obaudiéndo voci ipsíus. Dómino Deo nostro justítia; nobis autem & pátribus nostris confúsio faciéi, sicut est dies hæc: quia locútus est Dóminus super nos ómnia mala hæc, quæ venérunt super nos; & non sumus deprecáti fáciem Dómini Dei nostri, ut reverterémur unusquísque nostrûm à viis nostris péssimis. Et vigilávit Dóminus in malis, & addúxit ea super nos: quia justus est Dóminus in ómnibus opéribus suis, quæ mandávit nobis: & non audívimus vocem ipsíus, ut irémus in præcéptis Dómini, quæ dedit ante fáciem nostram.

℟. iij. Omne malum hoc venit super nos, & non rogávimus fáciem tuam Dómine Deus noster, * Ut reverterémur ab iniquitátibus nostris, & cogitarémus veritátem tuam. ℣. Vigilávit Dóminus in malis, & addúxit ea super nos, quia justus est in ómnibus opéribus suis, & non audívimus vocem ipsíus, * Ut. Glória. * Ut. *Dan. 9. Bar. 2.*

FERIA SEXTA.

De Baruch Prophéta.

Lectio j. Cap. 2. v. 11.

ET nunc Dómine Deus Israël, qui eduxísti pópulum tuum de Terra Ægypti in manu válida, & in signis, & in prodígiis, & in virtúte tua magna, & in bráchio excélso, & fecísti tibi nomen sicut est dies iste: peccávimus, ímpiè égimus, iníquè géssimus, Dómine Deus noster, in ómnibus justítiis

tuis. Avertátur ira tua à nobis: quia derelícti sumus pauci inter Gentes, ubi dispersísti nos.... Réspice Dómine de domo sancta tua in nos, & inclína aurem tuam, & exaúdi nos. Aperi óculos tuos, & vide: quia non mórtui qui sunt in inférno, quorum spíritus accéptus est à viscéribus suis, dabunt honórem & justificatiónem Dómino: sed ánima, quæ tristis est super magnitúdine mali, & incédit curva, & infírma, & óculi deficiéntes, & ánima esúriens dat tibi glóriam & justítiam Dómino: quia non secúndum justítias patrum nostrórum nos fúndimus preces, & pétimus misericórdiam ante conspéctum tuum Dómine Deus noster: sed quia misísti iram tuam & furórem tuum super nos, sicut locútus es in manu puerórum tuórum prophetárum, dicens; sic dicit Dóminus: Inclináte húmerum vestrum, & cervícem vestram, & ópera fácite regi Babylónis: & sedébitis in terra, quam dedi pátribus vestris.

℟. j. Aures suas aggravavérunt, & cor suum posuérunt ut adamántem, ne audírent legem, & factum est sicut locútus est Dóminus, & non audiérunt; * Clamábunt, & non exaúdiam, dicit Dóminus. ℣. Sic dicit Dóminus: Inclináte húmerum vestrum & cervícem vestram, & ópera fácite Regi Babylónis. * Clamábunt. *Zach.* 7. *Bar.* 2.

Lectio ij.

ET aúferam à vobis vocem jucunditátis, & vocem gaúdii, & vocem sponsi, & vocem sponsæ, & erit omnis terra sine vestígio ab inhabitántibus eam.... Et ecce projécta sunt in calóre solis, & in gelu noctis: & mórtui sunt in dolóribus péssimis, in fame, & in gládio, & in emissióne. Et posuísti templum, in quo invocátum est nomen tuum in ipso, sicut hæc dies, propter iniquitátem domûs Israël, & domûs Juda. Et fecísti in nobis Dómine Deus noster secúndùm omnem bonitátem tuam, & secúndùm omnem miseratiónem tuam illam magnam: sicut locútus es in manu púeri tui Móysi in die, quâ præcepísti ei scríbere legem tuam coram fíliis Israël, dicens: Si non audiéritis vocem meam, multitúdo hæc magna convertétur in mínimam inter Gentes, quò ego eos dispérgam: quia scio quòd me non aúdiet pópulus. Pópulus est enim durâ cervíce: & convertétur ad cor suum in terra captivitátis suæ: & scient quia ego sum Dóminus Deus eórum; & dabo eis cor, & intélligent; aures, & aúdient. Et laudábunt

me in terra captivitátis suæ, & mémores erunt nóminis mei.

℟. ij. In monte Sion, * Et in Jerúsalem erit salvátio, & in resíduis quos Dóminus vocáverit. ℣. Laudábunt me in terra captivitátis suæ, & mémores erunt nóminis mei; * Et in. *Joël 2. Bar. 2.*

Lectio iij. Cap. 3.

Et nunc Dómine omnípotens, Deus Israël, ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te: audi Dómine, & miserére, quia Deus es miséricors, & miserére nostri: quia peccávimus ante te. Quia tu sedes in sempitérnum, & nos períbimus in ævum? Dómine omnípotens, Deus Israël, audi nunc oratiónem mortuórum Israël, & filiórum ipsórum, qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei sui, & agglutináta sunt nobis mala. Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum; sed meménto manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto: quia tu es Dóminus Deus noster, & laudábimus te, Dómine... Et ecce nos in captivitáte nostra sumus hódie, quâ nos dispersísti in impropérium, & in maledíctum, & in peccátum, secúndùm omnes iniquitátes patrum nostrórum qui recessérunt à te, Dómine Deus noster. Audi Israël mandátá vitæ: áuribus pércipe, ut scias prudéntiam. Quid est Israël quòd in terra inimicórum es? Inveterásti in terra aliéna, coïnquinátus es cum mórtuis: deputátus es cum descendéntibus in inférnum. Dereliquísti fontem sapiéntiæ: nam si in via Dei ambulásses, habitásses útique in pace sempitérna. Disce ubi sit prudéntia, ubi sit virtus, ubi sit intelléctus: ut scias simul ubi sit longitúrnitas vitæ & victûs, ubi sit lumen oculórum, & pax.

℟. iij. Omne datum óptimum, & * Omne donum perféctum desúrsum est, descéndens à Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. ℣. Disce ubi sit prudéntia, ubi sit virtus, ubi sit intelléctus. * Omne. Glória. * Omne. *Jac. 1. Bar. 3.*

SABBATO.

De Baruch Prophéta.

Lectio j. Cap. 4.

Hic liber mandatórum Dei, & lex, quæ est in ætérnum: omnes, qui tenent eam, pervénient ad vitam: qui autem dereliquérunt eam, in mortem. Convértere Jacob, & apprehénde eam, ámbula per viam ad splendórem ejus contra lumen ejus. Ne tradas álteri glóriam tuam, & dignitátem tuam genti aliénæ. Beáti sumus Is-

raël: quia quæ Deo placent, manifésta sunt nobis. Animæquior esto pópulus Dei, memorábilis Israël. Venúmdati estis Géntibus non in perditiónem: sed propter quòd in ira ad iracúndiam provocástis Deum, tráditi estis adversáriis. Exacerbástis enim eum, qui fecit vos, Deum ætérnum immolántes dæmóniis, & non Deo. Oblíti enim estis Deum, qui nutrívit vos, & contristástis nutrícem vestram Jerúsalem. Vidit enim iracúndiam à Deo veniéntem vobis, & dixit: Audíte confínes Sion, addúxit enim mihi Deus luctum magnum: vidi enim captivitátem pópuli mei, filiórum meórum, & filiárum, quam superdúxit illis ætérnus. Nutrívi enim illos cum jucunditáte: dimísi autem illos cum fletu & luctu.

℟. *j.* Si írritum potest fieri pactum meum, semen Jacob & David servi mei projíciam, ut non assúmã de sémine ejus príncipes séminis Abraham, Isaac & Jacob: * Redúcam enim conversiónem eórum, & miserébor eis. ℣. Nutrívi enim illos cum jucunditáte, dimísi autem illos; * Redúcam

Jer. 33. Bar. 4.

Lectio ij. *Cap. 6.*

EXémplar epístolæ, quam misit Jeremías ad abducéndos captívos in Babylóniam à rege Babyloniórum, ut annuntiáret illis secúndùm quod præcéptũ est illi à Deo. Propter peccáta, quæ peccástis ante Deum, abducémini in Babylóniam captívi à Nabuchodónosor rege Babyloniórum. Ingréssi ítaque in Babylónem, éritis ibi annis plúrimis, & tempóribus longis, usque ad generatiónes septem: post hoc autem edúcam vos inde cum pace. Nunc autem vidébitis in Babylónia deos aúreos, & argénteos, & lapídeos, & lígneos in húmeris portári, osténtántes metum Géntibus. Vidéte ergo ne & vos símiles efficiámini factis aliénis, & metuátis, & metus vos cápiat in ipsis. Visâ ítaque turbâ, de retro & ab ante adorántes, dícite in córdibus vestris: Te opórtet adorári, Dómine. Angelus enim meus vobíscum est: ipse autem exquíram ánimas vestras. Nam lingua ipsórum políta à fabro, ipsa étiam inauráta, & inargentáta falsa sunt, & non possunt loqui. Et sicut vírgini amánti ornaménta: ita accépto auro fabricáti sunt. Corónas certè aúreas habẽt super cápita sua dii illórum: undè súbtrahunt sacerdótes ab eis aurum, & argéntum, & érogant illud in semetípsos.

℟. *ij.* Sacerdótes. *p. 429.*

Lectio iij.

ITaque mélius est esse regem ostentántem virtútem suam; aut vas in domo útile, in quo gloriátur qui póssidet illud; vel óstium in domo, quod custódit quæ in ipsa sunt, quàm falsi dii. Sol quidem & luna, ac sídera, cùm sint spléndida, & emíssa ad utilitátes, obaúdiunt. Símiliter & fulgur cùm apparúerit, perspícuum est; idípsum autem & spíritus in omni regióne spirat, & nubes, quibus cùm imperátum fúerit à Deo perambuláre univérsum orbem, perfíciunt quod imperátum est eis. Ignis étiam missus désuper ut consúmat montes & silvas; facit quod præcéptum est ei. Hæc autem neque speciébus, neque virtútibus uni eórum simília sunt. Unde neque existimándum est, neque dicéndum illos esse deos, quando non possunt neque judícium cogitáre, neque quidquam fácere homínibus. Sciéntes ítaque quia non sunt dii, ne ergo timuéritis eos: neque enim régibus maledícent, neque benedícent. Signa étiam in cœlo géntibus non osténdunt, neque ut sol lucébunt, neque illuminábunt ut luna; béstiæ melióres sunt illis, quæ possunt fúgere sub tectum, ac prodésse sibi. Nullo ítaque modo nobis est manifestum quia sunt dii: propter quod ne timeátis eos: nam sicut in cucumerário formído nihil custódit; ita sunt dii illórum lígnei, & argéntei, & inauráti.

℟. *iij.* Réquies sábbati. 146.

SABBATO

ANTE SEPTUAGESIMAM

Fit Duplex

AD VESPERAS,

Omnia ut in Psalterio.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *a.* Cùm seró factum esset, dicit dóminus víneæ procuratóri suo: Voca operários, & redde illis mercédem. *Matth.* 20.

Oratio, Preces pópuli. *infrà.*

¶ *A Dominica in Septuagesima fiet tantùm Commemoratio de Festis Simplicibus in I. Vesperis, Noct. & Laud. Matut. Lectio ultima erit de Festo cum suo* ℟. *Cetera de Feria.*

DOMINICA

IN SEPTUAGESIMA

Duplex.

IN I. NOCT.

Incipit Liber Génesis.

Lectio ij. Cap. 1. *&* 2.

IN princípio creávit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inánis & vácua, & ténebræ erant super fáciem abyssi; & Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixítque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona: & divísit lucem à ténebris, appellavítque

lucem Diem, & ténebras Noctem: factúmque est vésperè & manè dies unus. Dixit quoque Deus: Fiat firmaméntum in médio aquárum; & dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum, divisítque aquas quæ erant sub firmaménto, ab his quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavítque Deus firmaméntum, Cœlum: & factum est vésperè & manè dies secúndus. Dixit verò Deus: Congregéntur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum; & appáreat árida. Et factum est ita. Et vocávit Deus áridam, terram; congregationésque aquárum appellávit mária. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et ait: Gérminet terra herbam viréntem & faciéntem semen, & lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetípso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam viréntem, & faciéntem semen juxta genus suum, & habens unumquódque seméntem secúndùm spéciem suam: Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est vésperè & manè dies tértius.

℟. j. Iste dies. p. 4.

Lectio ij.

Dixit autem Deus: Fiant luminária in firmaménto cæli, & dívidant diem ac noctem, & sint in signa & témpora, dies & annos; ut lúceant in firmaménto cœli, & illúminent terram. Et factum est ita. Fecítque Deus duo luminária magna: luminâre majus, ut præésset diéi: & luminâre minus, ut præésset nocti: & stellas. Et pósuit eas in firmaménto cœli, ut lucérent super terram, & præéssent diéi ac nocti, & divíderent lucem & ténebras. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est vésperè & manè dies quartus. Dixit étiam Deus: Prodúcant aquæ réptile ánimæ vivéntis, & volátile super terram sub firmaménto cœli. Creavítque Deus cete grándia, & omnem ánimam vivéntem atque motábilem, quam prodúxerant aquæ in spécies suas, & omne volátile secúndùm genus suum. Et vidit Deus quòd esset bonum. Benedixítque eis dicens: Créscite, & multiplicámini, & repléte aquas maris; avésque multiplicéntur super terram. Et factum est vésperè & manè dies quintus. Dixit quoque Deus: Prodúcat terra ánimam vivéntem in génere suo, juménta, & reptília, & béstias terræ secúndùm spécies suas. Factúmque est ita. Et fecit Deus béstias terræ juxta spécies suas, & juménta, & om-

ne réptile terræ in génere suo. Et vidit Deus quòd esset bonum.

℟. ij. Pascha nostrum. *sine Gloria Patri. suprà p. 4.*

Lectio ij. v. 26. & Cap. 2.

ET ait Deus: Faciámus hóminem ad imáginem & similitúdinem nostram: & præsit píscibus maris, & volatílibus cœli, & béstiis, universæque terræ, omníque réptili quod movétur in terra. Et creávit Deus hóminē ad imáginem suam: ad imáginem Dei creávit illum: másculum & féminam creávit eos. Benedixítque illis Deus, & ait: Créscite, & multiplicámini, & repléte terram, & subjícite eam, & dominámini píscibus maris, & volatílibus cœli, & univérsis animántibus quæ movéntur super terram. Dixítque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram, & univérsa ligna quæ habent in semetípsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam; & cunctis animántibus terræ, omníque vólucri cœli, & univérsis quæ movéntur in terra, & in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum. Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat: & erant valde bona. Et factum est véspere & mane dies sextus. Igitur perfécti sunt cœli & terra, & omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum quod fécerat: & requiévit die séptimo ab univérso ópere quod patrárat. Et benedíxit diéi séptimo; & sanctificávit illū: quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo quod creávit Deus ut fáceret.

℟. iij. Dies sanctificátus est. *suprà pag. 4. cum* Glória Patri.

In II. Noct.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. Cap. 9.

NOn sum liber? Non sum Apóstolus? Nonne Christum Jesum Dóminum nostrum vidi? Nonne opus meū vos estis in Dómino? Et si áliis non sum Apóstolus, sed tamen vobis sum: nam signáculum Apostolátûs mei vos estis in Dómino. Mea defénsio apud eos, qui me intérrogant, hæc est: Numquid non habémus potestátem manducándi & bibéndi? Numquid non habémus potestátem mulíerem sorórem circumducéndi, sicut & céteri Apóstoli, & fratres Dómini, & Cephas? Aut ego solus & Bárnabas non habémus potestátem hoc operándi? Quis mílitat suis stipéndiis unquam? Quis plantat víneam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit

gregem, & de lacte gregis non mandúcat? Numquid secúndùm hóminem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Móysi, Non alligábis os bovi trituránti. Numquid de bobus cura est Deo?

℟. iv. Is qui catechizátur verbo, commúnicet in ómnibus bonis ei qui se catechízat: * Dignus est enim operárius cibo suo. ℣. Qui altári desérviunt, cum altári partícipant; * Dignus. *Gal.* 6. *Matth.* 10. 1. *Cor.* 9.

Lectio v.

SI nos vobis spirituália seminávimus, magnum est si nos carnália vestra metámus? Nescítis quóniam qui in sacrário operántur, quæ de sacrário sunt, edunt: & qui altári desérviunt, cum altári partícipant? Ita & Dóminus ordinávit iis, qui Evangélium annúntiant, de Evangélio vívere Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm ut glóriam meam quis evácuet. Nam si evangelizávero, non est mihi glória: necéssitas enim mihi incúmbit: væ enim mihi est, si non evangelizávero. Si enim volens hoc ago, mercédem hábeo: si autem invítus, dispensátio mihi crédita est.

℟. v. Créditum est mihi Evangélium glóriæ beáti Dei, in quo & labóro certándo * Secúndùm operatiónem ejus, quam operátur in me in virtúte. ℣. Si volens hoc ago, mercédem hábeo: si autem invítus dispensátio mihi crédita est, * Secúndùm 1. *Tim.* 1. *Coloss.* 1. 1. *Cor.* 9.

Lectio iij.

QUæ est ergo merces mea? Ut Evangélium prædicans sine sumptu ponam Evangélium, ut non abútar potestáte meâ in Evangélio. Nam cùm liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucrifácerem. Et factus sum Judæis tamquã Judæus, ut Judæos lucrárer. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifácerẽ. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. Omnia autem fácio propter Evangélium: ut párticeps ejus effíciar. Nescítis quòd ii, qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite ut comprehendátis. Omnis autem, qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet, & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant: nos autem incorrúptam. Ego ígitur sic curro, non quasi in incértum: sic pugno, non quasi áërem vérberans. Sed castígo corpus

meum, & in servitútem rédigo: ne fortè cùm áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar.

℟. vj. Omnia detriméntum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, ad cognoscéndum illum, & virtútem resurrectiónis ejus, & societátem passiónum illíus * Configurátus morti ejus. ℣. Castígo corpus meum, & in servitútem rédigo, * Configurátus. Glória. * Configurátus. *Philip.* 3. 1. *Cor.* 9.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 20.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum hómini patri-famílias qui éxiit primo manè cõdúcere operários in víneam suam. Conventióne autem factâ cum operáriis ex denário diúrno, misit eos in víneam suam. Et egréssus circa horam tértiam, vidit álios stantes in foro otiósos, & dixit illis: Ite & vos in víneam meam, & quod justum fúerit dabo vobis. Illi autem abiérunt. Iterùm autem éxiit circa sextam & nonam horam: & fecit simíliter. Circa undécimam verò éxiit, & invénit álios stantes, & dicit illis: Quid hîc statis totâ die otiósi: Dicunt ei: Quia nemo nos condúxit. Dicit illis: Ite & vos in víneam meam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ser. 87. de verb. Ev. Matth. 20. edit. Bened.

INtelligúntur primâ horâ vocáti Abel & ipsíus séculi Justi, tértiâ Abraham & ipsíus séculi Justi; sextâ Móyses & Aáron & ipsíus séculi Justi; nonâ Prophétæ & ipsíus séculi Justi; undécimâ tamquam in fine séculi, Christiáni omnes.

℟. vij. Vocávit nos vocatióne suâ sanctâ, non secúndùm ópera nostra, Sed.* Secúndum propósitum suum & grátiam quæ data est nobis in Christo Jesu. ℣. Símile est regnum cœlórum hómini patri-famílias qui éxiit primò manè condúcere operários in víneam suam, * Secúndùm. 2. *Tim.* 1. *Matth.* 20.

Lectio viij.

ATténdite & intellígite fratres mei; ne ídeo quisque dífferat veníre ad víneam, quia secúrus est, quóniam quandocúmque vénerit ipsum denárium acceptúrus est. Numquid enim & illi qui sunt ad víneam condúcti horâ tértiâ, sextâ, aut nonâ dixérunt, non imus nisi undécimâ? ómnibus enim tantúmdem datúrus est; quare nos

ampliùs fatigámus? Quid ille datúrus sit, & quid factúrus sit, penes ipsum consilium est: tu quando vocáris, veni. Merces enim cunctis æquális promíttitur; sed de ipsa hora operándi magna quæstio est. Si enim illi, verbi grátiâ, qui vocáti sunt horâ sextâ, in hac ætáte córporis constitúti, ubi juveníles anni fervent, sicut ipsa hora sexta fervet; si dícerent illi júvenes vocáti: Exspécta, audívimus enim in Evangélio quia omnes unam mercédem acceptúri sunt; cùm senes facti fuérimus, hórâ undécimâ veniémus tantúmdem acceptúri, quare ámpliùs laboratúri? Responderétur eis, & diceretur: Laboráre non vis, qui utrùm vivas usque ad senéctam, nescis? Sextâ horâ vocáris, veni. Pater-famílias tibi quidem étiã undécimâ veniénti denárium promísit: sed utrùm vivas usque ad séptimam, nemo tibi promísit. Quare ergo differs vocántem te, certus de mercéde, incértus de die? Vide ne fortè quod tibi ille datúrus est promittendo, tu tibi aúferas differéndo.

℟. viij. Non tardes convérti ad Dóminum, & ne dísferas de die in diem:* Súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ dispérdet te. ℣. Misericórdia enim & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réspicit ira illíus.* Súbitò. *Eccli.* 5.

Lectio ix. n. 4

QUi primâ horâ vénerant, vidéntes illos accepísse denárium, quem cùm ipsis placúerat, speravérunt se plus áliquid acceptúros: ventum est & ad ipsos, & accepérunt denárium. Murmuravérunt advérsùs patrem famíliâs, dicéntes: Ecce nos qui sustinúimus ardórem diéi & æstum, æquásti & pares fecísti illis qui unã horam operáti sunt in vínea. Et ait paterfamíliâs, justíssimum respónsum reddens uni eórum: Sodális, non tibi feci injúriam; hoc est non te fraudávi, quod plácuit réddidi tibi: fraudem tibi non feci, quia quod pactus sum réddidi. Huic non volo réddere, sed donáre. Non licet mihi fácere quod volo de meo? An óculus tuus nequam est, quia ego bonus sum. Si alicúi tóllerem, rectè reprehénderer, quasi fraudátor & injústus: si alicúi non rédderem débitum, rectè reprehénderer, quasi fraudátor & negátor alieni; cùm verò débitum reddo, & cúi volo étiam dono; nec cúi debébam me potest reprehéndere; & cúi donávi, debet ámpliùs gaudére.

℟. ix. Labóres hóminum

animadvérti patére invídiæ próximi : * Vir qui áliis invidet, egéstas supervéniet ei. ℣. Non efficiámur ínvicem invidéntes ;* Vir. Glória. *Vir. *Eccl. 4. Prov. 28. Galat. 5.*

Te Deum.

Deinceps non dicetur Te Deum usque ad Pascha, nisi in Festis.

Ad Laudes Matutinas,

℣. *Sacerd.* Convertímini ad Dóminum Deum vestrum ; ℟. Quia benígnus & miséricors est. *Joel. 2. Nisi incidat ante Purificationem. Et sic in sequentibus Dominicis.*

Deus in adjutórium *&c.*

℣. Glória Patri *&c.* Allelúia.

Añæ & Psalmi, Hymnus & ℣. ut in Psalterio.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Convértam festivitátes vestras in luctum, & ómnia cántica vestra in planctum. *Amos.* 8.

Oratio.

PReces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exaúdi ; ut qui justè pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur; Per Dóminũ.

Deinde Commemoratio si qua occurrat, ut habetur suo loco.

Et post ultimam Orationem, ℣. Benedicámus Dómino ; allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias ; allelúia, allelúia.

Et deinceps usque ad Sabbatum sanctum non dicitur Alleluia ; sed ejus loco in principio cujuslibet Officii post Deus in adjutórium, *&* ℣. Sicut erat *&c. dicitur,* Laus tibi, Dómine Rex ætérnæ glóriæ:

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Sic erunt novíssimi, primi ; & primi, novíssimi : multi enim sunt vocáti, pauci verò elécti. *Matth.* 20.

In Feriis *post Dñicam Septuagesimæ, omnia ut in Psalter.*

FERIA SECUNDA.

De Libro Genesis.

Lectio j. *Cap.* 2.

ISTæ sunt generatiónes cœli & terræ, quando creáta sunt, in die quo fecit Dóminus Deus cœlum & terram: & omne virgúltum agri ántequàm oriréiur in terra, omnémque herbam regiónis, priúsquàm germináret ; non enim plúerat Dóminus Deus super terram ; & homo non erat qui operarétur terram : sed fons ascendébat è terra, írrigans universam superfíciem terræ. Formávit igitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, & inspirávit in fáciem ejus spiráculum vitæ, & factus est homo in ánimam vivéntem. Plantáverat autem Dóminus Deus Paradísum voluptátis à princípio ; in quo pósuit hóminem quem formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulcrum visu, & ad vescén-

dum suáve: lignum étiam vitæ in médio paradísi, lignúmque sciéntiæ boni & mali. Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis ad irrigándum paradísum, qui inde divíditur in quátuor cápita. Nomen uni Phison: ipse est qui círcuit omnem terram Hévilat, ubi náscitur aurum: & aurum terræ illíus óptimum est: ibi invenítur bdéllium, & lapis onychinus. Et nomen flúvii secúndi Gehon; ipse est qui círcuit omnem terram Æthiópiæ. Nomen verò flúminis tértii, Tigris: ipse vadit contra Assýrios. Flúvius autem quartus ipse est Euphrátes.

℟. *j.* Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * Tui enim sunt cœli, & tua est terra; orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti. ℣. Dii qui cœlos & terram non fecérunt, péreant de terra, & de his quæ sub cœlo sunt. * Tui. *Ps.* 88: *Jer.* 10.

Lectio ij.

TUlit ergo Dóminus Deus hóminem, & pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operarétur & custodíret illum. Præcepítque ei dicens: Ex omni ligno paradísi cómede: de ligno autem sciéntiæ boni & mali ne cómedas; in quocúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris. Dixit quoque Dóminus Deus: Non est bonum esse hóminem solum; faciámus ei adjutórium símile sibi. Formátis ígitur, Dóminus Deus, de humo cunctis animántibus terræ, & univérsis volatílibus cœli, addúxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea: omne enim quod vocávit Adam ánimæ vivéntis, ipsum est nomen ejus. Appellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia, & univérsa volatília cœli, & omnes béstias terræ: Adæ verò non inveniebátur adjútor símilis ejus. Immísit ergo Dóminus Deus sopórem in Adam: cúmque obdormísset, tulit unam de costis ejus, & replévit carnem pro ea. Et ædificávit Dóminus Deus costam quam túlerat de Adam, in mulíerem: & addúxit eam ad Adam. Dixítque Adam: Hoc nunc os ex óssibus meis, & caro de carne mea: hæc vocábitur Virágo, quóniam de viro sumpta est. Quamóbrem relínquet homo patrem suum & matrem, & adhærébit uxóri suæ: & erunt duo in carne una. Erat autem utérque nudus, Adam scílicet & uxor ejus, & non erubescébant.

℟. *ij.* Vir imágo & glória Dei est; múlier autem glória viri est: * Non enim vir ex mulíere, sed múlier ex viro. ℣. Hæc vocábitur virágo, quóniam de viro sumpta est.

*Non enim. 1. Cor. 11. Gen. 2.

Lectio iij. *Cap. 3.*

SEd & serpens erat callídior cunctis animántibus terræ, quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem: Cur præcépit vobis Deus ut non comederétis de omni ligno paradísi? Cúi respóndit múlier: De fructu lignórum, quæ sunt in paradíso, véscimur: de fructu verò ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus ne comederémus, & ne tangerémus illud, ne fortè moriámur. Dixit autem serpens ad mulíerem: Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus quòd in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri: & éritis sicut dii, sciéntes bonum & malum. Vidit ígitur múlier quòd bonum esset lignum ad vescéndum, & pulcrum óculis, aspectúque delectábile: & tulit de fructu illíus, & comédit, dedítque viro suo, qui comédit. Et apérti sunt óculi ambórum, cúmque cognovíssent se esse nudos, consuérunt fólia ficûs, & fecérunt sibi perizómata. Et cùm audíssent vocem Dómini Dei deambulántis in paradíso ad auram post merídiem, abscóndit se Adam & uxor ejus à fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi. Vocavítque Dóminus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíso, & tímui, eò quòd nudus essem, & abscóndi me. Cúi dixit: Quis enim indicávit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti? Dixítque Adam: Múlier, quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, & comédi.

℟. iij. A mulíere inítium factum est peccáti, * Et per illam †Omnes mórimur. ℣. Adam non est sedúctus; múlier autem sedúcta in prævaricatióne fuit; * Et. Glória. †Omnes. Eccli. 25. 1. Tim. 2.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Omnis qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet; & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorrúptam. 1. Cor. 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Cùm veníssent qui circa undécimam horam vénerant, accepérunt síngulos denários. Matth. 20.

FERIA TERTIA.

De Libro Génesis.

Lectio j. *Cap. 3. v. 13.*

ET dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc fecísti? Quæ respóndit: Serpens decépit me, & comédi. Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia,

animántia & béstias terræ : super pectus tuum gradiéris, & terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias pónam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, & tu insidiáberis calcáneo ejus. Mulíeri quoque dixit : Multiplicábo ærúmnas tuas, & concéptus tuos : in dolóre páries fílios, & sub viri potestáte eris, & ipse dominábitur tuî. Adæ verò dixit : Quia audísti vocem uxóris tuæ, & comedísti de ligno, ex quo præcéperam tibi ne coméderes, maledícta terra in ópere tuo : in labóribus cómedes ex ea cunctis diébus vitæ tuæ. Spinas & tríbulos germinábit tibi ; & cómedes herbam terræ. In sudóre vultûs tui vescéris pane, donec revertáris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, & in púlverem revertéris. Et vocávit Adam nomen uxóris suæ, Eva, eò quòd mater esset cunctórum viventium. Fecit quoque Dóminus Deus Adæ & uxóri ejus túnicas pellíceas, & índuit eos : Et ait : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, & sumat étiam de ligno vitæ, & cómedat, & vivat in ætérnum. Et emísit eum Dóminus Deus de paradíso voluptátis, ut operarétur terram, de qua sumptus est. Ejecítque Adam : & collocávit ante paradísum voluptátis Chérubim, & flámmeum gládium atque versátilem, ad custodiéndam viam ligni vitæ.

℟. j. Deus creávit hóminẽ inexterminábilem, & ad imáginem similitúdinis suæ fecit illum : invídiâ autem diáboli mors *Introívit in orbem terrárum. ℣. Per unum hóminem peccátum, & per peccatũ mors *Introívit. *Sap. 2. Rom. 5.*

Lectio ij. Cap. 4.

Adam verò cognóvit uxórem suam Evam : quæ concépit & péperit Caïn, dicens : Possédi hóminem per Deum. Rursúmque péperit fratrem Abel. Fuit autem Abel pastor óvium, & Caïn agrícola. Factum est autem post multos dies ut offérret Caïn de frúctibus terræ múnera Dómino. Abel quoque óbtulit de primogénitis gregis sui, & de adípibus eórum : & respéxit Dóminus ad Abel, & ad múnera ejus. Ad Caïn verò, & & ad múnera illíus non respéxit : iratúsque est Caïn veheménter & cóncidit vultus ejus. Dixítque Dóminus ad eum : Quare irátus es ? Et cur cóncidit fácies tua ? Nonne si benè égeris, recípies : sin autem malè, statim in fóribus peccátum áderit ? sed sub te erit

appetítus ejus, & tu domináberis illíus. Dixítque Caïn ad Abel fratrem suum: Egrediámur foras. Cúmque essent in agro, consurréxit Caïn advérsùs fratrem suum Abel, & interfécit eum. Et ait Dóminus ad Caïn: Ubi est Abel frater tuus? Qui respóndit: Néscio: Num custos fratris mei sum ego? Dixítque ad eum: Quid fecísti? Vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ígitur maledíctus eris super terram, quæ apéruit os suum, & suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. Cùm operátus fúeris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & prófugus eris super terram. Dixítque Caïn ad Dóminum: Major est iníquitas mea, quàm ut véniam mérear.

℟. ij Caïn ex malígno erat, occídit fratrem suum: & propter quid occídit eum? * Quóniam ópera ejus malígna erãt, fratris autem ejus justa. ℣. Respéxit Dóminus ad Abel & ad múnera ejus; ad Caïn verò & ad múnera illíus non respéxit; * Quóniam. 1. *Joan.* 3. *Gen.* 4.

Lectio iij. Cap. 6. & C. 7. v. 1.

Cumque cœpíssent hómines multiplicári super terram, & vidísset Deus terram esse corrúptam, (omnis quippe caro corrúperat viam suam super terram;) dixit ad Noë: Finis univérsæ carnis venit corã me: repléta est terra iniquitáte à fácie eórum, & ego dispérdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis levigátis: mansiúnculas in arca fácies, & bitúmine línies intrínsecus & extrínsecus... Dixítque Dóminus ad eum: Ingrédere tu & omnis domus tua in arcam: te enim vidi justum coram me in generatióne hac. Adhuc enim, & post dies septem ego pluam super terram quadragínta diébus & quadragínta nóctibus: & delébo omnẽ substántiam, quam feci, de superfície terræ. Fecit ergo Noë ómnia, quæ mandáverat ei Dóminus. Erátque sexcentórum annórũ quando dilúvii aquæ inundavérũt super terram. Et ingréssus est Noë & filii ejus, uxor ejus & uxóres filiórum ejus cum eo, in arcam propter aquas dilúvii. De animántibus quoque mundis & immúndis, & de volúcribus, & ex omni quod movétur super terram, duo & duo ingréssa sunt ad Noë in arcam, másculus & fémina, sicut præcéperat Dóminus Noë; & inclúsit eum Dóminus déforis... Factúmque est dilúvium quadragínta diébus super terram: & multiplicátæ sunt aquæ, & elevavérunt arcam in sublíme à

terra. Veheménter enim inundavérunt: & ómnia replevérunt in superfície terræ: porrò arca ferebátur super aquas. Et aquæ prævaluérunt nimis super terram: opertíque sunt omnes montes excélsi sub universo cœlo. Quíndecim cúbitis áltior fuit aqua super montes, quos operúerat. Consúptáque est omnis caro quæ movebátur super terram, vólucrum, animántium, bestiárum, omniúmque reptílium, quæ reptant super terram: univérsi hómines, & cuncta, in quibus spiráculum vitæ est in terra, mórtua sunt.

℟. ij. Sicut in diébus Noë erant comédentes & bibéntes, & non cognovérunt, donec venit dilúvium, & tulit omnes; * Ita erit & advéntus Fílii hóminis. ℣. Sicut aves láqueo comprehendúntur, sic capiúntur hómines in témpore malo, cùm eis extémplo supervénerit; * Ita. Glória. * Ita. *Matth.* 24. *Eccle.* 9.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Ego sic curro non quasi in incértum, sic pugno non quasi aërem vérberans. 1. *Cor.* 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Veniéntes autem & primi arbitráti sunt quòd plus essent acceptúri: accepérunt autem & ipsi síngulos denários. *Matth.* 20.

FERIA QUARTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. *Cap* 8.

REcordátus autem Deus Noë, cunctorúmque animántium, & ómnium jumentórum, quæ erant cum eo in arca, addúxit spíritum super terram, & imminútæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi, & cataráctæ cæli: & prohíbitæ sunt plúviæ de cælo. Reversæque sunt aquæ de terra eúntes & redeúntes: & cœpérunt mínui post centum quinquagínta dies. Requievítque arca mense séptimo, vigésimo séptimo die mensis, super montes Arméniæ. At verò aquæ ibant & decrescébant usque ad décimum mensem: décimo enim mense, primâ die mensis, apparuérunt cacúmina móntium. Cùmque transíssent quadragínta dies, apériens Noë fenéstram arcæ, quam fécerat, dimísit corvum: qui egrediebátur, & non revertebátur, donec siccaréntur aquæ super terram. Emísit quoque colúmbam post eum, ut vidéret si jam cessássent aquæ super fáciem terræ. Quæ cùm non invenísset ubi requiésceret pes ejus, revérsa est ad eum in arcam: aquæ enim erant super univérsam terram: extendítque manum, & apprehénsam íntulit in arcam. Exspectátis

autem ultrà septem diébus áliis, rursum dimísit colúmbam ex arca. At illa venit ad vésperam, portans ramum olívæ viréntibus fóliis in ore suo. Intelléxit ergo Noë quòd cessássent aquæ super terram. Exspectavítque nihilóminus septem álios dies: & emísit colúmbam, quæ non est revérsa ultrà ad eum.

℟. j. Deus origináli mundo non pepércit, sed dilúvium mundo impiórum indúcens, octávum Noë justítiæ præcónem custodívit, * Per contemptíbile lignum, justum gubérnans. ℣. Cùm aqua deléret terram, sanávit íterum Sapiéntia, * Per. 2. Petr. 2. Sap. 10.

Lectio ij.

IGitur sexcentésimo primo anno, primo mense, primâ die mensis, imminútæ sunt aquæ super terram: & apériens Noë tectum arcæ, aspéxit, vidítque quod exsiccáta esset superfícies terræ. Mense secúndo, séptimo & vigésimo die mensis, arefácta est terra. Locútus est autem Deus ad Noë, dicens: Egrédere de arcâ, tu & uxor tua, filii tui & uxóres filiórum tuórum tecum. Cuncta animántia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatílibus quàm in béstiis & univérsis reptílibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredímini super terram: créscite & multiplicámini super eam. Egréssus est ergo Noë, & filii ejus, uxor illíus, & uxóres filiórum ejus cum eo. Sed & ómnia animántia, juménta, & reptília quæ reptant super terram, secúndùm genus suum, egréssa sunt de arca. Ædificávit autem Noë altáre Dómino: & tollens de cunctis pecóribus & volúcribus mundis, óbtulit holocaústa super altáre. Odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis, & ait: Nequáquam ultrà maledícam terræ propter hómines: sensus enim & cogitátio humáni cordis in malum prona sunt ab adolescéntia sua: non ígitur ultrà percútiam omnem ánimam vivéntem sicut feci. Cunctis diébus terræ, seméntis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, nox & dies, non requiéscent.

℟. ij. Noë invéntus est perféctus, & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio: testaménta sǽculi pósita sunt apud illum, * Ne deléri possit dilúvio omnis caro. ℣. Noë invénit grátiam coram Dómino, * Ne. Eccli. 44. Gen. 6.

Lectio iij. *Cap. 9.*

BEnedixítque Deus Noë & filiis ejus. Et dixit ad eos: Créscite, & multiplicámini, & repléte terram. Et terror vester ac trémor sit su-

per cuncta animália terræ, & super omnes vólucres cæli; cum univérsis quæ movéntur super terram: omnes pisces maris mánui vestræ tráditi sunt. Et omne, quod movétur & vivit, erit vobis in cibum: quasi ólera viréntia trádidi vobis ómnia, excépto quod carnem cum sánguine non comedétis. Sánguinem enim animárum vestrárum requíram de manu cunctárum bestiárum: & de manu hóminis, de manu viri & fratris ejus, requíram ánimam hóminis. Quicúmque effúderit humánum sánguinem, fundétur sánguis illíus: ad imáginem quippe Dei factus est homo. Vos autem créscite & multiplicámini, & ingredímini super terram, & impléte eam. Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios ejus cum eo: Ecce ego státuam pactum meum vobíscum, & cum sémine vestro post vos, & ad omnem ánimam vivéntem, quæ est vobíscum, tam in volúcribus quàm in juméntis, & pecúdibus terræ cunctis, quæ egréssa sunt de arca, & univérsis béstiis terræ. Státuam pactum meum vobíscum, & nequáquam ultrà interficiétur omnis caro aquis dilúvii, neque erit deínceps dilúvium díssipans terram.

℞. iij. Hoc signum fœderis quod do inter me & vos: Arcum meum ponam in núbibus; & * Non erunt ultrà aquæ dilúvii ad deléndum univérsam carnem. ℣. Deus mundum reconcílians sibi, pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. * Non. Glória. * Non. *Gen.* 9. 2. *Cor.* 5.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *c.* Castígo corpus meum, & in servitútem rédigo: ne fortè, cùm áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar. 1. *Cor.* 9.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Murmurábant advérsùs patrem-famílias, dicéntes: Hi novíssimi unâ horâ fecérunt, & pares illos nobis fecísti, qui portávimus pondus diéi & æstûs. *Matth.* 20.

FERIA QUINTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 9. v. 12.

Dixit Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem ánimam vivéntem, quæ est vobíscum in generatiónes sempitérnas: Arcum meum ponam in núbibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram. Cúmque obdúxero núbibus cælum, apparébit arcus meus in núbibus: Et recordábor fœderis mei vobíscum, & cum omni ánima vivénte quæ carnem végetat: & non erunt ultrà aquæ dilúvii ad deléndum univérsam car-

nem. Erant ergo filii Noë, qui egréssi sunt de arca, Sem, Cham, & Japheth: porrò Cham ipse est pater Chánaan. Tres isti filii sunt Noë: & ab his disseminátum est omne genus hóminum super univérsam terram. Cœpítque Noë vir agrícola exercére terram, & plantávit víneam: bibénsque vinum inebriátus est, & nudátus in tabernáculo suo. Quod cùm vidísset Cham pater Chánaan, verénda scílicet patris sui esse nudáta, nuntiávit duóbus frátribus suis foras. At verò Sem & Japheth pállium imposuérunt húmeris suis, & incedéntes retrórsum, operuérunt verénda patris sui: faciésque eórum avérsæ erant, & patris virília non vidérunt. Evígilans autem Noë ex vino, cùm didicísset quæ fécerat ei fílius suus minor, ait: Maledíctus Chánaan, servus servórum erit frátribus suis.

℟. j. Benedíctio patris firmat domos filiórum: maledíctio autem matris eradícat fundaménta. * Ne gloriéris in contumélia patris tui; non enim est tibi glória ejus confúsio. ℣. Evígilans Noë, cùm didicísset quæ fécerat ei fílius suus minor, ait: Maledíctus Chánaan, servus servórum erit frátribus suis; * Ne. *Eccli.* 3. *Gen.* 9.

Lectio ij. *Cap.* 11.

Erat autem terra lábii unius, & sermónum eorúmdem. Cùmque proficisceréntur de oriénte, invenérunt campum in terra Sénnaar, & habitavérunt in eo. Dixítque alter ad próximum suum: Veníte, faciámus láteres, & coquámus eos igni. Habuerúntque láteres pro saxis, & bitúmē pro cæménto: Et dixérunt: Veníte faciámus nobis civitátem, & turrim cujus culmen pertíngat ad cælum: & celebrémus nomen nostrum ántequam dividámur in univérsas terras. Descéndit autem Dóminus, ut vidéret civitátem & turrim, quam ædificábant filii Adam, & dixit: Ecce, unus est pópulus, & unum lábium ómnibus: cœperúntque hoc fácere, nec desístent à cogitatiónibus suis, donec eas ópere cómpleant. Veníte ígitur, descendámus, & confundámus ibi linguam eórum, ut non áudiat unusquísque vocem próximi sui. Atque ita divísit eos Dóminus ex illo loco in univérsas terras, & cessavérunt ædificáre civitátem. Et idcircò vocátum est nomen ejus Babel, quia ibi confúsum est lábium univérsæ terræ: & inde dispérsit eos Dóminus super fáciem cunctárum regiónum.

℟. ij. In consénsu nequítiæ

m se natiónes contulíssent, vit justum: * Dispérsit superbos mente cordis sui. ℣. ixit Dóminus: Confundámus linguam eórum, atque divísit eos ex illo loco in vérsas terras. * Dispérsit. p. 10. *Luc.* 1. *Gen.* 11.

Lectio iij. *Cap.* 12.

DIxit autem Dóminus ad Abram: Egrédere de tertua, & de cognatióne tua, de domo patris tui, & veni terram quam monstrábo. Faciámque te in gentem gnam, & benedícam tibi, magnificábo nomen tuum, que benedíctus. Benedím benedicéntibus tibi, & aledícam maledicéntibus ti, atque in te benedicéntur ivérsæ cognatiónes terræ. réssus est ítaque Abram, ut præcéperat ei Dóminus, ivit cum eo Lot. Septuagínquinque annórum erat Aam cùm egrederétur de Ha. Tulítque Sáraï uxórem m, & Lot filium fratris, universámque substánquam possséderant, & ánis quas fécerant in Haran: egréssi sunt ut irent in ter Chánaan. Cúmque veent in eam, pertransívit ram terram usque ad locũ hem, usque ad convállem strem: Chananæus autem nc erat in terra. Appáruit tem Dóminus Abram, & dixit ei: Sémini tuo dabo terram hanc. Qui ædificávit ibi altáre Dómino, qui apparúerat ei.

℟. iij. Fide qui vocátur Abraham obedívit in locum exíre. * Fide demorátus est in terra repromissiónis tamquam in aliéna. ℣. Egréssus est ítaque Abram, sicut præcéperat ei Dóminus. * Fide demorátus. Glória. * Fide demorátus. *Heb.* 11. *Gen.* 12.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. *a.* Nolo vos ignoráre fratres quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, & omnes mare transiérunt. 1. *Cor.* 10.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. *a.* Respóndens pater famílias uni eórum dixit: Amíce, non fácio tibi injúriam: nonne ex denário convenísti mecum? tolle quod tuum est, & vade; volo autem & huic novíssimo dare sicut & tibi. *Matth.* 20.

FERIA SEXTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. *Cap.* 13.

AScéndit ergo Abram de Ægypto, ipse & uxor ejus, & ómnia quæ habébat, & Lot cum eo, ad Austrálem plagam. Erat autem dives valde in possessióne auri & argénti... Sed & Lot qui erat cum Abram, fuérunt greges óvium, & arménta, & tabernácula. Nec póterat eos cápere terra, ut habitá-

rent simul: erat quippe substántia eórum multa, & nequíbãt habitáre commúniter. Unde & facta est rixa inter pastóres gregum Abram & Lot. Eo autẽ témpore Chananæus & Pherezæus habitábant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso sit júrgium inter me & te, & inter pastóres meos & pastóres tuos: fratres enim sumus. Ecce univérsa terra coram te est: recéde à me, óbsecro: si ad sinístram íeris, ego déxteram tenébo: si tu déxteram elégeris, ego ad sinístram pergam. Elevátis ítaque Lot óculis, vidit omnem circà regiónem Jordánis, quæ univérsa irrigabátur ántequàm subvérteret Dóminus Sódomam & Gomórrham, sicut paradísus Dómini, & sicut Ægyptus veniéntibus in Segor. Elegítque sibi Lot regiónem circa Jordánem, & recéssit ab oriénte, divisíque sunt altérutrum à fratre suo. Abram habitávit in terra Chánaan: Lot verò morátus est in óppidis, quæ erant circa Jordánem, & habitávit in Sódomis.

℟. j. Defúncti sunt omnes isti, non accéptis repromissiónibus; sed à longè eas aspiciéntes, & salutántes, & * Confiténtes quia peregríni & hóspites sunt super terram. ℣. Abram habitávit in terra Chánaan: Lot verò morátus est in óppidis circa Jordánẽ, * Confiténtes. *Hebr.* 11. *Gen.* 13.

Lectio ij. *Cap.* 17.

Postquám verò nonagínta & novem annórum esse cœperat, appáruit ei Dóminus, dixítque ad eum: Ego Deus omnípotens; ámbula coram me, & esto perféctus: ponámque fœdus meum inter me & te, & multiplicábo te veheménter nimis. Cécidit Abram pronus in fáciem. Dixítque ei Deus: Ego sum, & pactum meum tecum, erísque pater multárum géntium; nec ultrà vocábitur nomen tuum Abram: sed appellláberis Abraham: quia patrem multárum géntium constítui te. Faciámque te créscere vehementíssimè, & ponam te in géntibus, regésque ex te egrediéntur. Et státuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generatiónibus suis, fœdere sempitérno: ut sim Deus tuus, & séminis tui post te. Dabóque tibi & sémini tuo terram peregrinatiónis tuæ, omnem terram Chánaan in possessiónem ætérnam, eróque Deus eórum. Dixit íterùm Deus ad Abraham: Et tu ergo custódies pactum meum, & semen tuum post te in generatiónibus suis. Hoc est pactum meum quod observábitis inter me & vos,

& semen tuum post te: Circumcidétur ex vobis omne masculínum: & circumcidétis carnem præpútii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo diérum circumcidétur in vobis, omne masculínum in generatiónibus vestris: tam vernáculus, quàm emptítius circumcidétur, & quicúmque non fúerit de stirpe vestra: erítque pactum meum in carne vestra in fœdus ætérnum.

℟. ij. Abraham signum accépit circumcisiónis, signáculum justítiæ fidei, ut sit pater ómnium credéntium, *Ut reputétur & illis ad justítiam. ℣. Hoc est pactum meum, quod observábitis inter me & vos, & semen tuum post te, circumcidétur ex vobis omne masculínum, * Ut reputétur. *Rom. 4. Gen. 17.*

Lectio iij. *Cap. 18.*

Appáruit autem ei Dóminus in conválle Mámbre sedénti in óstio tabernáculi sui in ipso fervóre diéi. Cúmque elevásset óculos apparuérunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidísset, cucúrrit in occúrsum eórum de óstio tabernáculi, & adorávit in terram. Et dixit: Dómine si invéni grátiam in óculis tuis, ne tránseas servum tuũ; sed áfferam pauxíllum aquæ, & laváte pedes vestros, & requiéscite sub árbore. Ponámque buccéllam panis, & confortáte cor vestrum, póstea transíbitis: idcírcò enim declinástis ad servum vestrum. Qui dixérunt: Fac ut locútus es. Festinávit Abraham in tabernáculum ad Saram, dixítque ei: Accélera, tria sata símilæ commísce, & fac subcinerícios panes. Ipse verò ad arméntum cucúrrit, & tulit inde vítulum tenérrimum & óptimum, dedítque púero, qui festinávit, & coxit illum. Tulit quoque bútyrum & lac, & vítulum quem cóxerat, & pósuit coram eis: ipse verò stabat juxta eos sub árbore. Cúmque comedíssent, dixérunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua? Ille respóndit: Ecce in tabernáculo est. Cúi dixit: Revértens véniam ad te témpore isto, vitâ cómite, & habébit fílium Sara uxor tua. Quo audíto, Sara risit post óstium tabernáculi; erant autem ambo senes, provectæque ætátis, & desíerant Saræ fieri muliébria. Quæ risit occúltè, dicens: Postquàm consénui, & dóminus meus vétulus est, voluptáti óperam dabo?

℟. iij. Fide & ipsa Sara stérilis virtútem in conceptiónem séminis accépit étiam præter tempus ætatis: *Quóniã fidélem crédidit esse eum qui re-

promíserat. ℣. Dixit Dóminus : Revértens véniam ad te témpore isto, vitâ cómite, & habébit fílium Sara uxor tua, * Quóniam. Glória. * Quóniam. *Hebr.* 11. *Gen.* 18.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *f.* Omnes in Móyse baptizáti sunt in nube & in mari,& omnes eámdem escâ spiritálem manducavérunt. 1. *Cor* 10.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *c.* Sic erunt novíssimi, primi ; & primi, novíssimi : multi enim sunt vocáti, pauci verò elécti. *Matth.* 20.

SABBATO.

De Libro Génesis.

Lectio j. *Cap.* 19.

VEnérunt duo Angeli Sódomam véspere, & sedénte Lot in fóribus civitátis : qui cùm vidísset eos, surréxit, & ivit óbviam eis, adoravítque pronus in terram, & dixit : Obsecro, dómini, declináte in domum púeri vestri, & manéte ibi ? laváte pedes vestros, & manè proficiscémini in viam vestram. Qui dixérunt : Mínimè, sed in platéa manébimus. Cómpulit illos óppidò ut divérterent ad eum ; ingressísque domum illíus fecit convívium, & coxit ázyma : & comedérunt. Priùs autem quàm irent cúbitum, viri civitátis vallavérunt domum à púero usque ad senem, omnis pópulus simul. Vocavéruntque Lot, & dixérunt ei : Ubi sunt viri qui introiérunt ad te nocte ? educ illos huc, ut cognoscámus eos. Egréssus ad eos Lot, post tergum occlúdens óstium, ait : Nolíte, quæso, fratres mei, nolíte malum hoc fácere..... At illi dixérunt : Recéde illuc : Et rursus : Ingréssus es, ínquiunt, ut ádvena, numquid ut júdices ? te ergo ipsum magis quàm hos affligémus. Vímque faciébant Lot veheméntíssimè : jámque propè erat ut effríngerent fores. Et ecce misérunt manum viri, & introduxérunt ad se Lot, clausérúntque óstium. Et eos qui foris erant percussérunt cœcitáte à mínimo usque ad máximum, ita ut óstium inveníre non possent. Dixérunt autem ad Lot : Habes hîc quémpiam tuórum? génerum, aut fílios, aut fílias, omnes qui tui sunt,educ de urbe hac : Delébimus enim locũ istum, eo quòd incréverit clamor eórum coram Dómino, qui misit nos ut perdámus illos.

℟. j. Civitátes Sodomórum & Gomorrhæórum in cínerem rédigens eversióne damnávit Deus, exémplum eórum qui ímpiè actúri sunt ponens : * Quibus in testimóniũ nequítiæ fumigabúnda constat desérta terra. ℣. Sapiéntiam enim prætereúntes, insipién-

tiæ suæ reliquérunt homínibus memóriam, ut in his quæ peccavérunt, nec latére potuíssent, * Quibus. 2. *Petr.* 2. *Sap.* 10.

Lectio ij. c. 19. *v.* 15. *& c.* 21.

CUmque esset manè, cogébant eum ángeli, dicéntes: Surge, tolle uxórem tuam, & duas fílias quas habes: ne & tu páriter péreas in scélere civitátis. Dissimulánte illo, apprehendérunt manum ejus, & manum uxóris; ac duárum filiárum ejus, eo quòd párceret Dóminus illi. Eduxerúntque eum, & posuérunt extra civitátem: ibíque locúti sunt ad eum, dicéntes: Salva ánimam tuam: noli respícere post tergum, nec stes in omni circà regióne: sed in monte salvum te fac, ne & tu simul péreas. Dixítque Lot ad eos: Quæso Dómine mi, quia invénit servus tuus grátiam coram te, & magnificásti misericórdiam tuam quam fecísti mecum, ut salváres ánimam meam, nec possum in monte salvári, ne fortè apprehéndat me malum, & móriar... Dixítque ad eum: Ecce étiam in hoc suscépi preces tuas, ut non subvértam urbem pro qua locútus es. Festína & salváre ibi: quia non pótero fácere quidquam donec ingrediáris illuc. Idcircò vocátum est nomen urbis illíus Segor. Sol egréssus est super terram, & Lot ingréssus est Segor. Igitur Dóminus pluit super Sódomam & Gomórrham sulphur & ignem à Dómino de cœlo: & subvértit civitátes has, & omnem circà regiónem, univérsos habitatóres úrbium, & cuncta terræ viréntia. Respiciénsque uxor ejus post se, versa est in státuam salis..... Visitávit autem Dóminus Saram, sicut promíserat: concepítque & péperit fílium in senectúte sua.... Vocavítque Abraham nomen fílii sui, quem génuit ei Sara, Isaac: & circumcídit eum octávo die, sicut præcéperat ei Deus.

℟. *ij.* Sapiéntia justum à pereúntibus liberávit fugiéntem, descendénte igne in Pentápolim; * Aspéctu enim & audítu justus erat, hábitans apud eos qui de die in diem ánimam justam iníquis opéribus cruciábant. ℣. Justum Lot oppréssum à nefandórum injúria ac luxurióſa conversatióne erípuit; * Aspéctu. *Sap.* 10. 2. *Petr.* 2.

Lectio iij. Cap. 22.

TEntávit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respóndit: Adsum. Ait illi: Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Isaac, & vade in terram visiónis, atque ibi

ófferes eum in holocaústum super unum móntium quem monstrávero tibi. Igitur Abraham de nocte consúrgens, stravit ásinum suum: ducens secum duos júvenes, & Isaac filium suum: Cúmque concidísset ligna in holocaústum, ábiit ad locum, quem præcéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul; dixítque ad púeros suos: Exspectáte hìc cum ásino: ego & puer illuc usque properántes, postquàm adoravérimus, revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocaústi, & impósuit super Isaac filium suum: ipse verò portábat in mánibus ignem & gládium. Cúmque duo pérgerent simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respóndit: Quid vis fili? Ecce (inquit) ignis & ligna: ubi est víctima holocaústi? Dixit autem Abraham: Deus providébit sibi víctimam holocaústi, fili mi. Pergébant ergo páriter: & venérunt ad locum quem osténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre, & désuper ligna compósuit: cúmque alligásset Isaac filium suum, pósuit eum in altáre super struem lignórum. Extendítque manum, & arrípuit gládium, ut immoláret filium suum. Et ecce ángelus Dómini de cœlo clamávit: dicens: Abraham, Abraham. Qui respóndit, Adsum. Dixítque ei: Non exténdas manum tuam super púerum, neque fácias illi quidquam; nunc cognóvi quòd times Deum, & non pepercísti unigénito filio tuo propter me. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem córnibus, quẽ assúmens óbtulit holocaústum pro filio. Appellavítque nomen loci illíus, Dóminus videt. Unde usque hódie dícitur: In monte Dóminus vidébit.

℟. *iij*. Fide óbtulit Abraham Isaac cùm tentarétur, & unigénitum offerébat, qui suscéperat repromissiónes, * Arbitrans † Quia & à mórtuis suscitáre potens est Deus. ℣. Crédidit ei qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, * Arbitrans. Glória. † Quia. *Hebr.* 11. *Rom.* 4.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Omnes eúmdem potum spiritálem bibérunt: bibébant autem de spiritáli consequénte eos petrâ; petra autem erat Christus. 1. *Cor.* 10.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Exiit qui séminat semináre semen suum; & dum séminat, áliud cécidit secùs viam, & conculcátum est, & vólucres cæli comedérunt illud. *Luc.* 8.

Oratio, Deus qui cónspicis. *infrà in Laud. Mat.*

DOMINICA IN SEXAGESIMA, AD VIGILIAS,

Ut in Psalterio.

IN I. NOCT.

De Libro Génesis.

Lectio j. *Cap.* 24.

ERat autem Abraham senex, dierúmque multórum: & Dóminus in cunctis benedíxerat ei. Dixítque ad servum seniórem domûs suæ, qui præerat ómnibus quæ habébat: Pone manum tuam subter femur meum, ut adjúrem te per Dóminum Deum cœli & terræ, ut non accípias uxórem fílio meo de filiábus Chananæórum, inter quos hábito: sed ad terram & cognatiónem meam proficiscáris, & inde accípias uxórem fílio meo Isaac.... Tulítque decem camélos de grege dómini sui, & ábiit, ex ómnibus bonis ejus portans secum, profectúsque perréxit in Mesopotámiam ad urbem Nachor. Cúmque camélos fecísset accúmbere extra óppidum juxta púteum aquæ véspere, témpore quo solent mulíeres égredi ad hauriéndam aquam; habébat Rebécca fratrem nómine Laban, qui festínus egréssus est ad hóminem, ubi erat fons... Et introdúxit eum in hospítium; ac destrávit camélos, dedítque páleas & fœnum, & aquam ad lavándos pedes ejus, & virórum qui venérant cum eo. Et appósitus est in conspéctu ejus panis. Qui ait: Non cómedam, donec loquar sermónes meos. Respóndit ei: Lóquere. Pronus (inquit) adorávi Dóminũ, benedícens Dómino Deo dómini mei Abraham, qui perdúxit me recto itínere, ut súmerem fíliam fratris dómini mei fílio ejus. Quamóbrem si fácitis misericórdiam & veritátem cum dómino meo, indicáte mihi; sin autem áliud placet, & hoc dícite mihi, ut vadam ad déxteram, sive ad sinístram.

℟. j. Iste dies. *p.* 4.

Lectio ij.

REspondéruntque Laban & Báthuel: A Dómino egréssus est sermo: non póssumus extra plácitum ejus quidquam áliud loqui tecum. En Rebécca coram te est, tolle eam, & profiscíscere, & sit uxor filii dómini tui, sicut locútus est Dóminus... Et dixérunt: Vocémus puéllam, & quærámus ipsíus voluntátem. Cùmque vocáta venísset, sciscitáti sunt: Vis ire cum hómine isto? Quæ ait: Vadam. Dimisérunt ergo eam, & nutrícem illíus, servúmque Abraham, & cómites ejus, imprecántes próspera soróri suæ, atque dicéntes: Soror nostra es, crescas in mille míllia, & possídeat semen tuum portas

inimicórum suórum. Igitur Rebécca, & puéllæ illíus ascénsis camélis, secútæ sunt virum: qui festínus revertebátur ad dóminum suum. Eo autem témpore deambulábat Isaac per viam quæ ducit ad púteum, cujus nomen est Vivéntis & vidéntis: habitábat enim in terra austráli;& egréssus fúerat ad meditándum in agro, inclinátâ jam die: cúmque elevásset óculos, vidit camélos veniéntes procul. Rebécca quoque, conspécto Isaac, descéndit de camélo, & ait ad púerum: Quis est ille homo qui venit per agrum in occúrsum nobis? Dixítque ei: Ipse est dóminus meus. At illa tollens citò pállium, opéruit se. Servus autem cuncta, quæ gésserat, narrávit Isaac. Qui introdúxit eam in tabernáculum Saræ matris suæ, & accépit eam uxórem: & in tantum diléxit eam, ut dolórem, qui ex morte matris ejus accíderat, temperáret.

℟. ij. Dies sanctificátus. *p.* 4.

Lectio iij. Cap. 28.

VOcávit ítaque Isaac Jacob, & benedíxit eum, præcepítque ei dicens: Noli accípere cónjugem de génere Chánaan. Sed vade, & proficíscere in Mesopotámiam Syriæ, ad domum Báthuël patris matris tuæ, & áccipe tibi inde uxórem de filiábus Laban avúnculi tui. Deus autem omnípotens benedícat tibi, & créscere te fáciat, atque multíplicet: ut sis in turbas populórum; & det tibi benedictiónes Abrahæ,& sémini tuo post te: ut possídeas terram peregrinatiónis tuæ, quam pollícitus est avo tuo. Cúmque dimisísset eum Isaac, proféctus venit in Mesopotámiam Syriæ ad Laban fílium Báthuël Syri, fratrem Rebéccæ matris suæ. Videns autem Esaü quòd benedixísset pater suus Jacob, & misísset eum in Mesopotámiam Syriæ: ut inde uxórem dúceret, & quòd post benedictiónem præcepísset ei, dicens: Non accípies uxórem de filiábus Chánaan; quòdque obédiens Jacob paréntibus suis isset in Syriam; probans quoque quòd non libénter aspíceret fílias Chánaan pater suus, ivit ad Ismaélem, & duxit uxórem absque iis, quas priùs habébat, Máheleth fíliam Ismaël fílii Abraham, sorórem Nábaioth.

℟. iij. Pascha nostrum. *p.* 4.

IN II. NOCT.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. Cap. 10.

NOlo vos ignoráre fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, & omnes mare transiérunt, & omnes in Móyse

baptizáti sunt in nube, & in mari: & omnes eámdem escam spiritálem manducavérunt, & omnes eúmdem potum spiritálem bibérunt: (bibébant autem de spiritáli, consequénte eos, petrâ: petra autem erat Christus.) Sed non in plúribus eórum beneplácitum est Deo: nam prostráti sunt in desérto. Hæc autem in figúra facta sunt nostrî, ut non simus concupiscéntes malórum, sicut & illi concupiérunt. Neque idolólatræ efficiámini, sicut quidam ex ipsis; quemádmodum scriptum est: Sedit pópulus manducáre & bíbere, & surrexérunt lúdere. Neque fornicémur, sicut quidam ex ipsis fornicáti sunt, & cecidérunt unâ die vigínti tria míllia. Neque tentémus Christum: sicut quidam eórum tentavérunt, & à serpéntibus periérunt. Neque murmuravéritis, sicut quidam eórum murmuravérunt, & periérunt ab exterminatóre. Hæc autem ómnia in figúra contingébant illis: scripta sunt autem ad correptiónem nostrã, in quos fines seculórum devenérunt.

℞. iv. Surgéntes manè obtulérunt holocaústa, & hóstias pacíficas, & * Sedit pópulus manducáre & bíbere, & surrexérunt lúdere. ℣. Non efficiámini sicut quidam ex ipsis, quemádmodum scriptũ est: * Sedit. *Exod.* 32. 1. *Cor.* 10.

Lectio v.

Itaque qui se exístimat stáre, vídeat ne cadat. Tentátio vos non apprehéndat, nisi humána: fidélis autem Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potéstis, sed fáciet étiam cum tentatióne provéntum ut possítis sustinére. Propter quod caríssimi mihi, fúgite ab idolórum cultúra: Ut prudéntibus loquor, vos ipsi judicáte quod dico. Calix benedictiónis, cúi benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? Et panis, quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini est? Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participámus. Vidéte Israël secúndum carnem: nonne qui edunt hóstias, partícipes sunt altáris? Quid ergo? Dico quòd idólis immolátum sit áliquid? aut quòd idólum sit áliquid? Sed quæ ímmolant Gentes, dæmóniis ímmolant, & non Deo. Nolo autem vos sócios fieri dæmoniórum: non potéstis cálicem Dómini bíbere, & cálicem dæmoniórum. Non potéstis mensæ Dómini partícipes esse, & mensæ dæmoniórum. An æmulámur Dóminum? Numquid fortióres illo sumus?

℞. v. Qui mandúcat & bi-

bit indígnè, judícium sibi mandúcat & bibit.* Ideo multi inter vos infirmi & imbecílles, & dórmiunt multi. ℣. Non potéstis mensæ Dómini partícipes esse, & mensæ dæmoniórum.* Ideo. 1. *Cor.* 11. & 10.

Lectio vj.

OMnia mihi licent, sed non ómnia expédiunt. Omnia mihi licent, sed non ómnia ædíficant. Nemo quod suum est quærat, sed quod altérius. Omne, quod in macéllo vænit, manducáte, nihil interrogántes propter consciéntiam. Dómini est terra & plenitúdo ejus. Si quis vocat vos infidélium, & vultis ire: omne, quod vobis appónitur, manducáte, nihil interrogántes propter consciéntiam. Si quis autem díxerit: hoc immolátum est idólis: nolíte manducáre propter illum, qui indicávit, & propter consciéntiam: consciéntiam autem dico non tuam, sed altérius. Ut quid enim libértas mea judicátur ab aliéna consciéntia: si ego cum grátia partícipo, quid blasphémor pro eo quòd grátias ago? Sive ergo manducátis, sive bíbitis, sive áliud quid fácitis: ómnia in glóriam Dei fácite. Sine offensióne estóte Judæis, & Géntibus, & Ecclésiæ Dei; sicut & ego per ómnia ómnibus pláceo, non quærens quod mihi útile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

℟. vj. Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, * Omnia in nómine Dómini nostri Jesu Christi, grátias agéntes Deo & Patri per ipsum. ℣. Sive manducátis, sive bíbitis, sive áliud quid fácitis,* Omnia. Glória.* Omnia. *Col.* 3. 1. *Cor.* 10.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 8.

IN illo témpore; Dixit Jesus per similitúdinem: Exiit qui séminat, semináre semen suum. Et dum séminat, áliud cécidit secus viam, & conculcátum est, & vólucres cæli comedérunt illud. Et áliud cécidit supra petram: & natum áruit, quia non habébat humórem. Et áliud cécidit inter spinas, & simul exórtæ spinæ suffocavérunt illud. Et áliud cécidit in terram bonam: & ortum fecit fructum céntuplum. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

Hom. 15. in Ev. hab. in Basilicâ S. Pauli Dominicâ in Sexag.

SOllícitè in hac ipsa expositióne Domínica pensáre debémus: quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, vólucres dæmónia, spinas divítias significáre dicerémus; ad credéndum no-

bis mens fórsitan vestra dubitáret. Unde & idem Dóminus per semetípsum dignátus est expónere quod dicébat; ut sciátis rerum significatiónes quærere in iis étiam quæ per semetípsum nóluit explanáre.

℟. vij. Excæca cor pópuli hujus, & aures ejus ággrava; & óculos ejus claude: * Ne fortè vídeat óculis suis, & áuribus suis áudiat, & corde suo intélligat, & convertátur & sanem eum. ℣. Clamábat Jesus: Qui habet aures audiéndi, áudiat; ídeo in parábolis loquor, *Ne fortè. *Is.* 6. *Luc.* 8.

Lectio viij.

EXponéndo ergo quod dixit, figurátè se loqui innótuit: quátenus certos vos rédderet, cùm vobis nostra fragílitas verbórum illíus figúras aperíret. Quis enim mihi unquam créderet, si spinas divítias interpretári voluíssem; máximè cùm illæ pungant, istæ deléctent: Et tamen spinæ sunt; quia cogitatiónū suárum punctiónibus mentem lácerant, & cùm usque ad peccátum pértrahunt, quasi inflícto vúlnere cruéntant. Quas bene hoc in loco, álio Evangelístâ attestánte, nequáquam Dóminus divítias, sed falláces divítias appéllat.

℟. viij. Divítiæ non próderunt in die ultiónis; * Et qui confidit in divítiis suis, córruet. ℣. Fallácia divitiárum súffocat verbum Dei, & sine fructu efficitur, * Et. *Prov.* 11. *Matth.* 13.

Lectio ix.

FAlláces enim sunt quæ nobíscum diu permanére non possunt: falláces sunt, quæ mentis nostræ inópiam non expéllunt. Solæ autem divítiæ veræ sunt, quæ nos dívites virtútibus fáciunt. Si ergo, fratres caríssimi, dívites esse cúpitis, veras divítias amáte, si culmen veri honóris quæritis, ad cæléste regnum téndite. Si glóriam dignitátum dilígitis, in illa supérna Angelórum cúria adscríbi festináte. Verba Dómini quæ aure percípitis, mente retinéte. Cibus enim mentis est sermo Dei: & quasi accéptus cibus stómacho languénte rejícitur, quando audítus sermo in ventre memóriæ non tenétur. Sed quisquis aliménta non rétinet, hujus proféctò vita despe rátur.

℟. ix. Non in solo pane vivit homo, sed † Ex omni verbo * Quod procédit de ore Dei. ℣. Beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud * Quod. Glória. † Ex. *Matth.* 4. *Luc.* 11.

Non dicitur Te Deum in Dominicis usque ad Pascha.

AD LAUDES MATUTINAS,

℣. *Sacerd.* Convertímini. ut

suprà in Dominicâ Septuagesimæ pag. 454.

Cetera ut in Psalterio.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. f. Libénter suffértis insipiéntes, cùm sitis ipsi sapiéntes. 2. *Cor.* 11.

Oratio.

DEus qui cónspicis quia ex nulla nostra actióne confídimus: concéde propítius ut contra advérsa ómnia grátiæ tuæ protectióne muniámur; Per.

Ad Horas Añæ & ℟. br. ut in Psalterio.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Semen áliud cécidit supra petram, & natum áruit, quia non habébat humórem; & áliud cécidit inter spinas, & simul exórtæ spinæ suffocavérunt illud. *Luc.* 8.

FERIA SECUNDA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 28.

EGréssus Jacob de Bersábee pergébat Haran. Cúmque venísset ad quédam locum, & vellet in eo requiéscere post solis occúbitum, tulit de lapídibus qui jacébant, & suppónens cápiti suo, dormívit in eódem loco. Vidítque in somnis scalam stantem super terram, & cacúmen illíus tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendéntes & descendéntes per eam; & Dóminum innixum scalæ dicéntem sibi: Ego sum Dóminus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo & sémini tuo. Erítque semen tuum quasi pulvis terræ: dilatáberis ad Occidéntem, & Oriéntem, & Septentriónem, & Merídiem: & benedicéntur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ: & ero custos tuus quocúmque perréxeris, & redúcam te in terram hanc: nec dimíttam nisi complévero univérsa quæ dixi. Cúmque evigilásset Jacob de somno, ait: Verè Dóminus est in loco isto, & ego nesciébam. Pavénsque, Quàm terríbilis est, inquit locus iste! non est hîc áliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Surgens ergo Jacob manè, tulit lápidem quē suppósúerat cápiti suo, & eréxit in títulum, fundens óleum désuper. Vovit étiam votum: dicens: si fúerit Deus mecū, & custodíerit me in via, per quam ego ámbulo, & déderit mihi panem ad vescéndum, & vestiméntum ad induéndum, reversúsque fúero próspere ad domum patris mei: erit mihi Dóminus in Deum; & lapis iste quem eréxi in títulum, vocábitur Domus Dei: cunctorúmque quæ déderis mihi, décimas ófferam tibi.

℟. j. Habitábo in médio Je-

rúsalem ; & vocábitur cívitas veritátis, & * Mons Dómini exercítuum, mons sanctificátus. ℣. Lapis iste quem eréxi in títulum, vocábitur Domus Dei, * Mons. *Zach.* 8. *Gen.* 28.

Lectio ij. Cap. 37.

HAbitávit autem Jacob in terra Chánaan, in qua pater suus peregrinátus est. Et hæ sunt generatiónes ejus : Joseph cùm sédecim esset annórum, pascébat gregem cum frátribus suis adhuc puer, & erat cum fíliis Balæ & Zelphæ uxórum patris sui : accusavítque fratres suos apud patrem crímine péssimo. Israël autem diligébat Joseph super omnes fílios suos, eo quòd in senectúte genuísset eum : fecítque ei túnicam polymitam. Vidéntes autem fratres ejus quòd à patre plus cunctis fíliis amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacíficè loqui. Accidit quoque ut visum sómnium reférret frátribus suis : quæ causa majóris ódii seminárium fuit. Dixítque ad eos : Audíte sómnium meum quod vidi : Putábam nos ligáre manípulos in agro ; & quasi consúrgere manípulum meum, & stare, vestrósque manípulos circumstántes adoráre manípulum meum. Respondérunt fratres ejus : Numquid rex noster eris ? aut subjiciémur ditióni tuæ ? Hæc ergo causa somniórum atque sermónum, invídiæ & ódii fómitem ministrávit.... Invidébant ei ígitur fratres sui: pater verò rem tácitus considerábat.

℟. ij. Contra illum stetérunt, & propter invídiam circumdedérunt illum ; * Vidit Dóminus Deus ; & non plácuit illi ; ℣. Invidébant ígitur Joseph fratres sui. * Vidit. *Eccli.* 45.

Lectio iij.

CUmque fratres illíus in pascéndis grégibus patris moraréntur in Sichem, dixit ad eum Israël : Fratres tui pascunt oves in Síchimis : veni, mittam te ad eos. Quo respondénte, Præsto sum, ait : Vade, & vide si cuncta próspera sint erga fratres tuos, & pécora : & renúntia mihi quid agátur. Missus de Valle Hebron, venit in Sichem ; invenítque eum vir errántem in agro, & interrogávit quid quæreret. At ille respóndit : Fratres meos quæro, índica mihi ubi pascant greges. Dixítque ei vir : Recessérunt de loco isto : audívi autem eos dicéntes : Eámus in Dóthaïn. Perréxit ergo Joseph post fratres suos, & invénit eos in Dóthaïn. Qui cùm vidíssent eum procul, ántequàm accéderet ad eos, cogitavérunt il-

lum occídere. Et mútuò loquebántur : Ecce somniátor venit; veníte occidámus eum, & mittámus in cistérnam véterem, dicemúsque: Fera péssima devorávit eum : & tunc apparébit quid illi prosint sómnia sua. Aúdiens autem hoc Ruben, nitebátur liberáre eum de mánibus eórum, & dicébat : Non interficiátis ánimam ejus, nec effundátis sánguinem : sed projícite eum in cistérnam hanc, quæ est in solitúdine, manúsque vestras serváte innóxias: hoc autem dicébat : volens erípere eum de mánibus eórum, & réddere patri suo. Conféstim ígitur ut pervénit ad fratres suos, nudavérunt eum túnicâ talári, & polymitâ; misérúntque eum in cistérnam véterẽ, quæ non habébat aquam. Et sedéntes ut comédérent panem, vidérunt Ismaëlítas viatóres veníre de Gálaad, & camélos eórum portántes arómata, & resínam, & stacten in Ægyptum.

℟. iij. Patriárchæ æmulántes, Joseph vendidérunt in Ægyptum; humiliavérunt in compédibus pedes ejus : sed erat Deus cum eo; *Et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. ℣. Vénditum justum non derelíquit Sapiéntia, sed à peccatóribus liberávit eum; *Et. Glória. *Et. *Aff.* 7. *Ps.* 104. *Sap.* 10.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. a. Sustinétis, si quis vos in servitútem rédigit, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur, si quis in fáciem vos cædit. 2. *Cor.* 11.

Ad Magníficat, *Ant* 8. G. Aliud semen cécidit in terram bonam, & ortum fecit fructũ céntuplum. Hæc dicens clamábat : Qui habet aures audiéndi, aúdiat. *Luc.* 8.

FERIA TERTIA.

De Libro Génesis.

Lectio j. *Cap.* 37. *v.* 26.

DIxit Judas frátribus suis : Quid nobis prodest, si occidérimus fratrem nostrum, & celavérimus sánguinẽ ipsíus? Mélius est ut venumdétur Ismaëlítis, & manus nostræ non polluántur : frater enim, & caro nostra est. Acquievérunt fratres sermónibus illíus. Et prætereúntibus Madianítis negotiatóribus, extrahéntes eum de cistérna vendidérunt eum Ismaëlítis, vigínti argénteis, qui duxérunt eum in Ægyptum. Reversúsque Ruben ad cistérnam, non invénit púerum. Et scissis véstibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non compáret, & ego quo ibo? Tulérunt autem túnicam ejus, & in sánguine hœdi, quem occíderant, tinxérunt: mitténtes qui ferrent ad pa-

trem, & dícerent: Hanc invénimus: vide utrum túnica filii tui sit, an non. Quam cùm agnovísset pater, ait: Túnica filii mei est, fera péssima comédit eum, béstia devorávit Joseph. Scissísque véstibus, indútus est cilício, lugens filium suum multo témpore. Congregátis autem cunctis líberis ejus ut lenírent dolórem patris, nóluit consolatiónem accípere; sed ait, Descéndam ad filium meum lugens in inférnum. Et illo perseveránte in fletu; Madianítæ vendidérunt Joseph in Ægypto Putíphari eunúcho Pharaónis magístro mílitum.

℟. j. Misit ante eos virum; in servum venúmdatus est Joseph. * Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, donec veníret verbum ejus. ℣. ℣. Madianítæ vendidérunt Joseph in Ægypto Putíphari eunúcho Pharaónis, magístro mílitum.* Humiliavérunt. *Ps.* 104. *Gen.* 37.

Lectio ij. Cap. 39. v. 7.

POst multos ítaque dies injécit dómina sua óculos suos in Joseph, & ait: Dormi mecum. Qui nequáquam acquiéscens óperi nefário, dixit ad eam: Quómodo possum hoc malum fácere, & peccáre in Deum meum? Hujuscémodi verbis per síngulos dies & múlier moléſta erat adolescénti: & ille recusábat ſtuprum. Accidit autem quâdam die ut intráret Joseph domũ, & óperis quídpiam absque árbitris fáceret. Et illa apprehénsâ laciniâ vestiménti ejus, díceret: Dormi mecũ. Qui relícto in manu ejus pállio fugit, & egréssus est foras. Cúmque vidísset múlier vestem in mánibus suis, & se esse contémptam, vocávit ad se hómines domûs suæ, & ait ad eos: En introdúxit virum Hebræum, ut illúderet nobis: ingréssus est ad me, ut coíret mecum: cúmque ego succlamássem, & audivísset vocem meam, relíquit pállium quod tenébam, & fugit foras. In arguméntum ergo fidei reténtum pállium osténdit maríto reverténti domum. Et ait: Ingréssus est ad me servus Hebræus quem adduxísti ut illúderet mihi; cúmque audísset me clamáre, relíquit pállium quod tenébam, & fugit foras. His audítis dóminus, & nímium crédulus verbis cónjugis, irátus est valdè; tradidítque Joseph in cárcerem, ubi vincti regis custodiebántur, & erat ibi clausus. Fuit autem Dóminus cum Joseph, & misértus illíus dedit ei grátiam in conspéctu príncipis cárceris, qui trádidit in manu illíus univérsos vinctos qui in custódia tene-

bántur : & quidquid fiébat, sub ipso erat. Nec nóverat áliquid, cunctis ei créditis: Dóminus enim erat cum illo, & ómnia ópera ejus dirigébat.

℞. ij. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? nescítis * Quóniam qui adhæret meretríci, unum corpus efficitur; qui autem adhæret Dómino, unus spíritus est. ℣. Per síngulos dies múlier moléesta erat adolescénti, & ille recusábat stuprum, * Quóniam. 1. *Cor.* 6. *Gen.* 39.

Lectio iij. *Cap.* 41.

Post duos annos vidit Phárao sómnium. Putábat se stare super flúvium, de quo ascendébant septem boves, pulcræ & crassæ nimis: & pascebántur in locis palústribus. Aliæ quoque septem emergébant de flúmine, fœdæ confectæque mácie: & pascebántur in ipsa amnis ripa, in locis viréntibus. Devoraverúntque eas, quarum mira spécies & habitúdo córporum erat. Expergefáctus Phárao, rursum dormívit, & vidit álterum sómnium: Septem spicæ pullulábant in culmo uno, plenæ atque formósæ. Aliæ quoque tótidem spicæ ténues & percússæ urédine oriebántur, devorántes omnẽ prióru pulcritúdinem. Evígilans Phárao post quiétem, & facto manè, pavóre pertérritus, misit ad omnes conjectóres Ægypti, cunctósque sapiéntes, & accersítis narrávit sómnium, nec erat qui interpretarétur. Tunc demũ reminíscens pincernárum magíster, ait: Confíteor peccátum meum. Irátus rex servis suis, me & magístrum pistórum retrúdi jussit in cárcerem príncipis mílitũ: ubi unâ nocte utérque vídimus sómnium præságum futurórum. Erat ibi puer Hebræus, ejúsdem ducis mílitum fámulus; cúi narrántes sómnia, audívimus quidquid pósteà rei probávit evéntus. Ego enim rédditus sum offício meo: & ille suspénsus est in cruce. Prótinus ad regis impérium edúctum de cárcere Joseph totondérunt: ac veste mutátâ, obtulérunt ei.

℞. iij. Descéndit Sapiéntia cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit illum, * Donec afférret illi sceptrum regni, & poténtiam advérsùs eos qui eum deprimébant. ℣. Dóminus erat cum illo, & ómnia ópera ejus dirigébat, * Donec. Glória. * Donec. *Sap.* 10. *Gen.* 39.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Minístri Christi sunt, (ut minùs sápiens dico) plus ego: in labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis supra modum, in mórtibus frequénter. 2. *Cor* 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 2. *to.* Interrogábant autem Jesum discípuli ejus, quæ esset hæc parábola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mystéria regni Dei, céteris autem in parábolis. *Luc.* 8.

FERIA QUARTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 41. *v.* 17.

NArrávit Phárao quod víderat...Respóndit Joseph: Nunc provídeat Rex virum sapiéntem & indústrium, & præfíciat eum terræ Ægypti: qui constítuat præpósitos per cunctas regiónes; & quintam partem frúctuum per septem annos fertilitátis, qui jam nunc futúri sunt, cóngreget in hórrea; & omne fruméntum sub Pharaónis potestáte condátur, servetúrque in úrbibus. Et præparétur futúræ septem annórum fami, quæ oppressúra est Ægyptum, & non consumétur terra inópiâ. Dixit ergo ad Joseph: Quia osténdit tibi Deus ómnia quæ locútus es, numquid sapientiórem & consímilem tuî inveníre pótero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantùm regni sólio te præcédam. Dixítque rursus Phárao ad Joseph: Ecce constítui te super univérsam terram Ægypti. Tulítque ánnulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus; vestivítque eum stolâ byssinâ, & collo torquem áuream circumpósuit, fecítque eum ascéndere super currum suum secúndum, clamánte præcóne, ut omnes coram eo genu fléccterent, & præpósitum esse scirent univérsæ terræ Ægypti. Dixit quoque Rex ad Joseph: Ego sum Phárao: absque tuo império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Vertítque nomen ejus, & vocávit eum (linguâ Ægyptíacâ) Salvatórem mundi. Dedítque illi uxórem Aseneth fíliam Putíphares sacerdótis Heliopóleos. Egréssus est ítaque Joseph ad terram Ægypti.

℟. j. Misit Rex, & solvit Joseph; * Constítuit eum dóminum domûs suæ, & príncipem omnis possessiónis suæ. ℣. Ut erudíret príncipes ejus, & senes ejus prudéntiam docéret, * Constítuit. *Ps.* 104.

Lectio ij. v. 53. *& C.* 42.

IGitur transáctis septem ubertátis annis, qui fúerant in Ægypto, cœpérunt veníre septem anni inópiæ, quos prædíxerat Joseph, & in univérso orbe fames præváluit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat. Aúdiens autem Jacob quòd aliménta venderéntur in Ægypto, dixit fíliis

suis: Quare neglígitis? audívi quòd tríticum venumdétur in Ægypto; descéndite, & émite nobis necessária, ut possímus vívere, & non consumámur inópiâ. Descendéntes ígitur fratres Joseph decem, ut émerent fruménta in Ægypto, (Bénjamin domi reténto à Jacob, qui díxerat frátribus ejus: Ne fortè in itínere quidquam patiátur mali,) ingréssi sunt terram Ægypti cum áliis qui pergébant ad eméndum. Erat autem fames in terra Chánaan: & Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum fruménta pópulis vendebántur. Cúmque adorássent eum fratres sui, & agnovísset eos, quasi ad aliénos dúriùs loquebátur, intérrogans eos: Unde venístis? Qui respondérunt: De terra Chánaan, ut emámus víctui necessária. Et tamen fratres ipse cognóscens, non est cógnitus ab eis. Recordatúsque somniórum, quæ aliquándo víderat, ait ad eos: Exploratóres estis: ut videátis infirmióra terræ venístis. Qui dixérunt: Non est ita, dómine, sed servi tui venérunt ut émerent cibos. Omnes fílii uníus viri sumus: pacífici venímus, nec quidquam fámuli tui machinántur mali.

℟. j. Nemo natus est ut Joseph princeps fratrum, firmaméntum gentis, stabiliméntum pópuli, * Et factus est dóminus Ægypti. ℣. Rex constítuit eum dóminum domûs suæ, & príncipem omnis possessiónis suæ; * Et. *Eccli.* 49. 1. *Machab.* 2. *Ps.* 104.

Lectio iij.

QUibus ille respóndit: áliter est: immunítá terræ hujus consideráre venístis. At illi: Duódecim, ínquiunt, servi tui, fratres sumus, fílii viri uníus in terra Chánaan: mínimus cum patre nostro est, alter non est super. Hoc est, ait, quod locútus sum: exploratóres estis. Jam nunc experiméntum vestrî cápiam: per salútem Pharaónis non egrediémini hinc, donec véniat frater vester mínimus. Míttite ex vobis unum, & addúcat eum: vos autem éritis in vínculis, donec probéntur quæ dixístis utrùm vera an falsa sint: alióquin per salútem Pharaónis exploratóres estis. Trádidit ergo illos custódiæ tribus diébus. Die autem tértio redúctis de cárcere, ait: Fácite quæ dixi, & vivétis: Deum enim tímeo. Si pacífici estis, frater vester unus ligétur in cárcere: vos autem abíte, & ferte fruménta quæ emístis, in domos vestras; & fratrem vestrum mínimum ad me addúcite, ut possim vestros probáre sermónes, & non

non moriámini. Fecérunt ut díxerat. Et locúti sunt ad ínvicem: Méritò hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum vidéntes angústiam ánimæ illíus, dum deprecarétur nos, & non audívimus: idcírcò venit super nos ista tribulátio.

℟. *iij.* Labóres. *p.* 453.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. *G.* Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci, nocte & die in profúndo maris fui. 2. *Cor.* 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui aúdiunt: deínde venit diábolus, & tollit verbum de corde eórum, ne credéntes salvi fiant. *Luc.* 8.

FERIA QUINTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. *Cap.* 42. *v.* 22.

Ruben ait: Numquid non dixi vobis, nolíte peccáre in púerum: & non audístis me? En sánguis ejus exquíritur. Nesciébant autem quòd intellígeret Joseph: eo quòd per intérpretem loquerétur ad eos. Avertítque se parúmper, & flevit: & revérsus locútus est ad eos. Tollénsque Symeon, & ligans illis præséntibus, jussit minístris ut implérent eórum saccos trítico, & repónerent pecúnias singulórum in sácculis suis, datis suprà cibáriis in viam: qui fecérunt ita. At illi portántes fruménta in ásinis suis, proféсti sunt. Apertóque unus sacco, ut daret juménto pábulum in divérsório, contemplátus pecúniam in ore sácculi, dixit frátribus suis: Rèddita est mihi pecúnia, en habétur in sacco. Et obstupefácti turbatíque, mútuo dixérunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? Venerúntque ad Jacob patrem suum in terram Chánaan, & narravérunt ei ómnia quæ accidíssent sibi, dicéntes: Locútus est nobis dóminus terræ durè, & putávit nos exploratóres esse provínciæ. Cúi respóndimus: Pacífici sumus, nec ullas mólimur insídias: Duódecim fratres uno patre géniti sumus: unus non est super, mínimus cum patre nostro est in terrà Chánaan. Qui ait nobis: Sic probábo quòd pacífici sitis: Fratrem vestrum unum dimíttite apud me, & cibária dómibus vestris necessária súmite, & abíte. Fratrémque vestrum mínimum addúcite ad me, ut sciam quòd non sitis exploratóres: & istum, qui tenétur in vínculis, recípere possítis: ac deínceps quæ vultis, eméndi habeátis licéntiam.

℟. *j.* Nemo natus est. *pag.* 480.

Lectio ij. *Cap. 43.*

INterim fames omnem terram veheménter premébat. Consumptísque cibis quos ex Ægypto detúlerant, dixit Jacob ad filios suos: Revertímini, & émite nobis pauxíllum escárum. Respóndit Judas: Denuntiávit nobis vir ille sub attestatióne juris jurándi, dicens: Non vidébitis fáciem meam, nisi fratrem vestrum mínimum adduxéritis vobíscum. Si ergo vis eum míttere nobíscum, pergémus páriter, & emémus tibi necessária. Sin autem non vis, non íbimus: vir enim, ut sæpè díximus, denuntiávit nobis, dicens: Non vidébitis fáciem meam absque fratre vestro mínimo. Dixit eis Israël: In meam hoc fecístis misériam, ut indicarétis ei & álium habére vos fratrem. At illi respondérunt: Interrogávit nos homo per órdinem nostram progéniem: si pater víveret: si haberémus fratrem: & nos respóndimus ei consequénter juxta id quod fúerat sciscitátus: numquid scire poterámus quòd dictúrus esset: Addúcite fratrem vestrum vobíscum? Judas quoque dixit patri suo: Mitte púerum mecum, ut proficiscámur, & possímus vívere; ne moriámur nos & párvuli nostri. Ego suscípio púerum: de manu mea requíre illum. Nisi redúxero, & reddídero eum tibi, ero peccáti reus in te omni témpore. Si non intercessísset dilátio, jam vice álterâ venissémus.

℟. ij. Labóres. *pag.* 453.

Lectio iij. C. 43. & C. 45. 1.

DEscenderúntque in Ægyptum, & stetérunt coram Joseph. Quos cùm ille vidísset, & Bénjamin simul, præcépit dispensatóri domûs suæ, dicens: Intróduc viros domum, & occíde víctimas, & ínstrue convívium: quóniam mecum sunt comestúri merídie. Fecit ille quod sibi fúerat imperátum, & introdúxit viros domum. Igitur ingréssus est Joseph domum suam, obtulerúntque ei múnera, tenéntes in mánibus suis: & adoravérunt proni in terram. At ille, cleménter resalutátis eis, interrogávit eos, dicens: Salvus-ne est pater vester senex de quo dixerátis mihi? Adhuc vivit? Qui respondérunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurváti, adoravérunt eum. Attóllens autem Joseph óculos, vidit Bénjamin fratrem suum uterínum, & aït: Iste est frater vester párvulus, de quo dixerátis mihi? Et rursum: Deus, inquit, misereátur tuî, fili mi. Festinavítque, quia commóta fúerant víscera ejus super fratre suo, & erumpé-

bant lácrymæ : & intróiens cubículum flevit. Non se póterat ultrà cohibére Joseph multis coram astántibus : unde præcépit ut egrederéntur cuncti foras, & nullus interésset aliénus agnitióni mútuæ.

℟. *iij.* Cùm audísset Jacob esse fruméntum in Ægypto, misit patres nostros primùm, & in secúndo * Cognitus est Joseph à frátribus suis, & manifestátum est Pharaóni genus ejus. ℣. Non se póterat ultrà cohibére Joseph multis coram adstántibus: unde præcépit ut egrederéntur cuncti foras, & nullus interésset aliénus agnitióni mútuæ. * Cógnitus. Glória. * Cógnitus. *Act. 7. Gen. 45.*

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. A. Quis infirmátur, & ego non infirmor? Quis scandalizátur, & ego non uror? 2. *Cor.* 11.

Ad Magnificat, *Ant.* 4. E. Qui supra petram, cum gáudio suscípiunt verbum, & hi radíces non habent; qui ad tempus credunt, & in témpore tentatiónis recédunt. *Luc.* 8.

FERIA SEXTA.

De Libro Génesis.

Lectio j. *Cap.* 45. *v* 2.

Elevávit Joseph vocē cum fletu, quam audiérunt Ægyptii, omnísque domus Pharaónis. Et dixit frátribus suis : Ego sum Joseph; adhuc pater meus vivit? Non póterant respondére fratres nímio terróre pertérriti. Ad quos ille cleménter : Accédite, inquit, ad me. Et cùm accessíssent prope, Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidístis in Ægyptum. Nolíte pavére, neque vobis durum esse videátur quòd vendidístis me in his regiónibus : pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Biénnium est enim quòd cœpit fames esse in terra; & adhuc quinque anni restant, quibus nec arári póterit, nec meti. Præmisítque me Deus, ut reservémini super terram, & escas ad vivéndum habére possítis. Non vestro consílio, sed Dei voluntáte huc missus sum : qui fecit me quasi patrem Pharaónis & dóminum univérsæ domûs ejus, ac príncipem in omni terra Ægypti. Festináte, & ascéndite ad patrem meum, & dicétis ei : Hæc mandat filius tuus Joseph: Deus fecit me dóminum univérsæ terræ Ægypti; descénde ad me, ne moréris. Et habitábis in terra Gessen, erísque juxta me tu, & fílii tui, & fílii filiórum tuórum, oves tuæ, & arménta tua : & univérsa quæ póssides; ibíque te pascam, (adhuc enim quinque anni resídui sunt famis) ne & tu péreas, & domus tua, & ómnia quæ póssides. En óculi

vestri, & óculi fratris mei Bénjamin vident quòd os meum loquátur ad vos. Nuntiáte patri meo univérsam glóriam meam, & cuncta quæ vidístis in Ægypto: festináte, & addúcite eum ad me.

℟. j. Cùm audísset Jacob esse fruméntum in Ægypto, misit patres nostros primùm, & in secúndo * Cógnitus est Joseph à frátribus suis, & manifestátum est Pharaóni genus ejus. ℣. En óculi vestri, & óculi fratris mei Bénjamin vident quòd os meum loquátur ad vos. * Cógnitus. *Act. 7. Gen. 45.*

Lectio ij.

Cúmque amplexátus recidísset in collum Bénjamin fratris sui, flevit; illo quoque simíliter flente super collum ejus: osculatúsque est Joseph omnes fratres suos, & plorávit super síngulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum. Auditúmque est, & célebri sermóne vulgátum in aula regis: Venérunt fratres Joseph: & gavísus est Phárao, atque omnis família ejus. Dixítque ad Joseph ut imperáret frátribus suis, dicens: Onerántes juménta, ite in terram Chánaan, & tóllite inde patrem vestrum & cognatiónem, & veníte ad me: & ego dabo vobis ómnia bona Ægypti, ut comedátis medúllam terræ. Præcipe étiã ut tollant plaustra de terrà Ægypti, ad subvectiónem parvulórum suórum ac cónjugum: & dícito: Tóllite patrem vestrum, & properáte quantóciùs veniéntes. Nec dimittátis quidquam de suppelléctili vestra: quia omnes opes Ægypti, vestræ erunt. Fecerúntque filii Israël ut eis mandátum fúerat. Quibus dedit Joseph plaustra, secúndùm Pharaónis impérium: & cibária in itínere. Síngulis quoque proférri jussit binas stolas: Bénjamin verò dedit trecéntos argénteos cum quinque stolis óptimis. Tantúmdem pecúniæ & véstium mittens patri suo, addens & ásinos decem, qui subvéherent ex ómnibus divítiis Ægypti: & tótidem ásinas, tríticum in itínere, panésque portántes. Dimísit ergo fratres suos, & proficiscéntibus ait: Ne irascámini in via. Qui ascendéntes ex Ægypto, venérunt in terram Chánaan ad patrem suum Jacob. Et nuntiavérunt ei, dicéntes: Joseph filius tuus vivit: & ipse dominátur in omni terra Ægypti. Quo audíto Jacob, quasi de gravi somno evígilans, tamen non credébat eis. Illi è contrà referébant omnem órdinem rei. Cúmque vidísset plaustra, & univérsa quæ míserat, revíxit spíritus ejus, Et ait; Sufficit

mihi si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam, & vidébo illum ántequàm móriar.

℟. ij. Mittens accersívit Jacob patrem suum & omnem cognatiónem suam in animábus septuagínta quinque; * Et descéndit Jacob in Ægyptum. ℣. Cùm vidísset Jacob univérsa quæ míserat, ait: Súfficit mihi, si fílius meus vivit; vadã, & vidébo illum ántequàm móriar. * Et descéndit. *Act.* 7. *Gen.* 45.

Lectio iij. *Cap.* 47.

INgréssus ergo Joseph nuntiávit Pharaóni, dicens: Pater meus & fratres, oves eórum & arménta, & cuncta quæ póssident, venérunt de Terra Chánaan: & ecce consístunt in Terra Gessen. Extrémos quoque fratrum suórum quínque viros constítuit coram rege. Quos ille interrogávit, Quid habétis óperis? Respondérunt: Pastóres óvium sumus servi tui, & nos, & patres nostri. Ad peregrinándum in terra tua vénimus: quóniam non est herba grégibus servórum tuórum, ingravescénte fame in terra Chánaan: petimúsque ut esse nos júbeas servos tuos in Terra Gessen. Dixit ítaque rex ad Joseph: Pater tuus & fratres tui venérunt ad te. Terra Ægypti in conspéctu tuo est: in óptimo loco fac eos habitáre, & trade eis Terram Gessen. Quòd si nosti in eis esse viros indústrios, constítue illos magístros pécorum meórum. Post hæc introdúxit Joseph patrem suum ad regem, & státuit eum coram eo: qui benedícens illi, & interrogátus ab eo, quot sunt dies annorum vitæ tuæ? Respóndit: Dies peregrinatiónis meæ centum trigínta annórum sunt, parvi & mali, & non pervenérunt usque ad dies patrum meórum quibus peregrináti sunt. Et benedícto rege, egréssus est foras. Joseph verò patri & frátribus suis dedit possessiónem in Ægypto in óptimo terræ loco, Raméßes, ut præcéperat Phárao. Et alébat eos, omnémque domum patris sui, præbens cibária síngulis. In toto enim orbe panis déerat, & oppresserat fames terram, máximè Ægypti & Chánaan.

℟. iij. Joseph in témpore angústiæ suæ custodívit mandátum, * Et factus est dóminus Ægypti. ℣. Dedit ei Deus grátiam & sapiéntiam in conspéctu Pharaónis, * Et. Glória. * Et. 1. *Machab.* 2. *Act.* 7.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Si gloriári opórtet, quæ infirmitátis meæ sunt gloriábor. 2. *Cor.* 11.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Quod in spinas cécidit: hi sunt qui áudiunt, & à sollicitu-

dínibus & divítiis & voluptátibus vitæ eúntes suffocántur, & non réferunt fructum. Luc. 8

SABBATO

De Libro Génesis.

Lectio j. Cap. 49.

VOcávit autem Jacob fílios suos, & ait eis: Congregámini, ut annúntiem quæ ventúra sunt vobis in diébus novíssimis. Congregámini, & audíte fílii Jacob, audíte Israël patrem vestrum. Ruben primogénitus meus, tu fortitúdo mea, & princípium dolóris mei, prior in donis, major in império. Effúsus es sicut aqua; non crescas, quia ascendísti cubíle patris tui, & maculásti stratum ejus. Symeon & Levi fratres: vasa iniquitátis bellántia. In consílium eórum non véniat ánima mea, & in cœtu illórum non sit glória mea; quia in furóre suo occidérunt virum, & in voluntáte sua suffodérunt murum. Maledíctus furor eórum, quia pértinax: & indignátio eórum, quia dura; dívidam eos in Jacob, & dispérgam eos in Israël? Juda, te laudábunt fratres tui: manus tua in cervícibus inimicórum tuórum, adorábunt te fílii patris tui. Cátulus leónis Juda: ad prædam fili mi ascendísti: requiéscens accubuísti ut leo, & quasi leæna, quis suscitábit eum? Non auferétur sceptrum de Juda, & dux de fémore ejus, donec véniat qui mitténdus est, & ipse erit exspectátio géntium. Ligans ad víneam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, ásinam suam. Lavábit in vino stolam suam, & in sánguine uvæ pállium suum. Pulcrióres sunt óculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidióres. Zábulon in líttore maris habitábit, & in statióne návium pertíngens usque ad Sidónem. Issachar ásinus fortis áccubans inter términos. Vidit réquiem quòd esset bona: & terram quòd óptima: & suppósuit húmerum suum ad portándum, factúsque est tribútis sérviens.

℞. j. Vide Jacob móriens síngulos filiórum benedíxit, * Et adorávit fastígium virgæ ejus. ℣. Congregámini, ut annúntiem quæ ventúra sunt vobis in diébus novíssimis. * Et adorávit. Hebr. 11. Gen. 49.

Lectio ij.

DAn judicábit pópulum suum, sicut & ália tribus in Israël. Fiat Dan cóluber in via, cerástes in sémita, mordens úngulas equi, ut cadat ascénsor ejus retrò. Salutáre tuũ exspectábo Dómine. Gad, accínctus præliábitur ante eum: & ipse accingétur retrórsum. Aser, pinguis panis ejus, & præbébit delícias régibus.

Néphthali, cervus emíssus, & dans elóquia pulcritúdinis. Fílius accréscens Joseph, filius accréscens & decórus aspéctu: fíliæ discurrérunt super murum. Sed exasperavérunt eum, & jurgáti sunt, invideróntque illi habéntes jácula. Sedit in forti arcus ejus, & dissolúta sunt víncula brachiórum & mánuum illíus per manus poténtis Jacob: inde pastor egréssus est lapis Israël. Deus patris tui erit adjútor tuus, & omnípotens benedícet tibi benedictiónibus cœli désuper, benedictiónibus abyssi jacéntis deórsum, benedictiónibus úberum & vulvæ. Benedictiónes patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus: donec veníret desidérium cóllium æternórum: fiant in cápite Joseph, & in vértice Nazaræi inter fratres suos. Bénjamin lupus rapax, manè cómedet prædã, & vésperè dívidet spólia. Omnes hi in tríbubus Israël duódecim. Hæc locútus est eis pater suus, benedixítque síngulis, benedictiónibus própriis. Et præcépit eis dicens: Ego cóngregor ad pópulum meum; sepelíte me cum pátribus meis in spelúnca dúplici, quæ est in agro Ephron Hethæi... Finitísque mandátis quibus fílios instruébat, collégit pedes suos super léctulum, & óbiit, appositúsque est ad pópulum suum.

℟. ij. Defúnctus est Jacob & patres nostri, & translati sunt in Sichem, * Et pósiti sunt in sepúlcro quod emit Abraham prétio argénti. ℣. Juxta fidẽ defúncti sunt omnes isti, non accéptis repromissiónibus, sed à longè aspiciéntes; * Et pósiti sunt. *Act.* 7. *Hebr.* 11.

Lectio iij. Cap. 50.

Quod cernens Joseph, ruit super fáciem patris flens & deósculans eum; præcepítque servis suis médicis ut aromátibus condírent patrem. Quibus jussa expléntibus, transiérunt quadragínta dies: iste quippe mos erat cadáverum conditórum: flevítque eum Ægyptus septuagínta diébus. Fecérunt ergo filii Jacob sicut præcéperat eis. Et portántes eum in Terram Chánaan, sepeliérunt eum in spelúnca dúplici, quam émerat Abraham cum agro in possessiónẽ sepúlcri ab Ephron Hethæo contra fáciem Mambre. Reversúsque est Joseph in Ægyptum cum frátribus suis, & omni comitátu, sepúlto patre. Quo mórtuo timéntes fratres ejus, & mútuò colloquéntes: Ne fortè memor sit injúriæ quam passus est, & reddat nobis omne malum quod fécimus. Mandavérunt ei, di-

céntes : Pater tuus præcépit nobis ántequam morerétur, ut hæc tibi verbis illíus dicerémus : Obsecro ut obliviscáris scéleris fratrum tuórum, & peccáti atque malítiæ quam exercuérunt in te : nos quoque orámus ut servis Dei patris tui dimíttas iniquitátem hanc. Quibus audítis flevit Joseph. Venerúntque ad eum fratres sui: & proni adorántes in terram, dixérunt : Servi tui sumus. Quibus ille respóndit : Nolíte timére : num Dei póssumus resístere voluntáti? Vos cogitástis de me malum : sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltáret me, sicut in præsentiárum cérnitis, & salvos fáceret multos pópulos. Nolíte timére : ego pascam vos & párvulos vestros, consolatúsque est eos, & blandè ac léniter est locútus. Et habitávit in Ægypto cum omni domo patris sui : vixítque centumdecem annis. Quibus transáctis, locútus est frátribus suis : Post mortem meam Deus visitábit vos, & ascéndere vos fáciet de terra ista ad terram quam jurávit Abraham, Isaac, & Jacob. Cúmque adjurásset eos atque dixísset : Deus visitábit vos : asportáte ossa mea vobíscum de loco isto ; mórtuus est, explétis centum decem vitæ suæ annis : & condítus aromáribus, repósitus est in lóculo in Ægypto.

℟. *iij*. Nemo natus est ut Joseph, princeps fratrum, firmaméntum gentis, stabiliméntum pópuli ; * Et ossa ipsíus visitáta sunt, & post mortem prophetavérunt. ℣. Fide Joseph móriens, de profectióne filiórum Israël memorátus est, & de óssibus suis mandávit ; * Et. Glória. * Et. *Eccli*. 49. *Hebr*. 11.

Ad Benedíctus, *Ant*. 7. c. Ter Dóminum rogávi ut discéderet à me stímulus carnis meæ ángelus sátanæ ; & dixit mihi : Súfficit grátia mea, nam virtus in infirmitáte perfícitur. 2. *Cor*. 12.

Ad Vesperas, *ut in Psalt.*

Ad Magníficat, *Ant*. 7. 2. Assúmpsit Jesus duódecim, & ait illis : Ecce ascéndimus Jerosólymam, & consummabúntur ómnia quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hóminis. *Luc*. 18.

Orat. Preces. *infrà in Laud.*

Completorium, *ut in Sabbato ante Dñicam in Septuages.*

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

IN I. NOCT.

Incipit Liber Exodi.

Lectio j. *Cap*. 1.

HÆc sunt nómina filiórum Israël, qui ingréssi sunt in Ægyptum cum Jacob : sínguli cum dómibus

suis introïérunt. Ruben, Symeon, Levi, Judas, Issachar, Zabúlon, & Bénjamin, Dan & Néphthali, Gad, & Aser. Erant ígitur omnes ánimæ eórum, qui egréssi sunt de fémore Jacob, septuagínta..... Fílii Israël crevérunt, & quasi germinántes multiplicáti sũt: ac roboráti nimis, implevérunt terram. Surréxit intéreà rex novus super Ægyptum, qui ignorábat Joseph. Et aït ad pópulum suum: Ecce, pópulus filiórum Israël multus, & fórtior nobis est. Veníte, sapiénter opprimámus eum, ne fortè multiplicétur: & si ingrúerit contra nos bellum, addátur inimícis nostris, expugnatísque nobis egrediátur de terra. Præpósuit ítaque eis magístros óperum ut afflígerent eos onéribus; ædificaverúntque urbes tabernaculórum Pharaóni Phithom & Raméßes: quantóque opprimébant eos, tantò magis multiplicabántur & crescébant; oderántque fílios Israël Ægyptii, & affligébant, illudéntes eis; atque ad amaritúdinem perducébant vitam eórum opéribus duris luti & láteris, omníque famulátu, quo in terræ opéribus premebántur. Dixit autem Rex Ægypti obstetrícibus Hebræórum, quarum una vocabátur Séphora, áltera Phua; præcípiens eis: Quando obstetricábitis Hebræas, & partûs tempus advénerit; si másculus fúerit, interfícite eum: si fémina, reserváte.

℟. j. Iste dies. *p.* 4.

Lectio ij. v. 17. *& Cap.* 2.

Timuérunt autem obstetríces Deum, & non fecérunt juxta præcéptum regis Ægypti, sed conservábant mares. Quibus accersítis, rex ait: Quidnam est hoc quod fácere voluístis, ut púeros servarétis? Quæ respondérunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulíeres; ipsæ enim obstetricándi habent sciéntiã, & priúsquam veniámus ad eas, páriunt. Benè ergo fecit Deus obstetrícibus; & crevit pópulus, confortatúsque est nimis. Et quia timuérunt obstetríces Deum, ædificávit eis domos. Præcépit ergo Phárao omni pópulo suo, dicens: Quidquid masculíni sexûs natum fúerit, in flumen projícite: quidquid feminíni, reserváte. Egréssus est post hæc vir de domo Levi, & accépit uxórem stirpis suæ, quæ concépit, & péperit fílium; & videns eum elegántẽ, abscóndit tribus ménsibus. Cúmque jam celáre non posset, sumpsit fiscéllam scírpeam, & linívit eam bitúmine ac pice, posuítque intus infántulum, & expósuit eum in caréctо ripæ

flúminis. Stante procul foróre ejus, & considerânte evéntum rei.

℟. ij. Dies sanctificátus. p. 4

Lectio iij.

ECce autem descendébat fília Pharaónis: ut lavarétur in flúmine; & puéllæ ejus gradiebántur per crepídinem álvei. Quæ cùm vidísset fiscéllam in papyrióne, misit unam è famulábus suis; & allátam apériens, cernénsque in ea párvulum vagiéntem, misérta ejus, ait: De infántibus Hebræórum est hic. Cúi soror púeri: Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulíerem Hebræam, quæ possit nutríre infántulum? Respóndit: Vade. Perréxit puélla, & vocávit matrem suam; ad quam locúta fília Pharaónis: Accipe, ait, púerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercédem tuam. Suscépit múlier, & nutrívit púerum, adultúmque trádidit fíliæ Pharaónis; quem illa adoptávit in locum fílii, vocavítque nomen ejus Móyses, dicens: Quia de aqua tuli eum. In diébus illis, postquàm créverat Móyses, egréssus est ad fratres suos; vidítque afflictiónem eórum, & virum Ægyptium percutiéntem quemdam de Hebræis frátribus suis; cúmque circumspexísset huc atque illuc, & nullum vidísset, percússum Ægyptium abscóndit sábulo. Et egréssus die áltero conspéxit duos Hebræos rixántes, dixítque ei qui faciébat injúriam: Quare pércutis próximum tuum? Qui respóndit: Quis constítuit príncipem & júdicem super nos? num occídere me vis, sicut heri occidísti Ægyptium? Tímuit Móyses, & ait: Quómodo palam factum est verbum istud? Audivítque Phárao sermónem hunc, & quærébat occídere Móysen; qui fúgiens de conspéctu ejus, morátus est in terra Mádian, & sedit juxta púteum.

℟. iij. Pascha nostrum. p. 4.

IN II. NOCT.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. *Cap. 11.*

IMitatóres mei estóte, sicut & ego Christi. Laudo autem vos fratres, quòd per ómnia mei mémores estis; & sicut trádidi vobis, præcépta mea tenétis. Volo autem vos scire quòd omnis viri caput Christus est; caput autem mulíeris, vir: caput verò Christi, Deus. Omnis vir orans, aut prophétans veláto cápite, detúrpat caput suum. Omnis autem múlier orans, aut prophétans non veláto cápite, detúrpat caput suum; unum enim est ac si decalvétur. Nam si non velátur múlier,

tondeátur. si verò turpe est mulíeri tondéri, aut decalvári, velet caput suum. Vir quidem non debet veláre caput suum, quóniam imágo & glória Dei est; múlier autem glória viri est. Non enim vir ex muliere est; sed múlier ex viro. Etenim non est creátus vir propter mulíerem, sed múlier propter virum. Ideò debet múlier potestátem habére supra caput propter Angelos.

℟. *iv.* Mulíeres viris suis súbditæ sint sicut Dómino, * Quóniam vir caput est mulíeris, sicut Christus caput est Ecclésiæ. ℣. Sicut Ecclésia subjécta est Christo, ita & mulíeres viris suis in ómnibus, * Quóniam. *Ephes.* 5.

Lectio v.

Verùmtamen neque vir sine muliére; neque múlier sine viro in Dómino. Nam sicut múlier de viro, ita & vir per mulíerem: ómnia autem ex Deo. Vos ipsi judicáte: decet mulíerem non velátam oráre Deum? Nec ipsa natúra docet vos, quòd vir quidem si comam nútriat, ignomínia est illi; múlier verò si comam nútriat, glória est illi: quóniam capílli pro velámine ei dati sunt. Si quis autem vidétur contentiósus esse; nos talem consuetúdinem non habémus, neque Ecclésia Dei. Hoc autem præcípio: non laudans quòd non in mélius, sed in detérius convenítis. Primùm quidem conveniéntibus vobis in Ecclésiam áudio scissúras esse inter vos, & ex parte credo. Nam opórtet & hæreses esse, ut & qui probáti sunt, manifésti fiant in vobis. Conveniéntibus ergo vobis in unũ, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit; álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum & bibéndum, aut Ecclésiam Dei contémnitis, & confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℟. *v.* Sint mulíeres cum verecúndia & sobrietáte ornántes se, & non in tortis crínibus vel veste pretiósa: múlier velet caput suum, * Quóniam múlier glória viri est. ℣. Rebécca procul conspécto Isaac, tollens citò pallíum opéruit se, * Quóniam. 1. *Tim.* 2. 1. *Cor.* 11. *Gen.* 24.

Lectio vj.

Ego enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens fregit, & dixit: Accípite, & man-

ducáte: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter & cálicem, poſtquàm cœnávit, dicens : Hic calix novum teſtaméntum eſt in meo ſánguine. Hoc fácite quotieſcúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotieſcúmque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis: mortem Dómini annuntiábitis donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígnè: reus erit córporis, & ſánguinis Dómini. Probet autem ſeípſum homo: & ſic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat & bibit indígnè, judícium ſibi mandúcat & bibit: non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infírmi & imbecílles, & dórmiunt multi. Quòd ſi noſmetípſos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, à Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque fratres mei, cùm convenítis ad manducándum, ínvicem exſpectáte. Si quis éſurit, domi mandúcet : ut non in judícium conveniátis. Cétera autem, cùm vénero, diſpónam.

℟. *vj.* Anima pollúta quæ éderit de cárnibus hóſtiæ pacificórum, quæ obláta eſt Dómino, períbit de pópulis ſuis. * Nolíte dare ſanctum cánibus. ℣. Probet ſeípſum homo, & ſic de pane illo edat, & de cálice bibat. * Nolíte. Glória. * Nolíte. *Levit.* 7. *Matth.* 7. 1. *Cor.* 11.

In III. Noct.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 18.

In illo témpore, Aſſúmpſit Jeſus duódecim & ait illis: Ecce aſcéndimus Jeroſólymá, & conſummabúntur ómnia quæ ſcripta ſunt per Prophétas de Fílio hóminis. Tradétur enim Géntibus, & illudétur, & flagellábitur & conſpuétur : & poſtquàm flagelláverint, occídent eum, & tértiâ die reſúrget. Et ipſi nihil horum intellexérunt, & erat verbum iſtud abſcónditum ab eis, & non intelligébant quæ dicebántur. Factum eſt autem, cùm appropinquáret Jéricho, cœcus quidam ſedébat ſecus viam, mendícans. Et cùm audíret turbam prætereúntem, interrogábat quid hoc eſſet. Dixérunt autem ei, quòd Jeſus Nazarénus tranſíret. Et clamávit, dicens: Jeſu fili David, miserére meî. Et qui præíbant, increpâbant eum ut tacéret. Ipſe verò multò magis clamábat : Fili David miſerére meî. Stans autem Jeſus juſſit illum addúci ad ſe. Et cùm

appropinquáſſet, interrogávit illum, dicens: Quid tibi vis fáciam? At ille dixit: Dómine, ut vídeam. Et Jeſus dixit illi: Réſpice, fides tua te ſalvum fecit. Et conféſtim vidit, & ſequebátur illum magníficans Deum. Et omnis plebs, ut vidit; dedit laudem Deo. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.
2. in Ev. hab. in Baſ. S. Petri Dominica in Quinquag.

REdémptor noſter, prævidens ex paſſióne ſua Diſcipulórum ánimos perturbándos, eis longè antè, & ejúſdem paſſiónis pœnam, & reſurrectiónis ſuæ glóriam prædíxit: ut cùm eum moriéntem, ſicut prædíctum eſt, cernerent; étiam reſurrectúrum non dubitárent.

℟. *vij.* Propóſuit Deus in diſpenſatióne plenitúdinis témporum inſtauráre ómnia in Chriſto, * Pacíficans per ſánguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt. ℣. Fílius hóminis tradétur Géntibus, & illudétur, & flagellábitur, & conſpuétur: & poſtquàm flagelláverint occídent eum, & tértiâ die reſúrget, * Pacíficans. *Epheſ.* 1. *Luc.* 18.

Lectio viij.

SEd quia carnáles adhuc Diſcípuli nullómodo valebant cápere verba myſtérii, venítur ad miráculum. Ante eórum óculos cœcus lumen récipit: ut qui cœléſtis myſtérii verba non cáperent, eos ad fidem cæléſtia facta ſolidárent.... Cœcus quippe eſt genus humánum, quod in parénte primo à paradíſi gaúdiis expúlſum, claritátem ſupérnæ lucis ignórans, damnatiónis ſuæ ténebras pátitur: ſed tamen per Redemptóris ſui præſéntiam illuminátur: ut ætérnæ lucis gaúdia jam per deſidérium vídeat, atque in via vitæ, boni óperis greſſus ponat.

℟. *viij.* Surdi audíte, & cæci intuémini ad vidéndum. * Quis cæcus, niſi ſervus meus? & ſurdus, niſi ad quem núntios meos miſi? ℣. Miniſtráte in fide veſtra virtútem, ſciéntiam, abſtinéntiam, pietátem. *Iſ.* 42. 2. *Petr.* 1.

Lectio ix.

QUiſquis ergo cæcitátis ſuæ ténebras agnóſcit, quiſquis hoc quod ſibi deeſt lumen æternitátis intélligit, clamet medúllis cordis, clamet & vócibus mentis, dicens: Jeſu fili David, miſerére meî. Sed quid, clamánte cæco, ſubjúngitur, audiámus: Et qui præíbant, increpábant eùm ut tacéret. Quid autem déſignant iſti qui Jeſum veniéntem præcédunt, niſi deſiderióꝛum carnálium turbas, tumultúſque

vitiórum? Qui, priúsquàm Jesus ad cor nostrum véniat, tentatiónibus suis cogitatiónem nostram díssipant, & voces cordis in oratióne pertúrbant. Sed quid adhuc illuminándus iste cæcus fecit, audiámus. Séquitur: Ipse verò multò magis clamábat: Fili David, miserére meî. Ecce, quem turba íncrepat ut táceat, magis ac magis clamat: quia quantò gravióri tumúltu cogitatiónum carnálium prémimur, tantò oratióni insístere ardéntiùs debémus.

℟. *ix.* Quóniam tu illúminas lucérnam meam Dómine; * Deus meus illúmina ténebras meas. ℣. Clamávit cæcus, dicens: Jesu fili David miserére meî; * Deus meus. Glória Patri. * Deus meus. *Ps.* 17. *Luc.* 18.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Si linguis hóminum loquar & angelórum, caritátem autem non hábeam; factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tínniens. 1. *Cor.* 13.

Oratio.

PReces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exaúdi; atque à peccatórum vínculis absolútos ab omni nos adversitáte custódi; Per.

Ad Horas, Antiphonæ & ℟℟. brevia ut in Psalterio.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. c: Tradétur Fílius hóminis Géntibus, & illudétur, & flagellábitur, & conspuétur: & postquàm flagelláverint, occídent eum, & tértiâ die resúrget. *Luc.* 18.

FERIA SECUNDA.

De Libro Exodi.

Lectio j. *Cap.* 3.

MOyses autem pascébat oves Jethro sóceri sui sacerdótis Mádian: cúmque mináffet gregem ad interióra desérti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuítque ei Dóminus in flamma ignis de médio rubi: & vidébat quòd rubus ardéret, & non comburerétur. Dixit ergo Móyses: Vadam, & vidébo visiónem hanc magnam, quare non comburátur rubus. Cernens autē Dóminus quòd pérgeret ad vidéndum, vocávit eum de médio rubi, & ait: Móyses, Móyses. Qui respóndit: Adsum. At ille: ne apprópies, inquit, huc: solve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et ait: Ego sum Deus patris tui: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Abscóndit Móyses fáciem suam: non enim audébat aspícere contra Deum. Cúi ait Dóminus: Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægypto, & clamórem ejus audívi propter durítiam eórum qui præsunt opéribus: & sciens dolórem

...s, descéndi ut líberem eum
...mánibus Ægyptiórum, &
...ducam de terra illa in terram
...nam & spatiósam, in ter-
...m quæ fluit lacte & melle,
...loca Chananæi, & Hethæi,
... Amorrhæi, & Pherezæi, &
...væi, & Jebusæi. Clamor
...o filiórum Israël venit ad
...: vidíque afflictiónem eó-
...m, quâ ab Ægyptiis oppri-
...ntur. Sed veni, & mittam
... ad Pharaónem, ut edúcas
...pulum meum, filios Israël
... Ægypto.

℟. j. Fide Móyses negávit
...esse filium filiæ Pharaónis,
Magis éligens affligi cum
...pulo Dei, quàm temporá-
... peccáti habére jucunditá-
...m. ℣. Majóres divítias æsti-
...ans thesaúro Ægyptiórum,
...propérium Christi: aspi-
...bat enim in remuneratió-
...m, * Magis. *Hebr.* 11.

Lectio ij.

Dixítque Móyses ad Deũ: Quis sum ego, ut vadam ... Pharaónem, ut edúcam ...os Israël de Ægypto? Qui ...it ei: Ego ero tecum; & ...c habébis signum, quòd ...iserim te: cùm edúxeris pó-...lum meum de Ægypto, im-...lábis Deo super montem ...um. Ait Móyses ad Deum: ...ce ego vadam ad filios Is-...ël, & dicam eis: Deus pa-...um vestrórum misit me ad ...os. Si díxerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Móysen: Ego sum qui sum. Ait; Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. Dixítque íterùm Deus ad Móysen: Hæc dices filiis Israël: Dóminus Deus patrum vestrórũ, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in ætérnum, & hoc memoriále meũ in generatiónem & generatiónem. Vade: & cóngrega senióres Israël, & dices ad eos: Dóminus Deus patrum vestrórum appáruit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, dicens: Vísitans visitávi vos, & vidi ómnia quæ accidérunt vobis in Ægypto. Et dixi ut edúcam vos de afflictióne Ægypti, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pheresæi, & Hevæi, & Jebusæi, ad terram fluéntem lacte & melle. Et aúdient vocem tuam, ingrediερísque tu, & senióres Israël, ad regem Ægypti, & dices ad eum: Dóminus Deus Hebræórum vocávit nos: íbimus viam trium diérum in solitúdinem, ut immolémus Dómino Deo nostro. Sed ego scio quòd non dimíttet vos rex Ægypti ut eátis, nisi per manum válidam. Exténdam enim manum meam, & percútiam Ægyptum in cunctis

mirabílibus meis, quæ factúrus sum in médio eórum: post hæc dimíttet vos. Dabóque grátiam pópulo huic coram Ægyptiis: & cùm egrediémini, non exíbitis vácui. Sed postulábit múlier à vicína sua & ab hóspita sua, vasa argéntea & aúrea, ac vestes: ponetísque eas super fílios & fílias vestras, & spoliábitis Ægyptum.

℟. ij. Intrávit sapiéntia in ánimam servi Dei,* Et pópulum justum liberávit à natiónibus quæ illum deprimébant. ℣. Misit Móysen servum suum; Aaron quem elégit ipsum, * Et pópulum. *Sap.* 10. *Ps.* 104.

Lectio iij. *Cap.* 4.

Respóndens Móyses, ait: Non credent mihi, neque aúdient vocem meam, sed dicent: Non appáruit tibi Dóminus. Dixit ergo ad eum: Quid est quod tenes in manu tua? Respóndit: Virga. Dixítque Dóminus: Prójice eam in terram. Projécit; & versa est in cólubrum: ita ut fúgeret Móyses. Dixítque Dóminus: Exténde manum tuam, & apprehénde caudam ejus. Exténdit, & ténuit: versáque est in virgam: ut credant (inquit) quòd appárúerit tibi Dóminus Deus patrum suórum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Dixítque Dóminus rursum: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm misísset in sinum, prótulit leprósam instar nivis. Rétrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retráxit, & prótulit íterum; & erat símilis carni réliquæ. Si non credíderint (inquit) tibi, neque audíerint sermónem signi prióris, credent verbo signi sequéntis. Quòd si nec duóbus quidem his signis credíderint, neque audíerint vocem tuam: sume aquam flúminis, & effúnde eam super áridam, & quidquid haúseris de flúvio, vertétur in sánguinem. Ait Móyses: Obsecro Dómine, non sum éloquens ab heri & nudiustértiùs: & ex quo locútus es ad servum tuum, impeditióris & tardióris linguæ sum. Dixit Dóminus ad eum: Quis fecit os hóminis? Aut quis fabricátus est mutum & surdum, vidéntem & cæcum? Nonne ego? Perge ígitur, & ego ero in ore tuo: docebóque te quid loquáris? At ille: Obsecro, inquit, Dómine, mitte quem missúrus es.

℟. iij. Nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini; * Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. ℣. Quis fecit os hóminis, aut quis fabricátus est mutum, & surdum; vidéntem & cœcum: nonne ego?* Non enim. Gló-

ria. * Non enim. *Matth.* 10. *Exod.* 4.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Si habúero omnem sciéntiam; & si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam; caritátem autem non habúero, nihil sum. 1. *Cor.* 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. g. Et ipsi nihil horum intellexérunt, & erat verbum istud abscónditum ab eis, & non intelligébant quæ dicebántur. *Luc.* 18.

FERIA TERTIA.

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 14.

IRátus Dóminus in Móysen, ait: Aaron frater tuus levítes, scio quòd éloquens sit: ecce ipse egréditur in occúrsum tuum, vidénsque te lætábitur corde. Lóquere ad eum, & pone verba mea in ore ejus, & ego ero in ore tuo, & in ore illíus, & osténdã vobis, quid ágere debeátis. Ipse loquétur pro te ad pópulum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pértinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua factúrus es signa. Abiit Móyses, & revérsus est ad Jethro sócerum suum, dixítque ei: Vadam, & revértar ad fratres meos in Ægyptum, ut vídeam si adhuc vivant. Cúi ait Jethro: vade in pace. Dixit ergo Dóminus ad Móysen in Mádian: Vade & revértere in Ægyptum; mórtui sunt enim omnes qui quærébant ánimam tuam. Tulit ergo Móyses uxórem suam, & fílios suos, & impósuit eos super ásinum, reversúsque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua. Dixítque ei Dóminus reverténti in Ægyptum: Vide ut ómnia osténta quæ pósui in manu tua, fácias coram Pharaóne: ego indurábo cor ejus, & non dimíttet pópulum. Dicésque ad eum: Hæc dicit Dóminus: Fílius meus primogénitus Israël. Dixi tibi: Dimítte fílium meum ut sérviat mihi; & noluísti dimíttere eum: ecce ego interfíciam fílium tuum primogénitum. Cúmque esset in itínere, in diversório occúrrit Dóminus, & volébat occídere eum? Tulit íllicò Séphora acutíssimam petram, & circumcídit præpútium fílii sui, tetigítque pedes ejus, & ait, Sponsus sánguinum tu mihi es. Et dimísit eum postquàm díxerat: Sponsus sánguinum, ob circumcisiónem. Dixit autem Dóminus ad Aaron: Vade in occúrsum Móysi in desértum. Qui perréxit óbviam ei in montem Dei, & osculátus est eum.

℟. j. Abraham. *p.* 465.

Lectio ij. C. 4. v. 29. & C. 5.

MOyses & Aaron venérunt simul, & congregavérunt cunctos senióres filiórum Israël: locutúsque est Aaron ómnia verba quæ díxerat Dóminus ad Móysen: & fecit signa coram pópulo. Et crédidit pópulus. Audierúntque quòd visitásset Dóminus filios Israël, & quòd respexísset afflictiónem illórum, & proni adoravérunt. Post hæc ingréssi sunt Móyses & Aaron, & dixérunt Pharaóni: Hæc dicit Dóminus Deus Israël: Dimítte pópulum meum ut sacríficet mihi in desérto. At ille respóndit: Quis est Dóminus, ut áudiam vocem ejus, & dimíttam Israël? néscio Dóminum, & Israël non dimíttam. Dixerúntque: Deus Hebræórum vocávit nos, ut eámus viam trium diérum in solitúdinem, & sacrificémus Dómino Deo nostro: ne fortè áccidat nobis pestis aut gládius. Ait ad eos rex Ægypti: Quare Móyses & Aaron sollicitátis pópulum ab opéribus suis? ite ad ónera vestra. Dixítque Phárao: Multus est pópulus terræ: vidétis quòd turba succréverit: quantò magis si dedéritis eis réquiem ab opéribus? Præcépit ergo in die illo præféctis óperum, & exactóribus pópuli, dicens. Nequáquam ultrà dábitis páleas pópulo ad conficiéndos láteres sicut priùs: sed ipsi vadant, & cólligant stípulas. Et mensúram láterum, quam priùs faciébant, imponétis super eos, nec minuétis quidquam: vacant enim, & idcírcò vociferántur, dicéntes: Eámus, & sacrificémus Deo nostro. Opprimántur opéribus & éxpleant ea: ut non acquiéscant verbis mendácibus. Igitur egréssi præfécti óperum & exactóres, ad pópulum dixérunt: Sic dicit Phárao: Non do vobis páleas. Ite, & collígite sícubi inveníre potéritis, nec minuétur quidquam de ópere vestro.

℟. *ij.* Ingravátum est cor Pharaónis, & servórum illíus, & indurátum nimis: * Nec dimísit filios Israël, sicut præcéperat Dóminus per manum Móysi. ℣. Sic dicit Phárao: Non do vobis páleas; ite, & collígite sícubi inveníre potéritis. * Nec. *Exod. 9. & 5.*

Lectio iij.

DIspersúsque est pópulus per omnem Terram Ægypti ad colligéndas páleas. Præfécti quoque óperum instábant, dicéntes: Compléte opus vestrum quotídie, ut priùs fácere solebátis quando dabántur vobis páleæ. Flagellatíque sunt qui præerant opéribus filiórum Israël, ab exactóribus Pharaónis, dicén-

tibus : Quare non implétis mensúram láterũ sicut priùs, nec heri, nec hódie? Venerúntque præpósiti filiórum Israël, & vociferáti sunt ad Pharaónem, dicéntes : Cur ita agis contra servos tuos? Páleæ non dantur nobis, & láteres símiliter imperántur? en fámuli tui flagéllis cædimur, & injústè ágitur contra pópulum tuum. Qui ait : Vacátis otio, & idcírcò dícitis : Eámus, & sacrificémus Dómino. Ite ergo, & operámini : páleæ non dabúntur vobis, & reddétis consuétum númerum láterum. Videbántque se præpósiti filiórum Israël in malo, eo quòd dicerétur eis : Non minuétur quidquam de latéribus per síngulos dies. Occurrerúntque Móysi & Aaron, qui stabant ex advérso, egrediéntibus à Pharaóne; Et dixérunt ad eos : Vídeat Dóminus & júdicet, quóniam fœtére fecístis odórem nostrum coram Pharaóne & servis ejus, & præbuístis ei gládium, ut occíderet nos. Reversúsque est Móyses ad Dóminum, & ait : Dómine, cur afflixísti pópulum istum? quare misísti me? Ex eo enim quo ingréssus sum ad Pharaónem ut lóquerer in nómine tuo, afflíxit pópulum tuum, & non liberásti eos.

℟. iij. Surge Deus, júdica causam tuam; * Quis enim dicet tibi, Quid fecísti? aut quis stabit contra judícium tuum? aut quis imputábit tibi si períerint natiónes quas tu fecísti. ℣. Revérsus est Móyses ad Dóminum, & ait : Dómine, cur afflixísti pópulum tuum, & non liberásti eos? * Quis enim. Glória. * Quis enim. *Sap.* 12. *Exod.* 5.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. Si distribúero in cibos paúperum omnes facultátes meas, & si tradídero corpus meum ita ut árdeam; caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest. 1. *Cor.* 13.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Cùm Jesus transíret, clamávit cœcus dicens; Jesu fili David, miserére meì. Et conféstim vidit, & sequebátur eum in via. *Luc.* 18.

FERIA IV. CINERUM, IN CAPITE JEJUNII.

[¶ *Si in Quadragesima occurrat Festum Solemne, vel Duplex feriatum in populo, fit Officium de eo, cum Commemoratione de Feria. At Festi non feriati in populo fit tantùm Commemoratio ritu aliarum Commemorationum quæ fiunt per annum; nisi fuerit Semiduplex, aut suprà; tunc enim fit ejus Commemoratio in utrisque Vesperis, Noct. & Laud. Matut.*]

AD NOCT.

Invitatorium, Dóminum qui venit vocáre peccatóres ad

pœniténtiam: Veníte adorémus. *Luc.* 5.

Et sic in omnibus Feriis per Quadragesimam.

Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

De Libro Exodi.

Lectio j. *Cap.* 6.

DIxit Dóminus ad Móysen: Nunc vidébis quæ factúrus sim Pharaóni; per manum enim fortem dimíttet eos, & in manu robústa ejíciet illos de terra sua. Locutúsque est Dóminus ad Móysen, dicens: Ego Dóminus, qui appárui Abraham, Isaac, & Jacob, in Deo omnipoténte; & nomen meum Adónaï non indicávi eis; pepigíque fœdus cum eis, ut darem eis terram Chánaan, terram peregrinatiónis eórum, in qua fuérunt ádvenæ. Ego audívi gémitum filiórum Israël, quo Ægyptii oppressérunt eos; & recordátus sum pacti mei. Ideò dic filiis Israël: Ego Dóminus qui edúcã vos de ergástulo Ægyptiórum, & éruam de servitúte: ac rédimam in bráchio excélso, & judíciis magnis. Et assúmam vos mihi in pópulum, & ero vester Deus; & sciétis quòd ego sum Dóminus Deus vester, qui eduxerim vos de ergástulo Ægyptiórum, & indúxerim in terram, super quam levávi manum meam, ut darem eam Abraham, Isaac, & Jacob; dabóque illam vobis possidéndam, ego Dóminus. Narrávit ergo Móyses ómnia filiis Israël, qui non acquievérunt ei propter angústiam spíritûs, & opus duríssimum. Locutúsque est Dóminus ad Móysen, dicens: Ingrédere, & lóquere ad Pharaónem regem Ægypti, ut dimíttat fílios Israël de terra sua. Respóndit Móyses coram Dómino: Ecce filii Israël non aúdiunt me: & quómodo aúdiet Phárao, præsértim cùm incircumcísus sim lábiis?

℟. j. Plángite sacerdótes, sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum in domum Dei vestri; * Et clamáte ad Dóminum, quia prope est dies Dómini. ℣. Implétum est tempus, & appropinquávit regnum Dei; pœnitémini, * Et. *Joel.* 1. *Marc.* 1.

Lectio ij. *Cap.* 10. & 12.

MOyses autem & Aaron fecérunt ómnia osténta quæ scripta sunt coram Pharaóne. Et indurávit Dóminus cor Pharaónis, nec dimísit filios Israël de terra sua. Dixit quoque Dóminus ad Móysen & Aaron in terra Ægypti: Mensis iste, vobis princípium ménsium, primus erit in ménsibus anni. Loquímini ad univérsum cœtum filiórum Israël, & dícite eis: Décimâ

...ie mensis hujus tollat unusquísque agnum per famílias & domos suas. Sin autem minor est númerus ut sufficere possit ad vescéndum agnum, assúmet vicínum suum, qui junctus est dómui suæ, juxta númerum animárum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque mácula, másculus, anniculus: juxta quem ritum tollétis & hœdum. Et servábitis eum usque ad quartam-décimam diem mensis hujus; immolabítque eum univérsa multitúdo filiórum Israël ad vésperam. Et sument de sánguine ejus, ac ponent super utrúmque postem, & in superlimináribus domórum in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes cum lactúcis agréstibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igni: caput cum pédibus ejus & intestínis vorábitis: nec remanébit quidquam ex eo usque manè; si quid resíduum fuerit, igne comburétis.

℟. ij. Non secúndùm peccata nostra fecit nobis, * Neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℣. Recordátus est quóniam pulvis sumus: homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit. *Neque. Ps. 102

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio iij. *Cap. 6.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cùm jejunátis, nolíte fieri sicut hypócritæ tristes; extérminant enim fácies suas, ut appáreant homínibus jejunántes. Amen dico vobis quia recepérunt mercédem suam. Tu autem cùm jejúnas, unge caput tuum, & fáciem tuam lava, ne videáris homínibus jejúnans, sed patri tuo, qui est in abscóndito: & pater tuus qui videt in abscóndito, reddet tibi. Et réliqua.

Homília sancti Basílii magni.

Hom. 1. de Jejunio, n. 2.

AD mystéria te vocat Scriptúra. Qui unctus est, inúnxit: qui ablútus fuit, ábluit. Transfer præcéptum ad intérna membra. Ablue ánimam à peccátis. Unge caput unguénto sancto, ut consórtium hábeas cum Christo; sicque accédito ad jejúnium. Noli obscuráre fáciem tuam more hypocritárum...Quæ enim ostentatiónis causâ fiunt, ea nequáquam pórrigunt fructum in séculum ventúrum, verùm in hóminum laudem cōmendatiónémque désinunt. Proïn hiláriter accúrre ad jejúnii donum. Vetus donum est jejúnium, quod non veteráscit, nec senéscit; sed usque

renovátur, sed perpétuo vigóre pubéscit.... Nec ulla est ínsula, nec ulla terra cóntinens, non cívitas, non gens ulla, non extrémus mundi ángulus, ubi non audiátur jejúnii edíctum. Quin & exércitus & viatóres, & nautæ, & negotiatóres, omnes páriter aúdiunt edíctum, & summo gaúdio excípiunt. Ne quis ígitur semet exclúdat à número jejunántium, in quo omne genus hóminum, omnis ætas, omnes dignitátum órdines recenséntur. Angeli sunt qui in síngulis ecclésiis descríbũt ac recénsent jejunántium cápita. Vide ne ob parvam eduliórum voluptátem simul & privéris Angeli recensióne, & teípsum apud eum qui exércitum collégit, obnóxium fácias desertóris crímini. Minus perículum foret, si quis fugiéndo scutum in ácie abjícere deprehenderétur, quàm si magnum illud scutum jejúnium videátur projecísse. Dives es? Ne jejúnium afféceris contuméliâ, exclúdens illud fastidiósè à mensæ tuæ consórtio, néve absque ullò honóre è domo tua ipsum expúleris, à voluptáte victum ac superátum; nequándo te reum péragat apud jejuniórum legislatórem, fiátque ut condemnéris ad lõgè majórem inédiam mulctæ nómine, sive ex advérsa valetúdine córporis, sive ex álio quópiam tristi casu. Contrà, qui pauper est, ne ludum jejúnium fáciat: quandóquidem illud jam olim habet & doméśticum & mensæ sócium. Porro muliéribus quàm est naturále respiráre, tam est convéniens jejúnium. Púeri velut plantæ vírides jejúnii aquâ irrigéntur. Sénibus levem reddit labórem contrácta jam olim cum jejúnio familiáritas: labóres síquidem quorum factum est experiméntum longo usu, minóre moléstiâ affíciunt exercitátos. Viatóribus expedítus itíneris comes est jejúnium.

℟. iij. Nolíte jejunáre, ut audiátur in excélso clamor vester: * Dissólve colligatiónes impietátis. Hoc est jejúnium quod elégi. ℣. Cùm jejúnas unge caput tuum, & fáciem tuam lava, ne videáris homínibus jejúnans. * Dissólve. Glória. * Dissólve. *Is.* 58. *Matth.* 6.

Ad Laudes Matutinas,

℣. *Sac.* Inter vestíbulum & altáre plorábunt sacerdótes minístri Dómini, & dicent: ℟. Parce Dómine, parce pópulo tuo. *Joël* 2.

Et dicitur in omnibus Feriis usque ad Dominicam Passionis.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. 2. Sanctificáte jejúnium, congregáte pópulum, sanctificá-

te Ecclésiam: egrediátur sponsus de cubíli suo, & sponsa de thálamo suo. *Joël 2. 16.*

Dicuntur Preces Feriales flexis genibus, ut in Laudibus Feriæ II. p. 42. Item ad Horas, p. 51. & ad Vesperas, cum Psalmo 50. Miserere meî Deus. *p.* cxxij. *Et sic in sequentibus Feriis hujus hebdomadæ.*

Oratio.

COncéde nobis Dómine præsídia milítiæ Christiánæ sanctis inchoáre jejúniis, ut contra spiritáles nequítias pugnatúri, continéntiæ muniámur auxíliis; Per.

Deinde Suffragia. p. 43.

VESPERÆ *dicuntur ante comestionem.*

Ad Magníficat, *Ant* 4. A. Thesaurizáte vobis thesaúros in cœlo, ubi nec ærúgo, nec tínea demolítur. *Matth. 6.*

Oratio.

PRæsta Dómine fidélibus tuis, ut jejuniórum veneránda solémnia & cóngruâ pietáte suscípiant, & secúrâ devotióne percúrrant; Per.

Deinde Preces ut in Psalterio p. 42. cum Psalmo 50. Miserére. *p.* cxxij. *& Suffragia p. 58.*

COMPLET. *ut in Psalterio.*

FERIA QUINTA.

post Cineres.

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 12. v. 11.

SIc comedétis agnum: Renes vestros accingétis, & calceaménta habébitis in pédibus, tenéntes báculos in mánibus, & comedétis festinánter: est enim Phase (id est tránsitus) Dómini. Et transíbo per Terram Ægypti nocte illa, percutiámque omne primogénitum in Terra Ægypti ab hómine usque ad pecus: & in cunctis diis Ægypti fáciam judícia, ego Dóminus. Erit autem sánguis vobis in signũ in ædibus in quibus éritis: & vidébo sánguinem, & transíbo vos: nec erit in vobis plaga dispérdens, quando percússero Terram Ægypti. Habébitis autem hunc diem in monuméntum: & celebrábitis eam solémnem Dómino in generatiónibus vestris cultu sempitérno. Septem diébus ázyma comedétis: in die primo non erit ferméntum in dómibus vestris: quicúmque comédetit fermentátum, períbit ánima illa de Israël, à primo die usque ad diem séptimum. Dies prima erit sancta atque solémnis, & dies séptima eâdem festivitáte venerábilis: nihil óperis faciétis in eis, excéptis his, quæ ad vescéndum pértinent. Et observábitis ázyma: in eádem enim ipsa die edúcam exércitum vestrum de Terra Ægypti, & custodiétis diem istum in generatiónes vestras ritu perpétuo. Primo mense, quartadécimâ die men-

sis ad vésperã comedétis ázyma usque ad diem vigésimam primam ejúsdem mensis ad vésperam. Septem diébus ferméntum non inveniétur in dómibus vestris; qui coméderit fermentátum, períbit ánima ejus de cœtu Israël; tam de ádvenis, quàm de indígenis terræ. Omne fermentátum non comedétis: in cunctis habitáculis vestris edétis ázyma.

℟. j. Epulémur non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ & nequítiæ, sed * In ázymis sinceritátis & veritátis. ℣. Omne fermentátum non comedétis: in cunctis habitáculis vestris edétis * In ázymis. 1. *Cor.* 5. *Exod.* 12.

Lectio ij.

Vocávit autem Móyses omnes senióres filiórum Israël, & dixit ad eos: Ite tolléntes ánimal per famílias vestras, & immoláte Phase. Fasciculúmque hyssópi tíngite in sánguine qui est in límine, & aspérgite ex eo superliminá-re, & utrúmque postem: nullus vestrûm egrediátur óstium domûs suæ usque manè. Transíbit enim Dóminus percútiens Ægyptios; cùmque víderit sánguinem in superlimināri & in utróque poste, transcéndet óstium domûs, & non sinet percussórem íngredi domos vestras & lædere. Custódi verbum istud legítimum tibi & filiis tuis usque in ætérnum. Cúmque introiéritis terram, quam Dóminus datúrus est vobis ut pollícitus est, observábitis ceremónias istas. Et cùm díxerint vobis filii vestri: Quæ est ista relígio? Dicétis eis: Víctima tránsitûs Dómini est, quando transívit super domos filiórum Israël in Ægypto percútiens Ægyptios, & domos nostras líberans. Incurvatúsque pópulus adorávit. Et egréssi filii Israël fecérunt sicut præcéperat Dóminus Móysi & Aaron. Factum est autem in noctis médio, percússit Dóminus omne primogénitum in Terra Ægypti, à primogénito Pharaónis, qui in sólio ejus sedébat, usque ad primogénitum captívæ quæ erat in cárcere, & omne primogénitum jumentórum.

℟. ij. Cùm quiétum siléntium continéret ómnia, & nox in suo cursu médium iter habéret, omnípotens sermo tuus de cælo à regálibus sédibus durus debellátor in médiam extermínii terram prosilívit, * Et replévit ómnia morte. ℣. In noctis médio percússit Dóminus omne primogénitum in terra Ægypti, * Et replévit. *Sap.* 18. *Exod.* 12.

Lectio iij. *Cap.* 8.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

IN illo témpore; Cùm introíssetJesusCaphárnaüm, accéssit ad eum Centúrio rogans eum, & dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus & malè torquétur. Et ait illi Jesus, Ego véniam & curábo eum. Et respóndens Centúrio ait: Dómine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo,& sanábitur puer meus. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi
Serm. 62. Edit. Ben.

AUdívimus, cùm Evangélium legerétur, fidem nostram in humilitáte laudári. Ad domũ quippe Centuriónis cùm se promítteret Dóminus Jesus itúrum, ut púerum ejus sanáret, ille respóndit: Non sum dignus ut sub tectum meum intres; sed tantùm dic verbum, & sanábitur. Dicéndo se indígnum, præstitit dignum; non in cujus paríetes, sed in cujus cor Christus intráret. Neque hoc díceret cum tantâ fide & humilitáte, nisi illum, quem timébat intráre in domum suam, corde gestáret. Nam non erat magna felícitas, si Dóminus Jesus intráret in paríetes ejus, & non esset in péctore ejus. Domum hujus Dóminus córpore non intrávit; & ejus tamen fidem atque ipsam domum absens córpore, præsens majestáte sanávit.

℞. iij. Dómine Deus, ecce tu fecísti cælum & terram in fortitúdine tua magna, & in bráchio tuo exténto, * Non erit tibi diffícile omne verbum. ℣. Centúrio ait: Dómine non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanábitur puer meus. * Non. Glória Patri. * Non. *Jer. 32. Matth. 8.*

Ad Benedíctus, *Ant. 1. a.* Factum est verbum Dómini ad Isáiam, dicens: Vade, & dic Ezéchiæ; Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui: Audívi oratiónem tuam, & vidi lácrymas tuas: ecce ego adjíciam super dies tuos quíndecim annos. *Is. 38.*

Oratio.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant. 2. to.* Fílii regni ejiciéntur in ténebras exterióres: ibi erit fletus, & stridor déntium. *Matth. 8.*

Oratio.

PArce, Dómine, parce pópulo tuo; ut dignis flagellatiónibus castigátus, in tua miseratióne respíret; Per Dóminum.

Completorium, ut in Feriis.

per annum; & sic in duabus sequentibus.

FERIA SEXTA.

post Cineres.

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 12. v. 30.

SUrréxit Phárao nocte, & omnes servi ejus, cunctáque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jacéret mórtuus. Vocatísque Phárao Móyse & Aaron nocte, ait: Súrgite & egrediémini à pópulo meo vos & filii Israël: ite, immoláte Dómino sicut dícitis. Oves vestras & arménta assúmite, ut petierátis, & abeúntes benedícite mihi. Urgebántque Ægyptii pópulum de terra exíre velóciter, dicéntes: Omnes moriémur. Tulit ígitur pópulus conspérsam farínam ántequàm fermentarétur: & ligans in pálliis, pósuit super húmeros suos. Fecerúntque filii Israël sicut præcéperat Móyses: & petiérunt ab Ægyptiis vasa argéntea & aúrea, vestémque plúrimam. Dóminus autem dedit grátiam pópulo coram Ægyptiis, ut commodárent eis: & spoliavérunt Ægyptios. Profectíque sunt filii Israël de Raméſſe in Socoth, sexcénta ferè míllia péditum virórum, ábsque párvulis. Sed & vulgus promíscuum innumerábile ascéndit cum eis, oves & arménta & animántia divérsi géneris multa nimis. Coxerúntque farínam, quam dudum de Ægypto conspérsam túlerant: & fecérunt subcinerícios panes ázymos: neque enim póterant fermentári, cogéntibus exíre Ægyptiis, & nullam fácere sinéntibus moram: nec pulménti quidquam occúrrerat præparáre.

℟. j. Edúxit eos cum argénto & auro, & non erat in tríbubus eórum infírmus. Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum, * Quia incúbuit timor eórum super eos. ℣. Urgébant Ægyptii pópulum de terra exíre velóciter, * Quia. *Ps. 104. Exod. 12.*

Lectio ij.

HAbitátio autem filiórum Israël quâ mansérunt in Ægypto, fuit quadringentórum trigínta annórum. Quibus explétis, eâdem die egréssus est omnis exércitus Dómini de terra Ægypti. Nox ista est obſervábilis Dómini, quando edúxit eos de Terra Ægypti: hanc observáre debent omnes filii Israël in generatiónibus suis. Dixítque Dóminus ad Móysen & Aaron: Hæc est relígio Pha[...] Omnis alienígena non com[...] det ex eo. Omnis autem [...] vus emptítius circumcidé[...] & sic cómedet. Advena & me[...]

cenárius non edent ex eo. In una domo comedétur, nec efferétis de cárnibus ejus foras, nec os illíus confringétis. Omnis cœtus filiórum Israël fáciet illud. Quod si quis peregrinórum in vestram volúerit transíre colóniam, & fácere Phase Dómini, circumcidétur priùs omne masculínum ejus, & tunc ritè celebrábit: eritque sicut indígena terræ: si quis autem circumcísus non fúerit, non vescétur ex eo. Eadem lex erit indígenæ & colóno qui peregrinátur apud vos. Fecerúntque omnes fílii Israël sicut præcéperat Dóminus Móysi & Aaron. Et eâdem die edúxit Dóminus fílios Israël de terra Ægypti per turmas suas.

℟. ij. Cum ázymis & lactúcis agréstibus comedent phase: non relínquent ex eo quídpiam usque manè, &* Os ejus non confríngent. ℣. Ad Jesum cùm veníssent mílites, non fregérunt ejus crura, ut Scriptúra implerétur, * Os ejus. *Num. 9. Joan. 19.*

Lectio iij. *Cap. 5.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

IN illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis: Audístis quia dictum est, Díliges próximum tuum, & ódio habébis inimícum tuum; ego autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros; benefácite his qui odérunt vos: & oráte pro persequéntibus & calumniántibus vos. Et réliqua.

Homília Sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. Comment in Matth.

EGo autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros, benefácite his qui odérunt vos. Multi præcépta Dei imbecillitáte suâ, non sanctórum víribus æstimántes, putant esse impossibília, quæ præcépta sunt: & dicunt sufficere virtútibus non odísse inimícos: céterum dilígere plus præcipi, quàm humána natúra patiátur. Sciéndum est ergo Christum non impossibília præcípere, sed perfécta quæ fecit David in Saül & in Absalom; Stéphanus quoque Martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus est: & Paulus anáthema cupit esse pro persecutóribus suis. Hæc autem Jesus & dócuit & fecit, dicens: Pater, ignósce illis.

℟. iij. Homo in hóminem símilem sibi non habet misericórdiam, & propitiatiónem petit à Deo? Quis exorábit pro delíctis illíus?* Relínque próximo tuo nocénti te: & tunc deprecánti tibi peccáta solvéntur. ℣. Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam, & peccáta illíus servans servábit.*Relínque. Gló-

ria. * Relinque. *Ezech.* 28.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. *d.** Hoc est magis jejúnium quod elégi; dissólve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes; dimítte eos qui confrácti sunt líberos, & omne onus dirúmpe; frange esuriénti panem tuum, & egénos vagósque induc in domum tuam: cùm víderis nudum, óperi eum, & carnem tuam ne despéxeris. *Is.* 58.

Oratio.

INchoáta jejúnia, quǽsumus Dómine, beníguo favóre proséquere, ut obsérvántiam quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam sincéris exercére valeámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Si dilígitis eos qui vos díligunt, quam mercédem habébitis? Nonne & publicáni hoc fáciunt? *Matth.* 5.

Oratio.

TUére Dómine pópulum tuum, & ab ómnibus peccátis cleménter emúnda; quia ei nulla nocébit advérsitas, si nulla ei dominétur iníquitas; Per Dóminum.

SABBATO

post Cineres.

De Libro Exodi.

Lectio j. *Cap.* 13.

LOcútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Sanctífica mihi omne primogénitum quod áperit vulvam in fíliis Israël, tam de homínibus quàm de juméntis: mea sunt enim ómnia. Et ait Móyses ad pópulum: Mementóte diéi hujus in qua egréssi estis de Ægypto & de domo servitútis, quóniam in manu forti edúxit vos Dóminus de loco isto: ut non comedátis fermentátum panem. Hódie egrediémini mense novárum frugum. Cúmque introdúxerit te Dóminus in Terram Chananæi & Hethæi & Amorrhæi & Hevæi & Jebusæi, quam jurávit pátribus tuis ut daret tibi, terram fluéntem lacte & melle, celebrábis hunc morem sacrórum mense isto. Septem diébus vescéris ázymis: & in die séptimo erit solémnitas Dómini. Azyma comedétis septem diébus: non apparébit apud te áliquid fermentátum; nec in cunctis fínibus tuis. Narrabísque fílio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit mihi Dóminus quando egréssus sum de Ægypto. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monuméntum ante óculos tuos, & ut lex Dómini semper sit in ore tuo; in manu enim forti edúxit te Dóminus de Ægypto. Custódies hujuscémodi cultum statúto témpore à diébus in dies.

℟. j. Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova con-

spérsio, sicut estis ázymi. * Itaque epulémur non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ & nequítiæ. ℣. Non apparébit apud te áliquid fermentátum, nec in cunctis fínibus tuis. * Itaque. 1. *Cor* 5. *Exod.* 13.

Lectio ij.

CUmque introdúxerit te Dóminus in Terrã Chananæi, sicut jurávit tibi & pátribus tuis, & déderit tibi eam, separábis omne quod áperit vulvam Dómino, & quod primitívum est in pecóribus tuis: quidquid habúeris masculíni sexûs, consecrábis Dómino. Primogénitum ásini mutábis ove: quod si non redémeris, interfícies. Omne autem primogénitum hóminis de fíliis tuis, prétio rédimes. Cúmque interrogáverit te fílius tuus cras, dicens: Quid est hoc, respondébis ei: In manu forti edúxit nos Dóminus de terra Ægypti, de domo servitútis. Nam cùm indurátus esset Phárao & nollet nos dimíttere, occídit Dóminus omne primogénitum in Terra Ægypti, à primogénito hóminis usque ad primogénitum jumentórum: idcircò ímmolo Dómino omne quod áperit vulvam masculíni sexûs, ómnia primogénita filiórum meórum rédimo. Erit ígitur quasi signum in manu tua, & quasi appénsum quid ob recordatiónem, inter óculos tuos: eo quòd in manu forti edúxit nos Dóminus de Ægypto. Igitur cùm emisísset Phárao pópulum, non eos duxit Deus per viam Terræ Philísthiim quæ vicína est: réputans ne fortè pœnitéret eum, si vidísset advérsum se bella consúrgere, & reverterétur in Ægyptum. Sed circumdúxit per viam desérti, quæ est juxta Mare rubrum: & armáti ascendérunt filii Israël de Terra Ægypti. Tulit quoque Móyses ossa Joseph secum: eo quòd adjurásset fílios Israël, dicens: Visitábit vos Deus, efférte ossa mea hinc vobíscum.

℟. ij. Fide Joseph, móriens, de profectióne filiórum Israël memorátus est, * Et de óssibus suis mandávit. ℣. Tulit Móyses ossa Joseph secum, eò quòd adjurásset fílios Israël, * Et. *Hebr.* 11. *Exod.* 13.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio iij. *Cap.* 6.

IN illo témpore; Cùm serò esset, erat navis in médio mari, & Jesus solus in terra. Et videns discípulos laborántes in remigándo (erat enim ventus contrárius eis) & circa quartam vigíliam noctis venit ad eos ámbulans supra mare: & volébat præteríre

eos. Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 2. in Marc. Cap. 28.

LAbor discipulórum in remigándo, & contrárius eis ventus, labóres sanctæ Ecclésiæ vários desígnat, quæ inter undas séculi adversántes, & immundórum flatus spirítuum, ad quiétem pátriæ cœléstis, quasi ad fidam líttoris statiónem perveníre conátur. Videt Dóminus laborántes in mari, quamvis ipse pósitus sit in terra: quia etsi ad horam differre videátur auxílium tribulátis impéndere; nihilóminùs eos, ne in tribulatiónibus defíciant, suæ respéctu pietátis corróborat; & aliquándo étiam maniféfto adjutório, victis adversitátibus, quasi calcátis sedatísque flúctuum volumínibus líberat.

℟. *iij.* In moménto indignatiónis abscóndi fáciem meam parúmper à te, & * In misericórdia sempitérna miséertus sum tuî, dixit Redémptor tuus Dóminus. ℣. Paupércula, tempestáte convúlsa, absque ulla consolatióne, * In. Glória.* In. *Is.* 54.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. 2. Cùm effúderis esuriénti ánimam tuam, & ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, & ténebræ tuæ erunt sicut merídies. *Is.* 58.

Oratio.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris; & concéde ut hoc solémne jejúnium, quod animábus corporibúsque curándis salúbriter institútum est, devóto servítio celebrémus; Per Dóminum nostrum.



PROPRIUM SANCTORUM.

PARS HIEMALIS.

¶ Festum Duplex, & Solemne etiam, in Dominicis Adventûs occurrens, transfertur in primam diem simili Festo non impeditam.

Toto tempore Adventûs fit tantummodò Officium de Festis Duplicibus & suprà, cum Commemoratione Adventûs, etiam in Festo Solemni, per Ant. propriam, ℣. & Orationem Dominicæ præcedentis, nisi habeatur propria; & per Lectionem Evangelii & Homiliæ cum suo ℟. si propriam habuerit.

De ceteris Festis inferioris gradûs fit tantùm Commemoratio in Vesp. Noct. & Laud. Matut.

De Vigiliis occurrentibus in Adventu non fit Officium; sed dicitur Missa tantùm.

† Cùm in Officio de Tempore fit Commemoratio de Sancto, si sit Dominica, Lectio ix legitur de eo; si de duobus Sanctis sunt duæ Lectiones, de iis erunt Lectiones viij. & ix. Si verò sit Feria, Lectiones j. & ij. erunt de Scriptura occurrente, ex duabus una, cum suis ℟. j. & iij. sine Gloria Patri. Lectio iij. erit de Sancto cum suo ℟. Si duæ sint Lectiones de Sanctis, de Scriptura occurrente erit ex tribus una cum suo ℟. iij. aliæ duæ de Sanctis cum suis ℟.

Si autem illa Feria sit cum jejunio, vel Vigilia, in Semidupl. & Simpl. Lectio j. fiet ex tribus Script. occurr. Lectionibus una; Lectio ij. erit Evang. & Homil. de Jejunio cum suo ℟. tertia de Sancto, cujus prima est Commemoratio; altera Lectio de secundo Sancto omittetur.

In quibuslibet Festis Psalmi semper dicuntur juxta Feriam ut in Psalterio. Vide Rubricas ad diem 2. Januarii positas.

DIE XXIX. NOVEMBRIS,

S. SATURNINI

TOLOSANI EPISC. & MART.

Commemoratio,

Pridie IN VESP. *ut in Comm. unius Martyris, p.* xj.

Oratio, Omnípotens. *ibid.*

Lectio iij. vel ix.

Ex Greg. Turon. l.1. Hist. c.28. & Actis editis à Ruinartio.

SAturnínus à Románo Pontífice unà cum sex áliis Epíscopis missus in Gállias, & Tolósæ Póntifex constitútus,

multos ab idólis ad Christum convértit. Dæmónibus qui ibi colebántur ádeò terríbilis, ut frustrà sacrifíciis animáliũ evocáti, orácula réddere cessáverint. Tam inexspectáto siléntio commóti Gentíles, ímpetu facto Saturnínum in Capitólium urbis traxérunt, comminánti duríssimam mortem, nisi more pátrio diis sacrificáret. Quod cùm renuísset, pedes ejus tauro alligárunt, qui sanctum Præsulem per declíves gradus Capitólii raptátum, collíso cápite, excússo cérebro, membrísque discérptis interémit post médium tértii séculi. Exánime corpus tandem à tauro distráctum est, quoad, rupto fune, accéptum & lígneo immíssum féretro, mulíeres duæ in alta scrobe tumultuáriò condidérunt. Invéntum est pósteà ab Hilário Tolosáno Epíscopo, qui effóssâ circum humo sacras véritus relíquias commovére, túmulum superimpósuit, & oratórium exstrúxit.

℟. *iij.* Certámen forte. *p.* xiij.

In Laud. Mat. *fit Commemor. S. Saturnini, p.* xvij.

Die XXX. Novembris,

FESTUM.

S. ANDREÆ APOSTOLI

Duplex majus.

In I. Vesperis,

Ad Magníficat, *Ant* 1. *D.* Erat Andréas frater Simónis Petri, unus ex duódecim qui audíerant à Joánne, & secúti fúerant Jesum. Invénit Andréas fratrem suum Simónem, & dicit ei: Invénimus Messíam. *Joan.* 1.

Quæ Aña ad Magníficat, *duplicatur, dicitur scilicet integra ante & post* Magníficat, *sicque in omnibus Duplicibus, & suprà.*

Oratio, Omnípotens Deus. *ut infrà in Laud. Mat.*

Fit Commemoratio de Adventu.

In I. Noct.

Tres Lectiones dicuntur de Scriptura occurr. cum suis ℟. *Et sic in omnibus Festivitatibus* ix. *Lectionum, nisi aliter notetur.*

In II. Noct.

Lectio iv.

Ex Evang. Euseb. Lib. 3. *Hist. Paulino Carm.* 9. & 27. *& aliis.*

Andréas Betsáïdæ natus, qui est Galilææ vicus, frater Petri, discípulus Joánnis Baptístæ, cùm Joánnem de Christo dicéntem audísset: Ecce Agnus Dei; secútus Jesum, fratrem quoque suum ad Jesum perdúxit. Cúm pósteà unà cum fratre piscarétur in mari Galilææ, ambo à præteréunte Christo Dómino ante álios Apóstolos vocáti his verbis: Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum; & relíctis rétibus, nullam interponéntes moram,

secúti sunt eum. Andréas in Scythia fidē prædicávit. Cúmque in Græciam perveníſſet, multis ab idolórum cultu ad Christum coléndum addúctis, urbem Patras suâ morte nobilitávit. Ejus relíquias Constantínus ædificátâ Constantinópoli in urbem tránstulit; quarū étiā nonnúllæ témpore sancti Paulíni Nolæ in sancti Felícis Basílicâ asservabántur.

Lectio v. *Serm.* 133.

Sermo S. Petri Chrysólogi.

Beátus Andréas hódie moriéndo Dómino æstuans & anhélans, toto virtútis gradu Domínicis incúmbit hærére vestígiis; ne eum cursus fáciat dísparem fratri, quē natúra símilem, vocátio sócium, parem grátia ipsa perfécerat. Ad unam vocem Dómini, sicut ille, patrem, pátriam, censum relíquit... Solum est quod témpore Domínicæ passiónis fugit; sed neque hoc impar, quia non est grávius fúgere, quàm negáre. Sed tacénda sunt tália: æquávit fratrem vénia, quos sic discréverat culpa. Nam crucem quam refúgerant, pósteà conjúnctis víribus ardénter invádunt, ut unde reátum súmpserant, inde conscénderent cælum, inde præmium súmerent & corónam. Petrus namque crucem, árborem conscéndit Andréas: ut qui Christo cómpati gestiébant, in semetípsis figúram formámque ipsíus exprímerent passiónis: & redémpti ligno consummaréntur ad palmam. Sic Andréas noster etsi cedit órdini, præmio tamen non cedit & labóri.

Lectio vj.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Andrea.

Beáti Andréæ Apóstoli solémnitas hódie celebrátur: quam si piâ sollicitúdine perscrutémur, multa inveniémus in ea quæ ædíficent ánimas nostras. In ipso síquidem conversiónis suæ inítio, magnū nobis perféctæ obediéntiæ præstat exémplum, quod quidem Christiánis ómnibus est necessárium. At sola est cáritas, quæ obediéntiam gratā facit & acceptábilem Deo: hílarem quippe datórem díligit Deus. Unde autem [in Andréa jam jam moritúro] tam spirituális mens fuit, tam fervens cáritas, ánimus tam robústus? Planè Spíritus erat qui adjuvábat infirmitátem ejus, per quem diffundebátur in corde ipsíus cáritas fortis ut mors, imò & fórtior morte: cujus ô si & nos partícipes inveniámur! sicut enim beáto Andréæ crucem & mortem ipsam; sic nobis quoque labórem & pœniténtiam fáceret non solùm non moléstam, sed étiam desiderábilem atque omníno de-

lectábilem esse.

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore, Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus, & Andréā fratrem ejus, mitténtes rete in mare: (erant enim piscatóres,) & ait illis: Veníte post me, & fáciam vos fieri piscatóres hóminum. At illi contínuò relíctis rétibus secúti sunt eum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homiliâ 5. in Evang. hab. in Basilica S. Andreæ in Pallara die Nat. ejus.

AUdístis, fratres caríssimi, quia ad uníus jussiónis vocem Petrus & Andréas relíctis rétibus secúti sunt Redemptórem; & ad unum Dómini præcéptum, hoc quod possidére videbántur, oblíti sunt. In cælo jam sedet, qui de conversióne nos ádmonet, jam jugo fídei colla géntium súbdidit, jam mundi glóriam stravit, jam ruínis ejus crebrescéntibus, districti sui judícii diem propinquántem demónstrat; & tamen supérba mens nostra non vult hoc sponte desérere, quod quotídie perdit invíta. Quid ergo, caríssimi, quid in ejus judício dictúri sumus, qui ab amóre præséntis séculi nec præcéptis fléctimur, nec verbéribus emendámur?

Lectio viij.

SEd fortásse áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam utérque iste piscátor quid aut quantum dimísit, qui penè nihil hábuit? Sed in hac re, fratres caríssimi, affectum debémus pótiùs pensáre, quàm censum. Multum relíquit, qui quantúmlibet parum, totum deséruit. Certè nos & hábita cum amóre possidémus; & ea quæ mínimè habémus, ex desidério quærimus. Multum ergo Petrus & Andréas dimísit, quando utérque étiam desidéria habéndi relíquit.

Lectio ix.

QUia ergo, fratres caríssimi, beáti Andréæ Apóstoli natalítia celebrámus, debémus imitári quod cólimus. Osténdat nostræ obséquium devotiónis, immutátæ solémnitas mentis; despiciámus quæ terréna sunt, relíctis temporálibus mercémur ætérna: Si autem necdum póssumus relínquere própria; saltem non concupiscámus aliéna; si necdum mens nostra accénditur igne caritátis, in ambitióne sua hábeat frenum timóris; ut proféctûs sui pássibus vegetáta, dum ab alienórum appetítu compéscitur, quandóque ad

própria contemnénda perducátur adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo.

Te Deum.

Et dicitur in quibuslibet Festis.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. g. Vidit Jesus Simónem & Andréam fratrem ejus mitténtes rétia in mare, & dixit eis: Veníte post me, & fáciam vos fieri piscatóres hóminum; & prótinus relíctis rétibus secúti sunt eum. *Marc.* 1.

Oratio.

Omnípotens Deus, qui beáto Andréæ Apóstolo tuo Christo confígi in cruce tribuísti: præsta, quæsumus, eódem intercedénte, ut terréna in nobismetípsis desidéria crucifigéntes, tibi fírmiter adhærére valeámus; Per.

Fit Commemoratio de Adventu.

In Vesp. *Ad* Magníficat, *Ant.* 8. c. Omnia detriméntum feci, ut Christum lucrifáciam ad cognoscéndum illum, & virtútem resurrectiónis ejus, & societátem passiónum illíus; configurátus morti ejus. *Philipp.* 3.

Orat. Omnípotens. *ut suprà.*

Fit Commem. de Feria; Deinde de S. Eligio, ut in Comm. SS. Pontif. p. xxix. *Oratio*, Exaúdi. *p.* xxxv.

Die I. Decembris,
S. ELIGII
Novioménsis Episcopi
Commemoratio,

De Comm. SS. Pontif. Oratio, Exaúdi. *p.* xxxv.

Lectio iij.

Ex ejus Vita Aut. S. Audoëno.

Ligius Lémovix, aurífaber indústrius, relíctâ pátriâ in Fránciam se cóntulit, ubi perítiæ suæ famâ Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte, & gravem pœniténtiam perégit. Ex eo témpore in ópera pietátis omni stúdio incúbuit, & quidquid arte suâ comparábat, illud totum fovéndis egénis & captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio rediméndis, erogábat. Non minus accéptus Dagobérto quàm Clotário patri, & ab illo ad Arcmoricórum regem pacis componéndæ causâ missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Vária ejus hortátu & impénsis exstrúcta sunt templa & monastéria. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit; Parísiis ædificávit monastérium vírginum, ad quarũ córpora sepeliénda Ecclésiam sancti Pauli constrúxit. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto, & gemmis ornávit sepúlcra Sanctórum, & miro decorávit artifício. Simoníacam labem in Gállia junctis cum Audoéno stúdiis

exstirpavit. Mórtuo Achário, Noviomensis creátus est Epíscopus, & Rotómagi unà cum sancto Audoéno consecrátus. Non solùm salúti gregis sibi commíssi consúluit, sed & Flandros ac Frísios ad Christum addúxit. Sedit in Concílio Cabilonénsi sub Clodovéo secúndo. Quasdam præclárè scripsit Homílias quæ ad nos pervenérunt. Miráculis clarus, Noviómi óbiit septuagenárius. Ejus funus Regína Bathíldis pedes, nec sine lácrymis cum líberis & tota família prosecúta est.

℟. iij. Lex veritátis. p. xl.

DIE II. DECEMBRIS,

S. FRANCISCI XAVERII PRESBYTERI

Commemoratio,

Pridie IN VESPERIS, *per*

Ant. 5. a. Opórtet te prophetáre Géntibus & pópulis, & linguis, & Régibus multis. *Apoc.* 10.

℣. Annuntiávit inter gentes glóriam Dómini, ℟. Et in pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

Orat. Omnípotens. p. liij.

Lectio iij.

Ex S. Francisci Xav. Epistolis, & Vita Autore Turselino.

FRancíscus in castéllo Xavério regni Navárrici ex nóbili família natus, præclaris ártibus & sciéntiis Parísiis óperam dedit. Ibi verò plausûs & auræ populáris studiósior, pósteà sancti Ignátii Lóyolæ, cujus mónita despéxerat, obséquiis, mansuetúdine, & caritáte victus, ab inánis famæ cupídine resípuit, & ejus disciplínæ se commísit. Cum Joánnes tértius Lusitániæ Rex viros áliquot nascéntis Societátis quos in Indias mítteret à Paulo tértio postulásset, id múneris Xavério impónitur. In ipso itínere ad humíllima quæque & vília, licèt Legáti Apostólici dignitáte ornátus, se se demittébat. In Indias appúlsus, multa hóminum míllia, Judæos, Gentíles, Mahumetános, Reges ac Príncipes imménsis labóribus exantlátis, pluribúsque éditis miráculis Religióni Christiánæ sociávit. Obiit in Sanciáno Sinárum ínsula die secúndâ Decémbris anno millésimo quingentésimo quinquagésimo secúndo; & à Gregório décimo-quinto Sanctórum albo est inscríptus.

℟. iij. Vado, quæ ventúra sint mihi ignórans, sed nihil véreor; nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me; *Dúmmodò consúmmem cursum meum, & ministérium verbi quod accépi à Dómino Jesu. ℣. Ego non solùm alligári, sed & mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu, Dúmmodò. Glória Patri. * Dúmmodò. *Act.* 20. & 21.

In Laud. Matut. *pro Commemoratione ejusdem*, *Ant.* Nolíte gaudére. *in Comm. SS. Presbyt. p.* liij.

℣. Annuntiávi, & locútus sum; ℟. Multiplicáti sunt super númerum. *Ps.* 39.

Oratio, Omnípotens sempitérne. *p.* liij.

Die IV. Decembris,
S. SIGIRANNI
Abbatis Longoretensis
Commemoratio,

Pridie In Vesp. *per Ant.* Omnis qui relíquerit. ℣. In umbra. *p.* lv. *& Orat.* Deus, cujus múnere. *p.* lxj.

Lectio iij.

Ex ejus Vita, *Secul.* 2. *Ben.*

Sigiránnus in solo Bituricénsi ex clara & nóbili progénie ortus, Francórum Regis in pueritia fuit Pincérna deputátus. In Aula váriis distráctus curis, divérsis circúmdatus honóribus, médias inter voluptátum illécebras, Dómino nihilóminùs inténtus íntegrum vitæ scelerísque purum in ómnibus se præbuit. Sub véstibus illis pretiósis quas præséntia Regis postulábat, crebrò utebátur cilício, quandóque étiam domi rémanens in vilióri hábitu humilitátis aut caritátis ópera exercébat. Turónos beáti confessóris Martíni límina adívit, ut comâ detónsâ se in Dómini servitúte mancipáret. Quód áudiens Póntifex civitátis illíus, gratantérque accípiens, eum in Clericórum grémio collocávit. Non multò pòst ab ejúsdem loci íncolis unanímiter Archidiáconus eléctus, ómnibus Diœcésis Ecclésiis à Pontífice subrogátus est. Cum Fálvio Hibernénsi Epíscopo magnæ sanctitátis viro Romam perréxit. Inde revérsus duo Monastéria constrúxit, unum in loco qui Millebéccus dícitur intra saltus Briónis, álterum Longoreténse in eódem tractu, habens è regióne flúvium Clásia vocitátum, ubi sub beáti Benedícti Régula cóngruum Mónachis constrúxit ædifícium, & illos sub sanctórum Patrum institútis vitam transígere mónuit; ibíque multis ante & post mortem miráculis clarus mórtuus est anno círciter sexcentésimo quinquagésimo quinto. In vetérrimo Usuárdi Martyrológio ejus memória consignátur prídie Nonas Decémbris. Hujus Monastérii provéntus adhuc supérstites Régiâ pietáte & munificéntiâ atque ad amplióren Episcopátûs Nivernénsis dotatiónẽ mensæ Episcopáli uníti fuére ad supplicatiónem Caroli tunc Nivernénsis Epíscopi, ex Decréto sanctíssimi Pontíficis Innocéntii décimi tértii dato mense Sep-

tembri anni milléſimi ſeptingentéſimi vigéſimi ſecúndi; detráctâ tamen portióne non exíguâ in grátiam Seminárii Nivernénſis, ut ibi à Cléricis perſolvátur illud officium, quod olim à Mónachis.

℟. *iij.* Licèt is. *p.* lix. *cum* Glória Patri.

In Laud. Mat. *fit Commemor. S. Sigiranni. p.* lxj.

Die VI. Decembris,

S. NICOLAI MYRENSIS EPISCOPI

Commemoratio,

Pridie In Vesp. *ut in Com. Pontif. p.* xxix.

Oratio, Concéde quæſumus. *infrà in Laud. Mat.*

Lectio iij.

Nicoláüs Myræ in Lycia Epíſcopus magnam nóminis celebritátem multis à ſéculis cùm apud Græcos tum apud Latínos conſecútus eſt: nec dúbium quin perpétuâ iſtâ fidélium ómnium in peculiárem ejus veneratiónem conſpiratióne, Deus volúerit insígnem ejus ſanctitátem declarári. Sacrárum ejus exuviárum in Itáliam advectióne non parum auctus eſt per Occidéntem, qui diu antè ibi vigébat, tanti viri cultus. Eréctæ in ejus honórem basílicæ plures, longè latéque diffúſus dies ejúſdem feſtus, miraculórum magnitúdo & frequéntia, quibus Magni & Thaumatúrgi nomen ſortítus eſt, teſtátum id ſatis ſuperque fáciunt: ut non immeritò Theóphanes díxerit, Sicut locus nullus eſt beneficiórum ejus expers, ita nullum omníno eſſe ab illíus ſolemnitáte aliénum. Obiiſſe créditur circa annum trecentéſimum trigéſimum ſextum.

℟. *iij.* Quis eſt fidélis diſpenſátor. *p.* xxxiij.

In Laud. Mat. *fit ejuſdem Commemor. Com. Pontif. p.* xxxv.

Oratio.

Concéde quæſumus omnípotens Deus, ut Eccléſia tua quæ beáti Nicolái Pontíficis virtútum & miraculórum glóriâ corúſcat; ejus interceſſióne & méritis perpétuâ pace atque unitáte lætétur; Per Dóminum.

Die VIII. Decembris,

IN CONCEPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS

Solemne minus.

Ad I. Vesperas,

Pſalmi Feriales ſuper

Ant. 8. G. Tulit Dóminus Deus hóminem, & póſuit eum in paradíſo voluptátis: præcepítque ei Deus dicens: Ex omni ligno paradíſi cómede. *Geneſ. c.* 2.

Ant. 6. F. De ligno autem ſciéntiæ boni & mali ne cómedas: in quocúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris. *Ibid.*

Ant. 2. 10. Dixit serpens ad mulíerem, Nequáquam morte moriémini. *Genes.* 3.

Ant. 8. G. Vidit múlier quòd bonum esset lignum ad vescéndum; & comédit; dedítque viro suo, qui comédit. *Ibid.*

Ant. 8. c. Ait Dóminus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus; ipsa cónteret caput tuum. *Ibid.*

Capitulum *Isa.* 11. 1.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet; & requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymnus, Ave maris stella, *ut infrà in Officio parvo B. V. Mariæ. p.* cviij.

℣. Surge Dómine in réquiem tuam, ℟. Tu, & Arca sanctificatiónis tuæ. *Ps.* 131.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Dóminus fáciens & formans te; ab útero auxiliátor tuus. *Is.* 44.

Oratio, Fámulis tuis. *infrà in Laud. Matut.*

Et fit Commemoratio Adventûs.

Ad Completorium, *Hym.* Virgo Dei Génitrix. *ut in Officio parvo B. V. M. p.* cx.

Ad Vigilias,

Invitatorium, Sanctificántem tabernáculum suum * Veníte adorémus Dñum. *Ps.* 45.

Psalmus, Veníte. *p.* 1.

Hymnus.

QUis ore digno te canat,
Virgo Dei puérpera?
Adéste puri spíritus,
Vestri sit illud múneris.

Quod prima mater pérdidit,
Mater repónis áltera.
Mors ipsa nobis prófuit,
Dum vita per te rédditur.

Tu dux olympi prævia,
Clausas diu pandis fores,
Nos éxsules, nos ádvenas
Reddas patérnis sédibus.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu
In sempitérna sécula. Amen.

Dicuntur Psalmi de Feria.

In I. Noct.

Ant. 1. f. Ipsa est múlier, quam præparávit Dóminus fílio Dómini mei. *Gen.* 24.

Ant. 4. E. Benedícam ei, & ex illa dabo Fílium cúi benedictúrus sum. *Gen.* 17.

Ant. 4. f. Constítuam pactum meum illi in fœdus sempitérnum, & sémini ejus post eum. *Ibid.*

℣. Dóminus dabit benignitátem, ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* 84.

Tres Lectiones & tria ℟. *de Scriptura occurrente.*

In II. Noct.

Ant. 7. a. Fecit Beséleel arcam de lignis scetim, vestivítque eam auro puríssimo intus ac foris. *Exod* 37.

Ant. 8. G. Fecit Sálomon

thronum de ébore, & non erat factum tale opus in univérsis regnis. 3. *Reg.* 10.

Ant. 6. F. Ex te egrediétur qui sit Dominátor in Israël. *Mich.* 5.

℣. Egréssus ejus ab inítio,
℟. A diébus æternitátis. *Ibid.*

De Cánticis Canticórum.

Lectio iv. Cap. 1. *v.* 14. *&* *c.* 2

ECce tu pulcra es amíca mea, ecce tu pulcra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decórus. Léctulus noster flóridus: tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina. Ego flos campi, & lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter filios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctā, quoadúsque ipsa velit. Vox diléčti mei, ecce iste venit sáliens in montibus, transíliens colles: Símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, & veni.

℟. iv. Ecce nubécula parva quasi vestígium hóminis ascendébat de mari, * Et facta est plúvia grandis. ℣. Respéxit Dóminus humilitátem ancíllæ suæ; * Et. 3. *Reg.* 18 *Luc.* 1.

Lectio v. v. 13. *&* *c.* 3. *v.* 6.

SUrge amíca mea, speciósa mea, & veni: Colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, & fácies tua decóra. Cápite nobis vulpes párvulas, quæ demoliúntur víneas. Nam vínea nostra flóruit. Diléctus meus mihi, & ego illi, qui páscitur inter lília. Donec aspíret dies, & inclinéntur umbræ. Revértere: símilis esto, diléčte mi, cápreæ, hinnulóque cervórum super montes Bether... Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ, & thuris, & univérsi púlveris pigmentárii? En léctulum Salomónis sexagínta fortes ámbiunt ex fortíssimis Israël: Omnes tenéntes glá-

dios, & ad bella doctíssimi: uniuscujúsque ensis super femur suum propter timóres nocturnos. Férculum fecit sibi rex Sálomon de lignis Líbani. Colúmnas ejus fecit argénteas, reclinatórium aúreum, ascénsum purpúreum: médiâ caritáte constrávit propter filias Jerúsalem: Egredímini & vidéte fíliæ Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, & in die lætítiæ cordis ejus.

℟. *v.* Soror nostra es, crescas in mille míllia, & * Possídeat semen tuum portas inimicórum suórum. ℣. Ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, serviámus illi. * Possídeat. *Gen.* 24. *Luc.* 1.

Lectio vj. Cap. 4.

QUàm pulcra es amíca mea, quàm pulcra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Capílli tui sicut greges caprárum, quæ ascendérunt de monte Gálaad. Dentes tui sicut greges tonsárum, quæ ascendérunt de lavácro, omnes geméllis fétibus, & stérilis non est inter eas. Sicut vitta coccínea, lábia tua: & elóquium tuũ dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David, collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis: mille clípei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium... Tota pulcra es amíca mea, & mácula non est in te.

℟. *vj.* Una est colúmba mea, perfécta mea: * Vidérunt eam fíliæ, & beatíssimam prædicavérunt, regínæ & laudavérunt eam. ℣. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias: * Vidérunt. Glória. * Vidérunt. *Cant.* 6. & 2.

In III. Noct.

Ant. 1. *to.* Quasi dilúculum præparátus est egréssus ejus. *Osée* 6.

Ant. 3. a. Quasi stella matutína, & quasi luna plena in diébus suis lucet. *Eccli.* 50.

Ant. 3. g. Glória ejus à partu, & ab útero, & à concéptu. *Osée.* 9.

℣. Glorióſa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Ps.* 86.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIber generatiónis Jesu Christi fílii David; fílii Abraham: Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. *de Consensu Evangel. Cap.* 2. *Edit. Ben.*

MAtthæus Evangelísta sic exórsus est: Liber generatiónis Jesu Christi, fi-

lii David, filii Abraham. Qui exórdio suo satis osténdit, generatiónem Christi secúndùm carnem se suscepísse narrándam. Secúndùm hanc enim Christus filius hóminis est, quod étiam se ipse sæpíssimè appéllat, comméndans nobis quid misericórditer dignátus sit esse pro nobis. Nam illa supérna & ætérna generátio, secúndum quam Fílius Dei unigénitus est ante omnem creatúram, quia ómnia per ipsum facta sunt, ita ineffábilis est, ut de illa dictum à Prophéta intelligátur, Generatiónem ejus quis enarrábit?

℞. *vij.* Suscépit Deus Israël púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ: * Sicut locútus est ad patres nostros, Abraham & sémini ejus in sécula. ℣. Recordátus est misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israël: * Sicut. *Luc.* 1. *Ps.* 97.

Lectio viij.

CUm autem evidénter dicat Apóstolus Paulus, ex sémine David secúndùm carnem Christum, ipsam quoque Maríam de stirpe David áliquam consanguinitátem duxísse dubitáre útique non debémus. Cujus féminæ quóniam nec sacerdotále genus tacétur, insinuánte Lucâ quòd cognáta esset Elísabet, quam dicit de filiábus Aaron: firmíssimè tenéndum est, carnem Christi ex utróque género propagátam, & Regum scílicet & Sacerdótum, in quibus persónis apud illum pópulum Hebræórum étiam mystica únctio figurabátur, id est chrisma, unde Christi nomen elúcet, tantò antè étiam illâ evidentíssimâ significatióne prænuntiátum.

℞. *viij.* Própior est nostra salus. * Nox præcéssit, dies autem appropinquávit; abjiciámus ergo ópera tenebrárum. ℣. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens? * Nox. *Rom.* 13. *Cant.* 6.

Lectio ix.

Ex Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. in Nativ. B. Virg. M.

TOtis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus, & votis ómnibus Maríam hanc venerémur: quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc (inquam) volúntas ejus est, sed pro nobis. In ómnibus siquidem & per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere; solo audítu térritus, ad fólia fugiébas: Jesum tibi dedit mediatórem. Quid non

apud talem Patrem Filius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia sua.

℟. ix. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, * Et sanctum nomen ejus. ℣. Ipse est laus tua, Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnália; * Et. Glória. ℟. Beátam. *Luc.* 1. *Deuter.* 19.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS,

℣. *Sac.* Hymnum cantémus Dómino, ℟. Qui in ancílla sua adimplévit misericórdiam suam. *Judith.* 16.

Psalmi de Feria super

Ant. 8. G. HOrtus conclúsus, soror mea sponsa; hortus conclúsus, fons signátus. *Cant.* 4.

Ant. 8. G. Ego diléсto meo, & diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

Ant. 7. d. * Diléctus meus inter úbera mea commorábitur. *Cant.* 1.

Ant. 8. G. Pulcra es amíca mea; suávis, & decóra, sicut Jerúsalem. *Ibid.*

Ant. 1. f. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, & quasi flos rosárum in diébus vernis. *Eccli.* 50.

Capitulum. *Cant.* 6. 9.

QUæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulcra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Hymnus.

AUróra quæ solem paris,
Et ipsa solis fília,
Quàm spléndidum, cùm náſceris,
Affers diem mortálibus!
Qui tabe nos inféceerat
Serpéntis elídis caput;
Attrítus ætérno jacet
Non jam timéndus vúlnere.
Fac Virgo, quem scimus Deum
Veníſſe terris hóspitem,
Per te manens nobis adhuc
Nostri sit hospes péctoris.
Qui natus es de Vírgine
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.

Quæ Doxologia etiam dicitur ad Horas in fine Hymnorum.

℣. Sicut lux auróræ oriénte sole, ℟. Manè absque núbibus rútilat. 2. *Reg.* 23.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. *G.* In me ancílla sua adimplévit Dóminus Deus noster misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël. *Judith.* 13.

Oratio.

FAmulis tuis, quæsumus Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre, ut quibus beátæ Maríæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium, Conceptiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum; Per Dóminum.

Fit Commemoratio Adventûs.

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Hortus conclúsus.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 5. de Pecc. Origin.

Declárat sancta Synodus non esse suæ intentiónis comprehéndere in decréto, ubi de peccáto origináli ágitur, beátam & immaculátam Vírginem Maríam Dei genitrícem: sed observándas esse Constitutiónes felícis recordatiónis Sixti Papæ quarti sub pœnis in eis Constitutiónibus conténtis, quas ínnovat.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Ego diléƈto meo.

Capitulum. Exod. 29. 44.

SAnctificábo tabernáculum testimónii; & habitábo in médio filiórum Israël, eróque eis Deus; & scient quia ego Dóminus Deus eórum.

℟. *br.* Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus, * Allelúia, allelúia. ℟. Sanctificávit. ℣. Deus in médio ejus; non commovébitur.* Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Sanctificávit. ℣. Habitábit in tabernáculo tuo, ℟. Requiéscet in monte sancto tuo. *Ps.* 45. & 14.

AD SEXTAM.

Ant. 1. f. Quasi arcus refúlgens. *suprà in Laud. Mat.*

Capitulum. Cant. 6. 3.

PUlcra es amíca mea, suávis & decóra sicut Jerúsalem; terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. *br.* Tota pulcra es amíca mea; * Allelúia, allelúia. ℟. Tota. ℣. Et mácula non est in te.* Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Tota.

℣. Concupíscet Rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum. *Cant.* 4. & *Ps.* 44.

AD NONAM.

Ant. 7. d. * Diléctus meus. *in Laud. Matut.*

Capitulum. Jerem. 31.

CReávit Dóminus novum super terram: fémina circúmdabit virum.

℟. *br.* Elégit eam Deus in habitatiónem sibi; * Allelúia, allelúia. ℟. Elégit. ℣. Super ipsam efflorébit sanctificátio mea. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Elégit.

℣. Hîc habitábo, ℟. Quóniam elégi eam. *Ps.* 13. & 131.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ ut in Laud. Mat.

Psalmi de Feria.

Capitulum. Apoc. 21. 3.

ECce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis; & ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. Beátam me dicent. *p.* 513.

Hymnus, Quis ore digno. *suprà ad Vigilias. p.* 519.

℣. Vultum tuum depreca-

búntur ℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13

Oratio, Fámulis tuis. *suprà in Laud. Mat. p.* 523.

Fit Commemoratio Adventûs.

In Completorio, *Hymnus*, Virgo Dei Génitrix. *ut in Officio parvo B. V. Mariæ, p.* cx.

Die XIII. Decembris,

S. LUCIÆ

Virginis et Martyris

Commemoratio,

Pridiè In Vesperis *ut in Communi SS. Virginum. Oratio*, Deus qui inter cétera. *p.* lxxviij.

Lectio iij.

Ex ejus Actis apud Mombricium.

Lucia virgo Syracusána génere, & Christiána fide nóbilis, cum matre Eutychía quæ sánguinis fluxu laborábat Cátinam proféćta est, beátæ Agathæ corpus veneratúra. Quæ ad ejus sepúlcrum cùm suppliciter orásset, Agathæ intercessióne matri sanitátem impetrávit: & continuò matrem exorávit, ut quam sibi dotem esset datúra, Christi paupéribus tribui paterétur. Ut ígitur Syracúsas rédiit, pecúniam omnem quam ex vénditis facultátibus collégerat, in paúperes erogávit. Quod ubi rescívit is cúi paréntes eam renuéntem despónderant, apud Paschásium Præféctum Lúciam quòd Christiána esset accusávit. Ardens irâ Paschásius, Lúciam váriis ac sævíssimis torméntis cruciátam, tandem carníficis gládio transfígi jussit anno círciter trecentésimo quarto.

℟. iij. Quid mihi est in cælo. *p.* lxxvij.

In Laudibus Matut, *Commemor. S. Luciæ ut in Comm. SS. Virginum.*

Die XV. Decembris,

S. EUSEBII VERCELL.

Episcopi et Confessoris

Commemoratio,

Pridiè In Vesp. *ut in Com. unius Mart.*

Oratio, Deus cujus grátia. *pag.* xviij.

Lectio iij.

Ex Hieron. de Script. Ecclesf. Athanas. Basil. Ambros. in Epist. Sulp. Sev. l. 2. *Hist. sacræ.*

Eusébius ex Sardínia oriúndus, Religióne Christiánam edóctus est à paréntibus. Rebus Ecclésiæ sub Constantíno pacíficis, stúduit Romæ, & à sancto Silvéstro cooptátus est in clerum. Vercéllas proféctus, mox ibi virtútibus & doctrínâ célebris ad sedem Episcopálem pópulo efflagitánte dedúcitur. Cathólicæ fidei causam advérsùs A-

riános ipsúmque Constántium Augústum constánter propugnávit in Synodo coram Imperatóre Mediolání hábitâ. Cùm sanctum Athanásium damnáre Régiis minis impertérritus recusáret, Scythópolim in exílium, deínde in Cappadóciam, tandem in inferiórem Thebáïdem missus, acerbíssima quæque perpéssus est ab Ariánis. Redux ab exílio sub Juliáno, priúsquàm suos revíseret, várias peragrávit Oriéntis regiónes, ut infírmos in fide confirmáret, revocáret avérsos, illatísque ab hæresi malis modis ómnibus mederétur. Eum Itália redeúntem magno plausu suscépit. Illic étiam contra Auxéntium Ariánum junctis cum sancto Hilário labóribus ad mortem usque decertávit. Vitæ commúnis inter cléricos autor fuit. Cóntigit óbitus ejus anno (ut créditur) trecentésimo septuagésimo.

℟. *iij.* Dóminus mihi ádstitit. *p.* xvj.

DIE XXI. DECEMBRIS,

S. THOMÆ APOSTOLI

Duplex majus.

Officium de Communi Apostolorum, præter.

IN I. VESPERIS,

Ad Magníficat, *Ant.* 8. c. Dicit Jesu Thomas: Dómine, nescímus quò vadis: & quómodo póssumus viam scire? Dicit ei Jesus: Ego sum via, & véritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. *Joan.* 14.

Oratio, Da nobis. *infrà.*

IN I. NOCT.

Tres Lectiones de Script. occurr. cum suis ℟.

IN II. NOCT.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

29. *in dieb. Paschal.*

Lectio iv.

DIcébant Thomæ condiscípuli ejus: Vídimus Dóminum, & dicébat ipse: Nisi tetígero; nisi dígitum mísero in latus ejus, non credam. Evangelístæ tibi annúntiant, & non credis. Ipsis crédidit mundus, & non credit discípulus. Nondum erat dies quem fécerat Dóminus. Adhuc ténebræ erant in abysso, in profunditáte cordis humáni: ténebræ ibi erant. Véniat ille, caput diéi hujus véniat, & dicat pátiens, mitis, non irátus, quia médicus; Veni, (inquit,) veni, tange hoc, & crede? Dixísti: Nisi tetígero, nisi dígitum mísero, non credam. Veni, tange; mitte dígitum, & noli esse incrédulus, sed fidélis. Sciébam vúlnera tua, servávi tibi cicatrícem meam. Sed planè mittens manum suam complévit fidem. Quæ est enim fídei plenitúdo? Ut non credátur Christus tantùm homo, nec credátur Christus tantùm

modò Deus, sed homo & Deus. Ipsa est fidei plenitúdo : quia Verbum caro factum est, & habitávit in nobis.

Lectio v.

Tract. 1. in Epist. 1. Joan. 3.

PRæbuit se ex témpore palpándum mánibus hóminum, qui semper se præbet vidéndum aspéctibus Angelórum : & palpávit ille Discípulus, & exclamávit : Dóminus meus, & Deus meus. Quia tétigit hóminem, conféssus est Deum. Et Dóminus cónsolans nos, qui ipsum jam in cælo sedéntem manu contrectáre non póssumus, sed fide contíngere, ait illi : Quia vidísti, credidísti ; beáti qui non vident, & credunt. Nos descrípti sumus, nos designáti sumus. Fiat ergo in nobis beatitúdo, quam Dóminus prædíxit futúram : firmè teneámus quod non vidémus, quia illi núntiant quæ vidérunt.

Lectio vj.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

In S. Thomam.

THomas totum orbem terrárum illuminávit, túmulum súbiit, sed undecúmque tamquam sol exóritur, in omnem terram exívit glória ejus, & in fines orbis terræ trophæa ejus. Océanus virum novit : Bárbari Thomam honórant : omnes gentes festum hódie célebrant, ejúsque vocem Dómino tamquam donum óffe-runt: Dóminus meus, & Deus meus. Hæc enim dócuit Thomas ; hanc nobis tamquam fíliis relíquit hereditátem. Solus Arius hoc sermóne privátur, solus ille ab hereditáte éxcidit, solus Christum cum Thoma Dóminum non confitétur, non eum cum ipso Deum agnóscit, non séquitur justum, idque cùm ejus diem colat, atque cum univérso terrárum orbe festum célebret, & amícis Thomæ seípsum ággreget. [Sanctus Apóstolus Thomas mórtuus est post primi séculi médiū.]

IN III. NOCT.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap. 20.*

IN illo témpore : Thomas unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Dixérunt ergo ei álii Discípuli : Vídimus Dóminum. Ille autem dixit eis : Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, & mittam manùm meam in latus ejus, non credam. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

Hom. 26. in Evang.

QUid, fratres caríssimi, quid inter hæc animadvértitis ? numquid casu gestum créditis, ut eléctus ille Discípulus tunc deésset, pòst

autem véniens audíret, aúdiens dubitáret, dúbitans palpáret, palpans créderet? Non hoc casu, sed divínâ dispensatióne gestum est. Egit namque miro modo supérna cleméntia, ut Discípulus ille dúbitans, dum in magístro suo vúlnera palpáret carnis, in nobis vúlnera sanáret infidelitátis. Plus enim nobis Thomæ infidélitas ad fidem, quàm fides credéntium Discipulórum prófuit: quia dum ille ad fidem palpándo redúcitur, nostra mens omni dubitatióne postpósitâ in fide solidátur.

Lectio viij.

SIc quippe Discípulum Dóminus post resurrectiónē suam dubitáre permísit, nec tamen in dubitatióne deséruit; sicut ante nativitátem suam sponsum habére Maríam vóluit, qui tamen ad ejus núptias non pervénit. Nam ita factus est Discípulus dúbitans & palpans, testis veræ resurrectiónis, sicut sponsus matris fúerat custos integérrimæ virginitátis. Palpávit autem, & exclamávit: Dóminus meus & Deus meus. Dicit ei Jesus: Quia vidísti me, Thoma, credidísti. Cùm Paulus Apóstolus dicat: Est autem fides sperandárum substántia rerum, arguméntum non apparéntium; profécto liquet, quia fides illárum rerum arguméntum est, quæ apparére non possunt: quæ enim appárent, jam fidem non habent, sed agnitiónem.

Lectio ix.

DUm ergo vidit Thomas, dum palpávit, cur ei dícitur: Quia vidísti me, credidísti? sed áliud vidit, áliud crédidit. A mortáli quippe hómine divínitas vidéri non pótuit: hóminem ergo vidit, & Deum conféssus est, dicens: Dóminus meus & Deus meus. Vidéndo ergo crédidit, qui considerándo verum hóminem, hunc Deum quem vidére non póterat, exclamávit. Lætíficat valde quod séquitur: Beáti qui non vidérunt, & credidérunt. In qua nimírum senténtia nos speciáliter signáti sumus, qui eum, quem carne non vídimus, mente retinémus. Nos signáti sumus: sed si fidem nostram opéribus séquimur. Ille étenim verè credit, qui exércet operándo quod credit.

Te Deum.

In Laudibus Matutinis,

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. Respóndit Thomas, & dixit Jesu: Dóminus meus & Deus meus. Dixit ei Jesus: Quia vidísti me Thoma, credidísti: beáti qui non vidérunt, & credidérunt. *Joan.* 20.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ festivitáte gloriári; ut ejus semper & patrocíniis sublevémur, & fidem cóngruâ devotióne sectémur; Qui.

Fit Commemor. de Adventu.

IN II. VESPERIS,

Ad Magníficat, *Ant. 6. F.* Dixit Thomas, qui dícitur Dídymus, ad condiscípulos: Eámus & nos, ut moriámur cum Jesu. *Joan. 11.*

Fit Commemoratio de Adven-per Ant. O.

DIE XXIII. DECEMBRIS,

S. IVONIS

EPISCOPI CARNOTENSIS

Commemoratio,

Ut in Comm. SS. Pontif.

Oratio, Quæsumus Dómi-, *ibid. p.* XXXV.

Lectio iij.

ejus Vitâ apud Bolland. 20. *Maii.*

IVo in agro Bellovacénsi natus, nóbili à sánguine, nobilem ánimum traxit. Lanfrancum hábuit doctórem in monastério Beccénsi. Canónicis Ecclésiæ sancti Quintíni Veromanduórū Præféctus, ...ernis possessiónibus eos ...it, legibúsque ad id cóndi... Vitam eis Regulárem íntu... ...ir Cánonum peritíssimus, eorúmdem observatiónis ...dio flagrantíssimus. Ejus ...tátis ac doctrínæ famâ commótus Urbánus secúndus ádeo egit apud Clerum populúmque Carnoténsem, ut ab eis loco Gaufrídi Epíscopus deligerétur. Nunquam illórum votis cessísset Ivo, nisi jubénte Philíppo Rege parére coáctus fuísset. Sacrórum Cánonum intérpres, Patrum ac Conciliórum Decréta in unum volúmen redégit. Multa ínsuper utilíssima Ecclesiæ ópera conscrípsit, in quibus elúcet máximè ipsíus insignis erudítio. Non minùs Pascháli secúndo fuit gratus, quippe qui in Gállias véniens solemnitátē Paschæ cum ipso apud Carnótum celebráre volúerit. Sacrórum Apostólicæ Sedis júrium defénsor licèt acérrimus, nihil tamen contra Gallicánæ Ecclésiæ jura commísit unquam, aut commíttere passus est. Ecclesiásticam disciplínam sédulò propugnávit, moréisque depravátos absque ulla personárum acceptióne tum dictis tum scriptis représsit. Ipsum étiam Regem Philíppum qui relíctâ uxóre áliam dúxerat líberè reprehéndit: nec ullis unquam précibus minísve deterréri pótuit; immo bonis ómnibus spoliátus, è sede sua ejéctus, víncula, cárceres, penúriam ipsam panis & sitim aquæ invícto ac forti ánimo sustínuit. Ecclésiæ tandem suæ réddi-

tus, & de Ecclésia univérsa óptimè méritus suprémo fato fúngitur décimo Kaléndas Januárii anno millésimo centésimo décimo quinto.

℟. iij. Lábia Sacerdótis. ℣. xxxij.

¶ *Sequentes Sanctorum Festivitates usque ad diem* XIV. *Januarii require in Proprio de Tempore,*

DIE XIV. JANUARII,
FESTUM
SS. NOMINIS JESU
Duplex majus,

AD I. VESPERAS,

Ant. 5. a. VIncénti dabo manna abscónditum, & Nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui áccipit. *Apoc.* 2.

Ant. 4. D. Ego autem in Dómino gaudébo, & exsultábo in Deo Jesu meo. *Habac.* 3.

Ant. 1. a. Ecce puer meus, quem elégi; diléctus meus, in quo bene complácuit ánimæ meæ: in Nómine ejus gentes sperábunt. *Matth.* 12.

Ant. 1. g. Vocábitur tibi Nomen novum, quod os Dómini nominábit. *Is.* 62.

Ant. 7. a. Confitébor tibi in géntibus Dómine, & Nómini tuo cantábo. *Rom.* 15.

Capitulum. 1. *Joan.* 3. 23.

HOc est mandátum ejus: Ut credámus in Nómine Fílii ejus Jesu Christi, & diligámus altérutrum, sicut dedit mandátum nobis.

Hymnus.

O Quem nemo vocat, quin priùs ádvoces;
Nullus cùm sine Te, Te bene nóminet,
Nomen Christe tuum pángere Tu dato
Donis Optime de tuis.

NOMEN quale! cúi quidquid in æthere,
Terris & spécubus, quidquid in ínferis,
Affúsum trépido procúbuit volens,
Nolens procúbuit genu.

Hoc natúra pavens audiit, huic suum
Huic mors depósuit fulmen, & érutos
Ruptis obstúpuit súrgere vínculis
Tanto Nómine mórtuos.

Hoc umbóne Fides impenetrábilis
Hostiléśque dolos ridet & ímpetus;
Hoc ceu turbíneo præcípites ruunt
Icti fúlmine dæmones.

Ipso cujus inest Nómine lénitas,
Fac nos terríbilis cùm furor árserit,
Signet conspícuis índita fróntibus
Sacri téssera Nóminis.

PATRI máxima laus, máxima Fílio;
Sit par Sancte tibi glória Spíritus,

Cantémus Dómini Nomen in ómnia
Enarrábile sécula. Amen.

℣. Sit Nomen Dómini benedíctum ℟. Ex hoc nunc & usque in séculum. *Ps.* 112.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Vocábis Nomen ejus Jesum; ipse enim salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. *Matth.* 1.

Oratio, Deus qui gloriosíssimum Nomen. *infrà in Laud. Matut.*

Et fit Commemoratio S. Felicis Nolani Presbyteri & Confessoris, per Ant. 8. G. In umbra manûs suæ protéxit me Dóminus, & pósuit me sicut sagíttam eléctam; in pháretra sua abscóndit me. *Is.* 40.

℣. Abscóndit me in tabernáculo suo, ℟. In die malórum protéxit me. *Ps.* 26.

Oratio, Excita. *infrà in Lau. Deinde B. V. Mariæ, suprà* 2. *Januarii, p.* 309.

AD VIGILIAS,

Invitatorium. In Nómine Jesu * Veníte adorémus Dóminum. *Philip.* 2.

Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

Hymnus.

Victis sibi cognómina
Sumant Tyránni géntibus:
Tu Christe, quantò dígnius
Ab his capis quos líberas.

Non álterum mortálibus
Ægri quod ádvocent datum,
Resúrgerent quo mórtui,
Perénnè per quod víverent.

Tanti quod illi cónstitit,
Toto quod emptũ sánguine,
Nostróne rursùm crímine
Insána gens delébimus?

Dulci pati pro Nómine
Summi sit instar múneris:
Amára non mors ámpliùs,
Fit mors per hoc amábilis.

Tu qui vocári sústines
Jesu salus mortálium,
Audi vocántes nos, tuo
Qui gloriámur Nómine.

Sit laus Parénti máxima;
Sit summa laus & Fílio,
Tibíque sancte Spíritus:
Uni sit una laus Deo. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 7. c. Mémores erunt Nóminis tui in omni generatióne & generatiónem. *Ps.* 44

Ant. 7. a. Exsúrge Dómine, ádjuva nos; & rédime nos propter Nomen tuum. *Ps.* 43.

Ant. 7. *d* * Confitémini Dómino, & invocáte Nomen ejus; laudámini in Nómine sancto ejus. *Ps.* 104.

℣. Omnis qui invocáverit Nomen Dómini, ℟. Salvus erit. *Joel.* 2.

Tres primæ Lectiones de Scripturâ occurr. cum suis Respons.

IN II. NOCT.

Ant. 6. F. Benedíctum Nomen glóriæ tuæ, sanctum, & laudábile, & superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3.

Ant. 7. f. Nemo potest dícere, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu sancto. *Ibid.*

Ant. 8. G. Discédat ab iniquitáte omnis qui nóminat Nomen Dómini. 2. *Tim.* 2.

℣. Sit Nomen Dómini benedíctum in sécula, ℟. Ante solem pérmanet Nomen ejus. *Ps.* 71.

Ex Libro tértio Confessiónum sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio iv. *C.* 40. *n.* 8.

QUómodo ardébam, Deus meus, quómodo ardébam revoláre à terrénis ad te; & nesciébam quid ágeres mecum. Apud te enim est sapiéntia... Et ego illo témpore, scis tu lumen cordis mei, quóniam nondum mihi hæc Apostólica nota erant, Vidéte ne quis vos decípiat per philosóphiam & inánem seductiónem, secúndùm traditiónem hóminum, & non secúndùm Christum; hoc tamen solo delectábar, quòd non illam, aut illam sectam, sed ipsam, quæcúmque esset, sapiéntiam ut diligerem, & quærerem, & adséquerer, & tenérem, atque amplexárer fórtiter, excitábar, & accendébar, & ardébam; & hoc solum me in tanta flagrántia refrangébat, quòd Nomen Christi non erat ibi. Quóniã hoc Nomen secúndùm misericórdiam tuam Dómine, hoc Nomen Salvatóris mei Filii tui in ipso adhuc lacte matris ténerum cor meum præbíberat, & altè retinébat; & quidquid sine hoc Nómine fuísset, quamvis litterátum, & expolítum, & verídicum, non me totum rapiébat.

℟. iv. Sperent in te qui novérunt Nomen tuum, * Quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine. ℣. Exsúrge Dómine, ádjuva nos, & líbera nos propter Nomen tuum, * Quóniam. *Ps.* 9. & 43.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Lectio v. *in Cant.* 15. *n.* 6.

HOc Nomen coram Régibus, & géntibus, & filiis Isräel portáre jussus est Paulus Apóstolus; & portábat Nomen tamquam lumen, & illuminábat pátriam; & monstrábat ómnibus lucérnam super candelábrum, annúntians in omni loco Jesum, & hunc crucifíxum. Quómodo lux ista insplénduit ac perstrínxit cunctórum intuéntium óculos, quando de ore Petri, tamquam fulgur, egrédiens, claudi uníus corporáles plantas solidávit & bases, multósque spirituáliter cœcos illuminávit? Numquid non ignem sparsit, cùm ait: In Nómine Jesu Christi Nazaréni surge & ámbula? Nec tantùm lux est Nomen Jesu, sed est & cibus. An non tóties

confortáris, quóties recordáris? Quid æquè mentem cogitántis impínguat? quid ita exercitátos réparat sensus, virtútes róborat, végetat mores bonos atque honéstos, castas fovet affectiónes? Aridus est omnis ánimæ cibus, si non óleo isto infúnditur: insípidus est, si non hoc sale condítur. Si scribas, non sapit mihi, nisi légero ibi Jesum. Si dísputes aut cónferas, non sapit mihi, nisi sonúerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde júbilus. Sed est & medicína.

℟. v. Tribulatiónem & dolórem invéni, & Nomen Dómini invocávi: * O Dómine líbera ánimam meam. ℣. Nam Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. * O Dómine. *Ps.* 114. *Rom.* 10.

Lectio vj.

TRistátur áliquis vestrûm? Véniat in cor Jesus, & inde sáliat in os; & inde ad exórtum Nóminis lumen, núbilum omne díffugit, redit serénum. Lábitur quis in crimen, currit ínsuper ad láqueum mortis desperándo; nonne si ínvocet Nomen vitæ, conféstim respirábit ad vitam? Cúi fons fortè siccátus lacrymárum, invocáto Jesu, non contínuò erúpit ubérior, fluxit suávior? Cúi in perículis palpitánti & trepidánti invocátum virtútis Nomen non statim fidúciam præstitit, dépulit metum? Cúi in advérsis diffidénti, jam jamque deficiénti, si Nomen adjutórii sónuit, défuit fortitúdo? Nimírum morbi & languóres ánimæ isti sunt, illud medicína. Nihil ita iræ ímpetum cóhibet, supérbiæ tumórem sedat, sanat livóris vulnus, restríngit luxúriæ fluxum, exstínguit libídinis flammam, sitim témperat avarítiæ, ac totíus indécoris fugat pruríginem.

℟. vj. Omnis qui invocáverit Nomen Dómini, salvus erit: * Quia in monte Sion erit salvátio, & in resíduis quos Dóminus vocáverit. ℣. Occídent vos propter Nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit; * Quia. Glória. * Quia. *Joel.* 2. *Matth.* 25.

IN III. NOCT.

Ant. 7. a. Exaúdi Dómine, quia Nomen tuum invocátum est super pópulũ tuum. *Dan.* 9.

Ant. 3. a. Cognomináti sunt primùm Antiochíæ discípuli, Christiáni. *Act.* 11.

Ant. 8. G. Sciátis quóniam vitam habétis ætérnam, qui créditis in Nómine ejus. 1. *Joan.* 5.

℣. Adjutórium nostrum in Nómine Dómini, ℟. Qui fe-

cit cælum & terram.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 2.

IN illo témpore; Postquàm consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer, vocátum est Nomen ejus Jesus: quod vocátum est ab Angelo, priúsquàm in útero conciperétur. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 1. *de Circumcis.*

JEsus vocátur, tamquam verus Fílius Dei. Neque enim ad instar priórum meus iste Jesus Nomen vácuum aut ináne portat. Non est in eo magni nóminis umbra, sed véritas. Cælitùs síquidem índitum Nomen Evangelísta testátur: Quod vocátum est ab Angelo priúsquàm in útero conciperétur. Et atténde Verbi profunditátem: Postquàm natus est Jesus; Jesus vocátur ab homínibus, quo Nómine vocátus est ab Angelo, priúsquàm in útero conciperétur. Idem quippe & Angeli Salvátor & hóminis; sed hóminis ab Incarnatióne, Angeli ab inítio creatúræ.

℟. *vij.* Ecce concípies in útero, & páries Fílium, * Et vocábis Nomen ejus Jesum. ℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur; * Et vocábis. *Luc.* 1.

Lectio viij.

VOcátum est (ait) Nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo. In ore ergo duórum vel trium téstium stat omne verbum: & ipsum quod in Prophéta abbreviátum, maniféstius in Evangélio légitur caro factum. Nos, Fratres mei, nos réspicit hæc parábola. Christus enim nec angélico éguit testimónio, nec humáno: sed ut scriptum est, ómnia propter eléctos. Triplex proínde quæréndum nobis salútis própriæ testimónium, ne fortè videámur assumpsísse nomen Dei nostri in vanum. Et nos enim, Fratres, circumcídi necésse est, & sic nomen salútis accípere: circumcídi sane non litterâ, sed spíritu & veritáte; circumcídi non uno membro, sed toto córpore simul.

℟. *viij.* Non est in álio áliquo salus, * Nec enim áliud Nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri. ℣. Fundaméntum áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus: * Nec enim. *Act.* 4. 1. *Cor.* 3.

Lectio ix. de S. Felice.

Ex Operibus S. Paulini Nolani Natal. S. Felicis. 3. 4. & 5.

FElix ex nóbili génere Syrórum, qui Nolam se re-

cépetant, oriúndus; Hermiâ patre mórtuo ditíssimus, bona sua in usus paúperum convértit. Primis in annis Lector Ecclésiæ Nolánæ factus, hujus órdinis functiónes óbiit; deínde Exorcísta, tandem Présbyter ordinátus várias persecutiónes & pœnas súbiit: quibus finítis, oblátum sibi post Máximi mortem Episcopátum constánter recusávit. Quintus Epíscopus factus Felícem ut virtúte potiórem semper observávit, eíque prædicándi munus injúnxit, ita ut ille gregem officio, Felix sermóne régeret. Céterùm hoc étiam in múnere Felix paupertátem tanto amóre cóluit, ut nec prædia amplíssima in persecutióne proscrípta volúerit unquam repétere; sed tribus terræ macræ jugéribus, iísque condúctis, & hórtulo próprii juris contentus, solus sine fámulo humum exércens, labóre mánuum victum quærébat, frúctuum parte paupéribus erogátâ. Tot virtútibus nóbilis, plenus diérum, vitæ cursum consummávit post médium tértii séculi, & máximo pópuli concúrsu in Nolæ subúrbio sepultúræ mandátus, hujus urbis patrocínium ádeò suscépit, ut cùm à bárbaris oppugnarétur, cívibus Confessórem hunc apparuísse réferat Augustínus, non ex incértis (ut ait) rumóribus, sed ex certis téstibus.

℟. *ix.* Nos stulti propter Christum, esurímus & sitímus, & laborámus operántes mánibus nostris, * Spectáculum facti sumus mundo, & ángelis, & homínibus. ℣. In labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte; quasi tristes, semper autem gaudéntes; tamquam nihil habéntes, & ómnia possidéntes; * Spectáculum. Glória. * ℟. Nos stulti. 1. *Cor.* 4. 2. *Cor.* 6.

AD LAUDES MATUTINAS,

℣. *Sac.* Magnificáte Dóminũ mecum, ℟. Et exaltémus Nomen ejus in idípsum. *Ps.* 33.

Ant. 7. a. Cantáte Dómino, & benedícite Nómini ejus; annuntiáte de die in diem salutáre ejus. *Ps.* 95.

Ant. 7. b. Secúndùm Nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ. *Ps.* 47.

Ant. 4. A. Cantáte Dómino, psalmum dícite Nómini ejus; iter fácite ei qui ascéndit super occásum; Dóminus nomen illi. *Ps.* 67.

Ant. 3. b. Cognóscant quia Nomen tibi Dóminus, tu solus Altíssimus in omni terra. *Ps.* 82.

Ant. 8. G. Exaltátum est Nomen ejus solíus: conféssio ejus super cœlum & terram. *Ps.* 148.

Capitulum. *Philip.* 2. 8.

CHristus humiliávit semetipsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi Nomen quod est super omne nomen.

Hymnus.

HUc triumphántis Próceres olympi
Grande nobíscum celebráte Nomen,
Ætheri quod fert, simul & redémptis
Gaúdia terris.

Corpus ut sumit Deus immolándum,
Sumit & Nomen Deus invocándus:
Ipse se totum dicat, ipse cunctos
Vertit in usus.

Quisquis implórat, rata vota séntit:
Córporis cedunt animíque pestes:
Aut labor nullus, labor aut amíco
Nómine lætus.

Imperet. Densos simul æther ignes
Evomit: duro salit unda saxo:
Tránsvolant jussi medióque sîdunt
Æquore montes.

Ergo divínum sine fine Nomen
Pérsonet quanto patet orbe tellus,
Mille quod linguis célebrent, quod uno
Péctore gentes.

Dulce ne solo sit in ore Nomen:
Vita concórdi mélior tenóre
Accinat, plaudant potióre casti
Cármine mores.

Qui tuum donas celebráre Nomen,
Exteris dum nos retinémur oris,
Christe da cœlo Tibi da pérennes
Dícere laudes. Amen.

℣. Propter glóriam Nóminis tui Dómine líbera nos,
℞. Et propítius esto peccátis nostris propter Nomen tuum. *Ps.* 78.

Ad Benedíctus, *Ant.* 6. F. In Nómine meo dæmónia ejícient; linguis loquéntur novis; serpéntes tollent; & si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, & bene habébunt. *Marc.* 16.

Oratio.

DEus qui gloriosíssimum Nomen Jesu Christi unigéniti Fílii tui fecísti fidélibus tuis amábile, & malígnis spirítibus treméndum atque terríbile; concéde propítius ut òmnes qui sacrum hoc Nomen devótè venerántur, sanctæ consolatiónis dulcédinem in præsénti século perci-

piant, & in futúro gaúdium sempitérnum obtíneant; Per eúmdem Dóminum.

Pro Commemoratione S. Felicis, Ant. 1. a. Argéntum & aurum non concupívi, quóniam ad ea quæ mihi opus erant, ministravérunt manus istæ. *Act.* 20.

℣. Labóres mánuum tuárũ quia manducábis, ℟. Beátus es, & bene tibi erit. *Ps.* 127.

Oratio.

EXcita Dómine in Ecclésia tua spíritum beátæ paupertátis, quam religiósè cóluit sanctus Conféssor tuus Felix, ut ejus intercedéntibus méritis promíssa paupéribus spíritu præmia felíciter consequámur; Per Dóminum.

Deinde B. V. Mariæ p. 309.

AD PRIMAM.

Ant. 7. a. Cantáte. *suprà in Laud.*

AD TERTIAM,

Ant. 7. b. Secúndum nomen tuum.

Capitulum Philip. 2. 10.

IN Nómine Jesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium, & infernórum.

℟. Afférte Dómino glóriam & honórem; * Allelúia, allelúia. ℟. Afférte. ℣. Afférte Dómino glóriã Nómini ejus. * Allelúia, all. Glória. ℟. Afférte.

℣. Confitébimur tibi Deus; ℟. Et invocábimus nomen tuum. *Ps.* 28. & 74.

AD SEXTAM.

Ant. 4. A. Cantáte Dómino.

Capitulum. Philip. 2. 11.

OMnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

℟. *br.* Confiteámur Nómini sancto tuo; * Allelúia, allelúia. ℟. Confiteámur. ℣. Et gloriémur in laude tua. * Allelúia, all. Glória. ℟. Confiteámur.

℣. Annúntient in Sion Nomen Dómini, ℟. Et laudem ejus in Jerúsalem. *Ps.* 105. & 101.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Exaltátum est.

Capitulum 1. *Petr.* 4. 14.

SI exprobrámini in Nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit.

℟. *br.* Ibant gaudéntes à conspéctu concílii, * Allelúia, allelúia. ℟. Ibant. ℣. Quóniam digni hábiti sunt pro Nómine Jesu contuméliam pati; * Allelúia, all. Glória. ℟. Ibant.

℣. Omni die non cessábant in templo ℟. Evangelizántes Christum Jesum. *Act.* 5.

AD II. VESPERAS,

Ant. 2. *to.* OLeum effúsum Nomen tuum; ídeo a-

dolescéntulæ dilexérunt te. *Cantic.* 1.

Ant. 1. f. Timébunt gentes Nomen tuum, Dómine, & omnes reges terræ glóriam tuam. *Ps.* 101.

Ant. 1. a. Qui sequúntur Agnum, habent Nomen ejus scriptum in fróntibus suis. *Apoc.* 14.

Ant. 8. c. Grátias agéntes semper pro ómnibus, in Nómine Dómini nostri Jesu Christi, Deo & Patri. *Ephes.* 5.

Ant. 1. g. Remittúntur peccáta propter Nomen ejus. 1. *Joan.* 2.

Capitulum 2. *Thess.* 1. 12.

FRatres, Orámus semper pro vobis ut clarificétur Nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in illo, secúndum grátiam Dei nostri, & Dómini Jesu Christi.

Hymnus, O quem nemo vocat, *ut in I. Vesp.*

℣. Benedíctum Nomen majestátis ejus in ætérnũ, ℟. Qui facit mirabília solus. *Ps.* 71.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo, hoc fáciam: ut glorificétur Pater in Fílio. *Joan.* 14.

Oratio, Deus qui. *in Laud.*

Fit Commemor. de S. Hilario ut in Com. SS. Doct. Oratio, Præsta quæs. *infrà in Laud.*

Postremò de S. Maria. suprà p. 309. Et sic usque ad Purific.

DIE XV. JANUARII, S. HILARII EPISCOPI PICTAVENSIS, & DOCTORIS

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Doctorum, præter ea quæ sequuntur.

AD NOCT.

Invitatorium, Jesum Christum de María natum * Veníte adorémus. *Matth.* 1.

Et dicitur usque ad Purificationem, nisi assignetur proprium.

Duæ Lectiones ex tribus Scripturæ occurrentis Lectionibus, cum suis ℟. j. & iij.

Lectio iij.

Ex Hieronymo Lib. de Scriptor. Eccl. Sulpicio Severo lib. 11. Hist. & de Vita Martini cap. 5. Fortunato in Vita S. Hilarii, & ex Hilarii Operibus.

HIlárius in Gállia nóbili génere natus, doctrínâ & eloquéntiâ excélluit. Primùm uxórem duxit: deinde propter singuláres virtútes, Pictavórum Epíscopus creátus est. Quod munus Episcopále sic gessit, ut à fidélibus summam laudem consequerétur. Quo témpore cum terróribus, bonórum spoliatióne, exílio, & omni crudelitáte Constántius Cathólicos vexáret, nisi ad Ariánas partes transírent; Hilárius tamquam firmíssimum murum se Ariánis oppónens, illórum furórem in se concitávit. Itaque multis petitus insídiis, tan-

dem dolo Saturníni Arelaténsis Epíscopi in Phrygiam relegátus, est ubi libros duódecim scripsit de Trinitáte contra Ariános. Quartum exílii sui annum agens Hilárius coácto ad Seleúciam Isaúriæ urbem Concílio adésse compúlsus est, ac deínde Constantinópolim proféctus, cùm extrémum fídei perículum animadvertísset, tribus libéllis públicè datis, audiéntiam Imperatóris popóscit, ut de fide coram adversáriis disputáret. Verùm cùm Ursátius & Valens Ariáni Epíscopi, quos Hilárius scriptis confutárat, præséntis eruditiónem pertiméscerent, Constántio persuasérunt, ut spécie honóris eum in suum Episcopátum restitúeret: Tunc Hilárium è prælio hæreticórum reverténtem, ut ait sanctus Hierónymus, Galliárum Ecclésia compléxa est. Hilárius Píctavos revérsus Gálliam addúxit univérsam, ut Arianórum impietátem damnáret. Multos libros scripsit mirâ eruditióne. Migrávit in cœlum Idibus Januárii anno círciter trecentésimo sexagésimo octavo.

℟. iij. Usque ad mortem. p. xvj.

Cetera de Communi SS. Doct.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus, ut excelléntiam Verbi tui, quam beátus Hilárius asséruit, & conveniénter intellígere valeámus, & veráciter profitéri. Per

DIE XVII. JANUARII,

S. ANTONII ABBATIS

Duplex.

Omnia de Comm. SS. Monach. præter ea quæ hîc sunt propria.

IN I. VESPERIS,

Oratio; Deus cujus verbo. *infrà in Laud. Matut.*

Fit Commemor. de S. Sulpicio Bituric. Episc.

Orat. Exaudi. *in Com. Pontif.*

IN II. NOCT.

Ex Libro S. Athanásii Epíscopi de Vita sancti Antónii.

Lectio iv.

ANtónius nobílibus religiosísque paréntibus natus, post illórum mortem, cùm esset annórum decem & octo, intrávit ecclésiam, ubi tunc legebátur ex Evangélio: Si vis perféctus esse, vade, vende ómnia tua, & da paupéribus. Quo audíto statim possessiónes suas véndidit, & eárum prétium non exíguum indigéntibus dedit. Erat in agéllo vicíno senex solitárius, quem Antónius æmulátus est ad bonum: & si quem in hoc stúdio vigilántem comperísset, quærébat illum, ut apis prudentíssima, volens ex síngulis virtutes collígere quas imitarétur. Rebus ómnibus abdicátis ex labóris emoluménto pat-

peres fovébat, non áliud sibi servans ad victum, quám undê panem émeret. Inédiæ & vigiliárum pátiens, in oratióne sæpíssimè pernoctábat.

Lectio v.

EDébat semel in die post solis occásum: nonnúnquam bíduo triduóque jejúnus, quartâ demum die reficiebátur, cibus verò ejus, panis cum sale; potus, aquæ módicum. In castéllo desérto vigínti annis extra conspéctum hóminum demorátus, inde váriis sátanæ insídiis acerriмísque insúltibus superátis, quasi ex cæléști quodam ádyto consecrátus appáruit, ut eos qui ejus propósitum imitári vellent, moderarétur. Peténtibus frátribus præcépta quædam quibus institueréntur, hoc primum esse dixit, ut in arrépti propósiti vigóre nemo tamquam lassus defíceret, sed véluti incípiens, semper ultrà procéderet, cùm brevissima sit húmana vita, si cum æternitáte conferátur.

Lectio vj.

CLéricum quemcúmque in précibus celebrándis sibi semper præíre volébat. Epíscopis & Presbyteris caput submíttere sólitus erat, ut sibi benedictiónē impertiréntur. Constantínus Augústus ejúsque líberi sæpè ad eum, quasi ad patrem scribébant. At ille aïébat: Reges sǽculi ad nos misérunt epístolas: sed cur mirétur Christiánus? licèt enim divérsa sit dígnitas, áttamen éadem nascéndi moriendíque condítio est: illa sunt omni veneratióne colénda, quòd homínibus Deus legem scrípserit, quòd per Fílium suum própriis Ecclésias ditáverit elóquiis. Cùm non mediócre incómmodum senília membra turbásset, ait: Ego quidem, filíoli, secúndùm elóquia Scripturárum, patrum grádior viam. Obiit anno trecentésimo quinquagésimo sexto, váriis stylo Apostólico (inquit Hierónymus) scriptis epístolis.

Lectio ix. de S. Sulpicio.

Ex Actis sincer. apud Bolland.

SUlpícius à púero pietáti déditus, procedénte témpore Diáconus & pósteà Présbyter à sancto Austregísilo Bituricénsium Epíscopo factus, tandem ei succéssor datus est. In episcopátu pastóris óptimi partes implévit. Diœcesánas sæpè Synodos, intérdum Provinciáles, celebrávit. Judæos omnes in Biturígibus degéntes, ad Christi fidem addúctos, baptizávit. Plenus tandem diérum quiévit in Dómino circa annum sexcentésimum quadragésimum quartum sexto-décimo Kaléndas Februárii.

℟. iij. Córporis Christi. ix. de Com. SS. Pontif. p. xxxiv.

IN LAUD. MAT. De S. Antonio

Oratio.

DEus, cujus verbo foris sonánte, & grátiâ intus movénte excitátus Antónius, ut perféctus esset, ómnia relíquit; da nobis ejus intercedéntibus méritis Evangélicæ perfectiónis iter íngredi, & ad pátriam claritátis ætérnæ perveníre; Per Dóminum.

Commemor. S. Sulpicii, in Communi Pontif. p. xxxv.

Vesperæ de sequenti.

DIE XVIII. JANUARII,

IN

FESTO PONTIFICATUS

SEU CATHEDRÆ

S. PETRI APOSTOLI,

Duplex.

AD I. VESPERAS.

Ant. 8. G. SUscitávit Dóminus de púlvere egénum, ut sédeat cum Princípibus, & sólium glóriæ téneat. 1. *Reg.* 2.

Ant. 8. c. Zelándo zelum Dei, accépit testaméntum Sacerdótii ætérni. 1. *Mach.* 2.

Ant. 7. a. Deus osténdet splendórem suum in te; nominábitur enim tibi nomen tuum à Deo in sempitérnum. *Bar.* 5.

Ant. 1. g. Dixit tibi Dóminus Deus tuus: Tu pasces pópulum meum Israël, & tu eris princeps super eum. 1. *Paral.* 11.

Ant. 2. to. Constitútus sum ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præcéptum ejus. *Ps.* 2.

Capitulum. *Eccli.* 45. 30.

IN bonitáte & alacritáte ánimæ suæ plácuit Deo pro Israël; ídeo státuit eum príncipem sanctórum & gentis súæ, ut sit illi Sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Hymnus. *Santol.*

QUALIS potéstas Petre, quis terris honos,
Cui jura Christus ipse concessit sua?
Quidquid ligábis, quidquid & solves solo;
Hoc & ligábit, solvet & polo Deus.

TUI probáto cordis afféctu, suum
Pastor suprémus crédidit tibi gregem:
Serva, tuére, pasce nos Pastor bone,
Illíus & nos, Petre, pars gregis sumus.

PATRI suprémo sit supréma glória,
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Ætérne Fili, splendor ætérni Patris;
Compar sit almo laus decúsque Flámini. Amen.

℣. Exáltent eum in ecclésia plebis, ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum. *Ps.* 106.

Ad Magnificat, *Ant.* 4. E.

Suscitábo super. *Com. Pontif. p.* xxix.

Oratio, Deus qui beato Petro. *infrà in Laud. Mat.*

Pro Commemor. S. Antonii, *Ant.* Qui sunt Christi. ℣. Plantáti. *in Com. Monac. p.* lxij.

Oratio, Deus cujus verbo. *suprà p.* 541.

AD VIGIL. *Invitatorium*, Jesum Christum, qui dedit Petro claves regni cœlórum, * Veníte adorémus. *Matth.* 16.

Hymnus, Qualis potéstas. *suprà in I. Vesp.*

IN I. NOCT.

Ant. 7. *d.* * Dicit discípulis Jesus: Quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. *Matth.* 16.

Ant. 7. c. Respóndens Jesus dixit ei: Beatus es, Simon Barjóna, quia caro & sanguis non revelávit tibi; sed Pater meus qui in cælis est. *Ibid.*

Ant. 8. G. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, & portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam. *Ibid.*

℣. Elégit eum Dominus ℟. Páscere hereditátem suam. *Ps.* 77.

Tres Lectiones de Scriptura occurrente, cum suis ℟.

IN II. NOCT.

Omnia de Comm. SS. Pontif. præter ea quæ sequuntur.

Lectio iv.

De Epístola S. Gregórii magni ad Eulógium Epíscopum Alexandrínum.

Epist. 40. *al.* 37. *Indict.* 15.

SUavíssima mihi sánctitas vestra multa in epístolis suis de sancti Petri Apostolórum Príncipis cáthedra locúta est, dicens quòd ipse in ea nunc usque in suis successóribus sédeat. Et quidem ego indígnum me esse non solùm in honóre præsidéntium, sed étiam in número stántium agnósco. Sed cuncta quæ dicta sunt eo libénter accépi, quòd ille mihi de Petri cáthedra locútus est, qui Petri cáthedram tenet. Et cùm me speciális honor nullo modo deléctet, valde tamen lætátus sum: quia vos sanctíssimi quod mihi impendístis, vobismetípsis dedístis.

Responsoria de 3. Noct. Pontif.

Lectio. v.

QUis enim nésciat sanctam Ecclésiam in Apostolórum Príncipis soliditáte firmátam, qui firmitátē mentis traxit in nómine, ut Petrus à petra vocarétur? cúi Veritátis voce dícitur: Tibi dabo claves regni cælórum. Cúi rursus dícitur: Et tu aliquándo convérsus, confirma fratres tuos. Iterúmque, Simon Joánnis, amas me? Pasce oves meas. Itaque cùm mul-

ti sint Apóstoli, pro ipso tamen principátu sola Apostolórum Príncipis sedes in autoritáte convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimávit sedē, in qua étiam quiéscere, & præséntem vitam finíre dignátus est. Ipse decorávit sedem, in qua Evangelístam discípulum misit. Ipse firmávit sedem, in qua septem annis, quamvis discessúrus sedit. Cùm ergo unius atque una sit sedes, cúi ex autoritáte divína tres nunc Epíscopi præsident, quidquid ego de vobis boni áudio, hoc mihi ímputo.

De Epístola sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

Lectio vj. Ep. 71. ad Quintum.

NEc Petrus quem primum Dóminus elégit, & super quem ædificávit Ecclésiam suam, cùm secum Paulus de circumcisióne póstmodum disceptáret, vindicávit sibi áliquid insolénter, aut arrogánter assúmpsit; ut díceret se primátum tenére, & obtemperári à novéllis & pósteris sibi pótiùs oportére. Nec despéxit Paulum quòd Ecclésiæ priùs persecútor fuísset, sed consílium veritátis admísit, & ratióni legítimæ quam Paulus vindicábat, fácilè consénsit, documéntum scílicet nobis & concórdiæ, & patiéntiæ tríbuens, ut non pertináciter nostra amémus, sed quæ aliquándo à frátribus & collégis nostris utíliter & salúbriter suggerúntur, si sint vera & legítima, ipsa pótiùs nostra ducámus. Cúi rei Paulus quoque prospíciens & concórdiæ & paci, fidéliter in Epístola sua pósuit, dicens: Prophétæ autem duo aut tres loquántur, & céteri exáminent. Si autem álii revelátum fúerit sedénti, ille prior táceat. Quâ in parte dócuit & osténdit multa síngulis in mélius revelári, & debére unumquémque non pro eo quod semel imbíberat & tenébat, pertináciter cóngredi; sed si quid mélius & utílius exstíterit, libénter ampléćti.

IN III. NOCT.

Añæ & ℣. de 3. Noct. Com. SS. Pontif.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus Petro: Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, & portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlórum; & quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum & in cœlis: & quodcúmque sólveris super terram, erit solútum & in cœlis. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ. *Serm. 3. in Anniverſ. Aſſumptionis ſuæ.*

DE toto mundo unus Petrus elígitur, qui & universárum géntium vocatióni, & ómnibus Apóstolis cunctísque Ecclésiæ pátribus præponátur: ut quamvis in pópulo Dei multi sacerdótes sint, omnes tamen próprié regat Petrus quos principáliter regit & Christus... Et ego (inquit) dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, & portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam. Super hanc (inquit) fortitúdinem ætérnum éxstruam templum: & Ecclésiæ meæ cœlo inferénda sublímitas, in hujus fídei firmitáte consúrget.

℟. *vij.* Ego rogávi pro te, Petre, * Ut non deficiat fides tua; & tu aliquándo convérsus confirma fratres tuos. ℣. Ecce sátanas expetívit vos ut cribráret sicut tríticum, * Ut non. *Luc. 22.*

Lectio viij.

BEatíssimo Petro dícitur: Tibi dabo claves regni cœlórum, & quæcúmque ligáveris super terram, erunt ligáta & in cœlis; & quæcúmque sólveris super terram, erunt solúta & in cœlis. Transívit quidē étiam in álios Apóstolos jus potestátis istíus & ad omnes Ecclésiæ Príncipes decréti hujus constitútio commeávit. Sed non frustrà uni commendátur, quod ómnibus intimátur. Petro enim ídeo hoc singuláriter créditur, quia cunctis Ecclésiæ rectóribus Petri forma præpónitur. Manet ergo Petri privilégium, ubicúmque ex ipsíus fertur æquitáte judícium: nec nímia est vel sevéritas vel remíssio, ubi nihil erit ligátum, nihil solútum, nisi quod beátus Petrus aut sólverit, aut ligáverit.

℟. *viij.* Vocábo servum meum, & potestátem dabo in manu ejus: & * Dabo clavem domûs David super húmerum ejus: & apériet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui apériat. ℣. Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David; qui áperit, & nemo claudit; claudit, & nemo áperit. * Dabo. *Iſ. 22. Apoc. 3.*

Lectio ix. Serm. 80.

BEatíssime Apóstole Petre, jam pópulos qui ex circumcisióne credíderant, erudíeras: jam Antiochénam Ecclésiam, ubi primùm Christiáni nóminis dígnitas est orta, fundáveras: jam Pontum, Galátiam, Cappadóciam, Asiam, atque Bithyniam légibus Evangélicæ prædicationis impléveras: nec

aut dúbius de provéctu óperis; aut de spátio tuæ ignárus ætátis, trophæum crucis Christi Románis árcibus inferébas, quò te divínis præordinatiónibus anteíbant & honor potestátis & glória passiónis.

℟. *ix.* Quis sicut Dóminus Deus noster qui in altis hábitat, & humília réspicit in cœlo & in terra :* Súscitat à terra ínopem, ut cóllocet eum cum princípibus pópuli sui. ℣. Infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; & ignobília mundi, & contemptibília, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret. * Súscitat. Glória. ℟. Quis. *Ps.* 112. 1. *Cor.* 1.

IN LAUD. MATUT.

℣. *Sac.* Superædificémur. *in Com. Apost. p.* iv.

Ant. 8.G. CORnéli mitte & accérsi Simónem, qui cognominátur Petrus: hic dicet tibi, quid te opórteat fácere. *Act.* 10.

Ant. 1. a. Surge Petre, occíde, & mandúca: quod Deus purificávit, tu commúne ne díxeris. *Ibid.*

Ant. 1. f. Adhuc loquénte Petro, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum; & jussit eos baptizári in nómine Jesu. *Ibid.*

Ant. 8. G. Disceptábant advérsùs Petrum qui erant ex circumcisióne, dicéntes: Quare introísti ad viros præpútium habéntes? *Act.* 11.

Ant. 3. a. Si eámdem grátiam dedit illis Deus sicut & nobis, ego quis eram qui possem prohibére Deum? *Ibid.*

Capitulum. Act. 10. 24.

APériens Petrus os suum dixit: In veritáte cómperi quia non est personárum accéptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operátur justítiam, accéptus est illi.

Hymnus. Santol.

A PATRE Christus quod sibi jus tráditum
Tibi relíquit, astra dum victor redit:
Quibus ligámur, solve vincla críminum;
Datis reclúde clávibus cœli fores.

PATRI suprémo sit supréma glória;
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Ætérne Fili, splendor ætérni Patris;
Compar sit almo laus decúsque Flámini. Amen.

℣. Lex veritátis fuit in ore ejus, ℟. Et multos avértit ab iniquitáte. *Mal.* 2.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Ait ad Simónem Jesus: Noli timére: ex hoc jam hómines eris cápiens. *Luc.* 5.

Oratio.

DEus qui beáto Petro Apóstolo tuo collátis clávibus regni cœléstis, ánimas ligándi atque solvéndi Pontifícium tradidísti: concéde, ut intercessiónis ejus auxílio, à peccatórum nostrórum néxibus liberémur; Qui vivis.

AD PRIMAM, *Ant.* 8. G. Cornéli.

AD TERTIAM, *Ant.* 1. a. Surge Petre.

Capitulum. *Act.* 10. 28.

SCitis quómodo abominátum sit viro Judæo conjúngi aut accédere ad alienígenam: sed mihi osténdit Deus néminem commúnē aut immúndum dícere hóminem.

℟. *br.* Non est distínctio * * Judæi & Græci. ℟. Non est. ℣. Nam idem Dóminus ómnium. * Judæi. Glória. ℟. Non est.

℣. An Judæórum Deus tantùm? nonne & Géntium? ℟. Immò & Géntium. *Rom.* 10. & 3.

AD SEXTAM, *Ant.* 1. f. Adhuc loquénte Petro.

Capitulum. *Apoc.* 2. 16.

HOc est quod dictum est per Prophétam Joël: Et erit in novíssimis diébus effúndam de Spíritu meo super omnem carnem.

℟. *br.* Qui novit corda Deus, * Testimónium perhíbuit. ℟. Qui novit. ℣. Dans illis Spíritum sanctum, sicut & nobis, * Testimónium. Glória. ℟. Qui novit.

℣. Nihil discrévit inter nos & illos, ℟. Fide puríficans corda eórum. *Act.* 15.

AD NONAM, *Ant.* 3. a. Si eámdem grátiam.

Capitulum. *Esai.* 50. 5.

DOminus Deus apéruit mihi aurem; ego autem non contradíco; retrórsum non ábii.

℟. *br.* Numquid dicit figméntum, * Quid me fecísti sic? ℟. Numquid. ℣. O homo, tu quis es, qui respóndeas Deo? * Quid. Glória. ℟. Numquid.

℣. Deus operátus est Petro ℟. In Apostolátum. *Rom.* 9. *Gal.* 2.

AD II. VESPERAS,

Añæ, Capitulum, & Hymnus ut in I. Vesp. p. 541.

℣. Véritas mea & misericórdia mea cum ipso; ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Ps.* 88.

Ad Magníficat, *Ant* 1. *D.* Dicit Simóni Petro Jesus: Simon Joánnis díligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. *Joan.* 21.

Oratio, Deus qui beáto Petro. *suprà in Laud. Mat.*

Fit Commemor. S. Athanasii, ut in Com. Doct.

Oratio, Præsta quæsumus. *ut infrà in Laud. Mat.*

DIE XIX. JANUARII, S. ATHANASII EPISCOPI ALEXANDR. & Doctoris

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Doctorum, præter ea quæ sequuntur.

Lectio j. de Script. occurr. ex tribus una.

Lectio ij.

Ex Sozom. & aliis antiq. Scriptoribus.

ATHanásius ab Alexándro Alexandrínæ Ecclesiæ Epíscopo Diáconus ordinátus cum eódem intérfuit Nicæno Concílio, ibíque Arii impietátem acérrimè impugnávit. In Alexándri defúncti locum suffféctus, nullis unquam précibus aut minis addúci pótuit, ut Arium pœniténtiam simulántem in Ecclésiam recíperet, quod Arianórum & máximè Eusébii Nicomediénsis Epíscopi ódiũ in eum concitávit. Cùm inítio Episcopátûs ecclésias sibi subjéctas visitáret, in id potíssimum incúbuit, ut Meletiános ad Ecclésiæ unitátem revocáret: at illi consílio cum Ariánis iníto, multas calúmnias struxérunt, ut eum Episcopátu dejícerent: sed calúmnias coram Constantíno Imperatóre per se vel per Presbyteros díluit, & accéptis ab Imperatóre litteris commendatítiis Alexándriam redíre jussus est. Accusabátur quasi Philúmeno, qui advérsùs Imperatórem rebelláverat, pecúniam suppeditásset; quin étiam in conciliábulo Tyri hábito inter ália ipsi objéctũ est, Arsénium Meletiánum Epíscopum ab eo necátum fuísse. Verùm Arsénius ad Cõcílium addúctus, accusatiónis falsitátem apértè demonstrávit. Nec quievérunt Ariáni. Cúmque eórum rábiem áliter effúgere non posset Athanásius, Tyro discéssit, & tamquam causam deseruísset, absens ab iis damnátus est & depósitus. His non conténti, ut Constantínum contra Athanásium concitárent, nova finxérunt mendácia, Athanasiúmque detulérunt, quasi gloriarétur se, si vellet, impeditúrum ne sólita annóna ex Ægypto Constantinópolim veherétur; quibus tandem ártibus effecérunt, ut jussu Constantíni Tréveros relegarétur.

℟. ij. Ne retíneas. *sine Gloria Patri. p.* xliij.

Lectio iij.

ATHanásius Tréveris à Maximíno Epíscopo honorificentíssimè excípitur, nec inde nisi mórtuo Constantíno Alexándriam revér-

sus est. Etsi enim Constantínus de eo revocándo cogitásset, morte prævéntus id efficere non pótuit. A Júlio Papa, à quo Eusebiáni Synodum postuláverant, evocátus Romam venit, adversáriis veníre non ausis. Hi Antiochíæ congregáti, ad quamdam Basílicam consecrándam, depósito Athanásio, quia à Synodo damnátus, absque altérius Synodi decréto ad suam sedem redíre præsúmpserat, quemdam nómine Gregórium in ejus locum constituérunt. Verùm Július in Synodo quinquagínta Episcopórum Athanásium absólvit; & in Sardicénsi étiam Concílio innocens declarátus, sedi suæ tandem restitútus est. Cùm Constántii Imperatóris jussu multæ Athanásio struieréntur insídiæ, ut eas vitáret, in Ægypti monastéria se recépit, unde non pródiit, nisi regnánte Juliáno Apóstata, & mórtuo Constántio. Cùm autem váriè étiam à Juliáno exagitarétur, íterum fúgere & látebras quærere coáctus est. Hoc mórtuo, & Joviáno imperánte per áliquod tempus pacíficè Ecclésiam suam rexit, hábito étiam Alexándriæ Episcopórum Concílio: sed Valénte Ariáno persecutiónem movénte, in patérno monuménto per quátuor mēses delítuit. Inde tandē egr… sus, post tot labóres & ærú… nas anno Episcopátûs qu… dragésimo séptimo, Alex… driæ óbiit circa annum Ch… sti trecentésimum septuagé… mum tértium.

℟. iij. Dóminus mihi ádst… *ut in Comm. un. Mart. p. xv…*

Oratio.

PRæsta quæsumus, om… potens Deus, ut exc… léntiam Verbi tui, quam b… tus Athanásius assérüit, … conveniénter intellígere … leámus, & verácite pro… ri; Per eúmdem.

Vesperæ, à Capitulo de Fe… sequenti.

DIE XX. JANUARI…

S. SEBASTIANI MAR…

Semiduplex.

Omnia de Com. unius M…

IN I. VESPERIS,

Fit Commemor. S. Atha… ut in Com. SS. Doct. Orat. P… sta quæsumus. *suprà;*

Deinde S. Fabiani Papæ… Mart. per Ant. Qui vice… dabo ei. & ℣. Adjútor me… *ut in Laud. Mat. de Com… Mart. ad Benedictus. p.* x… *Oratio,* Infirmitátem nost… *Ibid. p.* xviij.

AD NOCT.

Lectio j. Script. occurr. ex… bus una.

Ex Enarratióne sancti … bróſii Epíscopi in Psalmū… tésimum décimum octáv…

Lectio ij. Serm. 20.

SEbastiáni mártyris hódie natális est. Hic Mediolanénsis oriúndus est. Fortásse aut jam discésserat persecútor, aut adhuc non vénerat in hæc pártium, aut mítior erat. Advértit hic aut nullum esse, aut tepére certámen: Romam proféctus est, ubi propter fídei stúdium persecutiónis acérba fervébant. Ibi passus est, hoc est ibi coronátus. Itaque illic, quò hospes advénit, domicílium immortalitátis perpétuæ collocávit [anno ducentésimo octogésimo octávo.]

℟. *ij.* Peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent immaculátum. * Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum. ℣. Dómine virtus salútis meæ, obumbrásti super caput meum in die belli; * Sagíttæ. *Ps.* 10. 63. & 139.

Lectio iij.

Ex S. Cypriani Epistolâ 55. & Eusebii histor. l. 6. cap. 29. 36. & 39.

FAbiánus post mortem Anterótis ad Ecclésiæ Románæ Pontificátum præter ómnium exspectatiónem pervénit, ut Eusébio teste, quidam dicébant. Per lítteras ácriter reprehéndit Privátum hærétícum, in Concílio nonagínta Episcopórum Africanórum ob multa & grávia delícta condemnátum. Ad ipsum, sicut & ad álios complúres Epíscopos Orígenes Epístolas de sua fide conscrípsit. Passus est autem in persecutióne Décii Fabiánus, anno ducentésimo quinquagésimo. De cujus agóne sanctus Cypriánus per Epístolam cleri Románi cértior factus, sic rescrípsit: Plúrimum grátulor, quòd ejus memóriam tam célebri & illústri testimónio prosequámini, ut & per vos innotésceret nobis, quod & vobis esset circa Præpósiti memóriam gloriósum, & nobis quoque fídei ac virtútis præbéret exémplum. Fabiáno succéssit Cornélius.

℟. *iij.* Exhibeámus. *p.* xxv.

IN LAUD. MATUT.

De S. Sebastiano Oratio, Præsta quæsumus. *p.* xvij.

Pro Com. S. Fabiani Ant. Ecce Deus. & ℣. In Deo sperávi. *ut in I. Vesp. Com. un. Mart. Oratio*, Infirmitátem nostram. *Ibid. p.* xviij.

Vesperæ, à Capitulo de Festo sequenti, in quibus fit Commemor. S. Sebastiani Mart.

DIE XXI. JANUARII,
S. AGNETIS
VIRGINIS & MARTYRIS
Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Virg. & Mart. exceptis quæ sequuntur infrà.

AD NOCT.

Ex Libro primo S. Ambrósii Epíscopi de Virgínibus.

Lectio iij. Cap. 2.

NAtális est vírginis, intégritátem sequámur. Natális est mártyris, hóstias immolémus. Natális est sanctæ Agnês, miréntur viri, non despérent párvuli, stúpeant nuptæ, imiténtur innúptæ. Hæc duódecim annórum martyrium fecísse tráditur. Quo detestabílior crudélitas, quæ nec minúsculæ pepércit ætáti: imò magna vis fidei, quæ étiam ab illa testimónium invénit ætáte. Hæc inter cruéntas carníficum impávida manus, hæc stridéntium grávibus immóbilis tráctibus catenárum, nunc furéntis mucróni mílitis totum offérre corpus, mori adhuc néscia, sed paráta: vel si ad aras invíta raperétur, téndere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrílegis focis trophæum Dómini signáre victóris: nunc ferrátis colla manúsque ambas insérere néxibus. Non sic ad thálamum nupta properáret, ut ad supplícii locum, læta succéssu, gradu festína virgo procéssit. Flêre omnes, ipsa sine fletu. Quanto terróre egit cárnifex ut timerétur, quantis blandítiis, ut suadéret, quantórum vota ut sibi ad núptias perveníret? At illa: Et hæc sponsi injúria est, exspectáre placitúrum. Qui me sibi prior elégit, accípiet: quid percússor moráris? péreat corpus quod amári potest óculis, quibus nolo. Stetit, orávit, cervícem infléxit. Cérneres trepidáre carníficem, quasi ipse addíctus fuísset: trémere percussóris dextram; pallére ora aliéno timéntis perículo, cùm puélla non timéret suo. Habétis igitur in una hóstia duplex martyrium; pudóris, & religiónis. Et virgo permánsit, & martyriũ obtínuit [anno círciter trecentésimo quarto.]

℟. iij. Vivit Dóminus quóniam custodívit me Angelus ejus; * Et non permísit me Dóminus ancíllam suam coinquinári. ℣. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me sine adjutório.* Et. Glória.* Et. *Judith. 13. Eccli. 51.*

Oratio.

DEus qui ut humánum genus ad confessiónem tui nóminis provocáres, étiam in sexu frágili perfecísti conditiónem martyrii: præsta quæsumus ut Ecclésia tua sanctæ Agnétis exémplo commónita, pati pro te non métuat, & cæléstis præmii glóriam concupíscat; Per.

Vesperæ, à Capitulo de sequenti.

DIE XXII. JANUARII, S. VINCENTII DIACONI & MARTYRIS

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea quæ sequuntur.

IN VESP. *Capitulum*, Beátus vir. *&c. in Com. un. Mart.*

Oratio. Præsta quæsumus. p. xvij.

Fit Commemor. S. Agnetis ut in Com. Virg. p. lxxj. *Orat.* Deus qui. *ut suprà.*

AD NOCT. *Añæ*, ℣. *de Com. juxta Feriam; Et sic in Festis trium Lectionum.*

Sermo S. Augustíni Epíscopi. 274. 275. 277. *Edit Bened.*

Lectio iij.

MAgnum spectáculũ spectatúri sumus óculis fídei, Mártyrem sanctum Vincéntium ubíque vincéntem. Vicit in verbis, vicit in pœnis; vicit in confessióne, vicit in tribulatióne; vicit exústus ígnibus, vicit submérsus flúctibus: postrémò vicit tortus, vicit mórtuus. Magnum & multùm mirándum spectáculum noster ánimus cepit: nec inaníssimam & perniciosíssimam sicut solet in theátris quarúmque nugárum, sed planè utilíssimam & fructuosíssimam voluptátem óculis interióribus haúsimus, cúm beáti Vincéntii gloriósa pássio legerétur. Erat vidére invíctam Mártyris ánimam contra insídias antíqui hostis, contra sævítiam ímpii Júdicis, contra dolóres mortális carnis acérrimâ conflictatióne certántem, & in adjutório Dómini cuncta superántem. Ita planè, caríssimi, ita prorsus fuit: in Dómino laudémus hanc ánimam, ut aúdiant mites, & jocundéntur. Quas voces audíerit, quas reddíderit, quæ torménta devícerit, decúrsa léctio declarávit, & nobis tamquam in conspéctu quæ gesta sunt pósuit. Tanta pœna erat in membris, tanta secúritas in verbis, tamquam álius torquerétur, álius loquerétur. Et verè álius; prædíxit enim hæc Dóminus, & promísit Martyribus suis. Sed jam, Fratres, illa ómnia transiérunt, & ira Daciáni, & pœna Vincéntii. Nunc autem pœna Daciáno, coróna verò Vincéntio. Dénique his præmíssis futúræ vidélicet retributiónis fínibus, étiam in hoc mundo Mártyrum glóriam demonstrémus. Quæ hódie régio, quæve província ulla, quoúsque vel Románum impérium, vel Christiánum nomen exténditur, Natálem non gaudet celebráre Vincéntii? Quis autem hódie Daciáni vel nomen audísset, nisi Vincéntii passiónem legísset? Quod verò tantâ curâ

servávit Dóminus Mártyris corpus, quid áliud demonstrávit, nisi se gubernásse vivéntem, quem non reliquit exánimem? Vicit ergo Daciánum vivens Vincéntius, vicit & mórtuus. [Passus est anno trecentésimo quarto.]

℟. iij. Certámen forte. *cum* Glória Patri. *p.* xiij.

Oratio, Præsta quæsumus. *p.* xvij.

IN II. VESPERIS.

Fit Commemor. S. Hildefonsi Episc. ut in Com. Pontif. Oratio, Exaúdi. *Ibid.*

DIE XXIII. JANUARII,
S. HILDEFONSI
TOLETANI EPISCOPI
Simplex.

De Communi SS. Pontif.

Lectio iij.

Ex ejus Vita, autore S. Juliano ejus successore.

Hildefónsus ex urbe Toletána oriúndus pietátem à téneris annis & contémptum séculi edóctus, monastérium invítis paréntibus ingréssus est. Ibi cùm magnópere in sciéntiis ecclesiásticis, ac præsértim in virtúte profecísset, ab Helládio Toletáno Archiepíscopo ad munus Diáconi assúmptus est. Obitu paréntum amplam nactus hereditátem, totam in sublevándis paupéribus aliísve piis opéribus insúmpsit. Post mortem Abbátis in ejus locum suffectus, tantâ flóruit sapiéntiæ laude, ut odor virtútis illius usquequáque spargerétur. Conciliis duóbus Toletánis subscrípsit. Eugénio Epíscopo in Toletána sede unánimi pópuli voto solus ipse invítus succéssit. Opus scripsit in tres libros divísum de Perpétua beátæ Maríæ Virginitáte, contra tres infidéles, Joviniánum scílicet, Helvídium, & Judæos, qui erectâ fronte illam impugnabant; quo quidem ópere insígnis ejus erga beatíssimam Vírginem piétas refúlget. Morte in conspectu Dómini pretiósâ, proüt víxerat, defúnctus est anno sexcentésimo sexagésimo séptimo, sexagenário major.

℟. iij. Lábia sacerdótis. *p.* xxxij.

DIE XXIV. JANUARII,
S. TIMOTHEI EPHES.
EPISCOPI & MARTYRIS
Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea quæ hic habentur.

IN I. VESPERIS,

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Bonus eris miníster Christi Jesu, enutrítus verbis fidei & bonæ doctrínæ quam assecútus es. 1. *Tim.* 4.

Oratio, Omnípotens ætérne Deus. *infrà in Laud. Mat.*

Fit Commemor. de S. Babyla & soc. Mart. ut in Com. plur. Mart.

Mart. p. xx. Oratio, Deus qui nos. *infrà in Laud. Mat.*

Lectio ij.

Ex Actis Apost. Epist. S. Pauli, Chrysost. & Tillem. to. 2. Hist. Eccl.

TImótheus Lystris in Lycaónia natus est patre gentíli, matre Judæâ Eúnice, & áviâ Loïde, quarum fidem non fictam laudat Apóstolus. Fuit éadem fides & in Timótheo: nam ab infántia sacras lítteras didícerat; & testimónium illi bonum reddébant qui in Lystris erant & Icónio fratres. Hunc ergo Paulus vóluit secum proficísci; nec cunctátus est Timótheus vix dum adoléscens, famíliam, paréntes, domum desérere, plus ómnibus æstimans hærére Paulo. Ita verò illum assúmpsit Paulus, ut circumcíderet propter Judæos qui erant in illis locis, atque illi ut hómini Dei ministérium omne créderet. Unde secúndùm præcedéntes de illo prophetías per impositiónem mánuum suárum Epíscopum Ephesínum illum ordinávit, quin & totíus Asiæ rectórem constítuit ac príncipem. Duábus ad illum scriptis epístolis, prióre è Macedónia, posterióre Româ, ordinátum in cura pastorális officii confirmávit. Vitam sub Nerva Príncipe consummásse créditur Timótheus anno æræ Christiánæ círciter nonagésimo séptimo.

℞. ij. Timótheus fílius meus caríssimus & fidélis in Dómino vos commonefáciet vias meas quæ sunt in Christo Jesu. * Opus enim Dómini operátur, sicut & ego. ℣. Néminem hábeo tam unánimem & sincérâ affectióne; omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi: Ille sicut patri fílius mecum servívit in Evangélio; * Opus. 1. *Cor.* 16. *Philip.* 2.

Lectio iij. de S. Babyla.

Ex Eusebio lib. 6. hist. c. 29. 34. & 39. Chrysost. orat. de S. Babyla, & orat. 9. in Ephes. ac Sozom. lib. 5. c. 18. & aliis.

BAbylas in Antiochéno Pontificátu Zebíni succéssor, sub Décio in cárcerem pro Christo conjéctus & vínculis férreis constríctus, cápite damnátus est cum tribus adolescéntibus, qui cum eo pro fide decertárant: sed in cárcere mórtuus est Bábylas anno círciter ducentésimo quinquagésimo; sepultúsque est cum caténis suis, ut ipse morti próximus mandáverat. Postquàm verò Gallus Juliáni frater Christiánus à Constántio Cæsar denuntiátus, Antiochíæ sedem fixísset; in subúrbio Daphne è regióne templi Apóllinis ædificávit Ecclésiam, ut subúrbium à

Gentílium superstitióne & flagítiis purgáret, & in eam Bábylæ & sociórum córpora deférri jussit: obmutuítque dæmon ad præséntiam sacrórum pígnorum. Sub sancti Bábylæ título habétur Ecclésia Parochiális in subúrbio sancti Petri Monasteriénsis diœcésis Nivernénsis.

℟. iij. Exhibeámus nosmetípsos. *p.* xxv.

In Laud. Matut.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. c. Atténde tibi & doctrínæ: insta in illis: hoc enim fáciens, & teípsum salvum fácies, & eos qui te aúdiunt. 1. *Tim.* 4.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Timótheum fidélem in Evangélio Fílii tui minístrum eâ caritáte donásti, quæ non quærit quæ sua sunt; cupiditátis ómnium malórum radícis spinas evélle, ut nos bene odiéndo, verè amémus, & bene pérditos in vitam ætérnam felíciter inveniámus; Per eúmdem Dóminum.

Commemoratio de S. Babyla & soc. per Ant. Laudábit te. ℣. Propter te. *p.* xxvj.

Oratio.

Deus qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Bábylæ & sociórum natalítia cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére; Per.

Vesperæ de Festo sequenti.

Die XXV. Januarii,

CONVERSIO

S. Pauli Apostoli.

Duplex.

Ad I. Vesperas.

Ant. 7. a. Benjamin lupus rapax, manè cómedet prædam, & véspere dívidet spólia. *Gen.* 49.

Ant. 5. a. Ego occídam, & ego vívere fáciam: percútiam, & ego sanábo. *Deuteron.* 32.

Ant. 8. G. Castigásti me, & erudítus sum, quasi juvénculus indómitus, confúsus sum, & erúbui. *Jerem.* 31.

Ant. 8. G. Grátias Deo super inenarrábili dono ejus. 2. *Cor.* 4.

Antiph. 5. a. Vidit præsumptiónem cordis ejus, quóniam mala est; ídeo adimplévit propitiatiónem suam in illo, & osténdit ei viam æquitátis. *Eccli.* 18.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 15.

Fidélis sermo & omni acceptióne dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum.

Hymnus. *Santol.*

Saule, quid gregis tenélli
Vis cruórem fúndere?
Immoláre quid tot ardes
Immeréntes víctimas?
Insequéndo quem lacéssis,
Hunc Deum jam séntics.

Christus óccupat furéntem,
Cæcat, urget, déjicit,
Ille cedit impéranti,
Seque totum súbjicit:
Persecútor antè Christi,
Præco nunc Christum sonat.

Antè qui plenus minárum
Ibat, aptans víncula,
Nunc tremens stupénsque Saulus
Per manus dedúcitur.
Qui lupus furébat antè,
Nunc in agnum vértitur.

Dura, Christe, quám potenti
Corda mutas déxterâ!
Qui tuum delére nomen
Vult tuórum sánguine,
Ipse totum mox per orbem
Scribet illud & suo.

Summa laus Deo Paréntí
Qui creávit ómnia;
Filióque, qui redémit
Morte nos volens suâ;
Par & illi, cujus almo
Confovémur hálitu. Amen.

℣. Dómine inclína cœlos tuos, & descénde; ℟. Tange montes, & fumigábunt. Ps. 143.

Ad Magníficat, *Ant.* 5. f. Homo cujus obturátus est óculus, audítor sermónum Dei, visiónem omnipoténtis intúitus est; cadit, & sic aperiúntur óculi ejus. *Numer.* 24.

Oratio, Deus, cujus grátia. *infrà in Laud. Mat.*

Et fit Commemor. de S. Timotheo per Ant. 8. G. Certávit bonum certámen fídei, apprehéndit vitam ætérnam, conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus. 1. *Tim.* 6.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. *Ps.* 20.

Oratio, Omnípotens. *suprà.*
Deinde de B. Maria p. 109.

AD VIGILIAS,

Invitatorium, Christum Jesum, à quo misericórdiam consecútus est Paulus, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 1.

Psalmus. Veníte. p. 1.

Hymnus. *Santol.*

PAstóre percússo, minas
Spirábat & cædes lupus,
Sparsúmque vastábat gregem,
Te, Christe, Saulus nésciens.

Etiam caténas stríngere,
Ferox parábat, jam cruces:
Sed ô! repéntè stérnitur,
Verbóque percúlsus ruit.

Quid Saule, Saule; quid struis?
Agnósce victrícem manum:
Cœlo reluctári nefas;
Absíste Jesum pérsequi.

Jam tendit imbélles manus,
Jam colla submíttit jugo:
Stupens jacet; clamat tremens,
Quid Christe, quid victor jubes?

Ex hoste miles, ex lupo
Agnus, gregi se dévovet;
Et raptor ipse nóbili

Raptus triúmpho dúcitur.

O celsa cedrórum Deus,
Qui voce vertis cúlmina!
O qui poténti súbjicis
Mentes supérbas grátiæ!

Tu Pastor infénsas tuo
Vires ovíli cóntere;
Et nostra, si quid dévium,
Ad te reflécte péctora.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 7. d. * Dixit inimícus: Pérsequar & comprehéndam, dívidam spólia, implébitur ánima mea. *Exod.* 15.

Ant. 1. a. Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus. *Ibid.*

Ant. 5. a Déxtera tua Dómine magnificáta est in fortitúdine: déxtera tua percússit inimícum. *Ibid.*

℣. Usquequò, Deus, improperábit inimícus? ℟. Irrítat adversárius nomen tuum? *Ps.* 73.

Tres Lectiones de Scriptura occur. cum suis ℟.

IN II. NOCT.

Ant. 3. a. Deus præordinávit te, ut cognósceres voluntátem ejus, & vidéres justum, & audíres vocem ex ore ejus. *Act.* 22.

Ant. 4. E. Eris testis illíus ad omnes hómines, eórum quæ audísti & vidísti. *Ibid.*

Ant. 3. a. Et nunc quid moráris? Exsúrge, & baptizáre invocáto nómine ipsius. *Ibid.*

℣. Notam fac mihi viam in qua ámbulem, ℟. Quia ad te levávi ánimam meam. *Ps.* 142.

De Actibus Apostolórum.

Lectio iv. Act. 9.

Saulus adhuc spirans minárum & cædis in discípulos Dómini, accéssit ad Príncipem sacerdótum, & pétiit ab eo Epístolas in Damáscum ad synagógas; ut si quos invenísset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem. Et cùm iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damásco: & súbitò circumfúlsit eum lux de cælo. Et cadens in terram, audívit vocem dicéntem sibi: Saule, Saule, quid me perséqueris? Qui dixit: Quis es Dómine? Et ille: Ego sum Jesus quem tu perséqueris: durum est tibi contra stímulum calcitráre. Et tremens ac stupens dixit: Dómine, quid me vis fácere? Viri autem illi, qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti, audiéntes quidem vocem, néminem autem vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra; apertísque óculis, nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns, & non

manducávit, neque bibit.

℟. iv. Ut quid Dómine víneam tuam exterminávit aper de silva, & singuláris ferus depástus est eam? Deus virtútum convértere, réspice de cælo, & vide, * Et vísita víneam quam plantávit déxtera tua. ℣. Exsúrge Deus, júdica causam tuam, éxcita poténtiam tuam, & veni, & manifestáre coram Bénjamin, * Et vísita. *Ps. 79. & 73.*

Lectio v.

Erat autem quidam Discípulus Damásci, nómine Ananías, & dixit ad illum in visu Dóminus; Anánia. At ille ait: Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum: Surge & vade in vicum qui vocátur rectus; & quære in domo Judæ Saulum nómine Tarsénsem: ecce enim orat. Et vidit virum Ananíam nómine, introeúntem, & imponéntem sibi manus ut visum recípiat.) Respóndit autem Ananías: Dómine audívi à multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Jerúsalem: & hic habet potestátem à Princípibus sacerdótum alligándi omnes qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus: Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus & Régibus, & fíliis Israël. Ego enim osténdam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati.

℟. v. Tonábit de cælo Dóminus, & Excélsus dabit vocem suam, * Et confrínget Dóminus cedros Líbani. ℣. Tonábit Deus in voce sua mirabíliter, tonábit voce magnitúdinis suæ, qui facit magna & inscrutabília, * Et. 2. *Reg. 22. Is. 28. Job. 37.*

Lectio vj.

Et ábiit Ananías, & introívit in domum; & impónens ei manus, dixit: Saule frater, Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in via quâ veniébas, ut vídeas, & impleáris Spíritu sancto. Et conféstim cecidérunt ab óculis ejus tamquam squamæ, & visum recépit; & surgens baptizátus est; & cùm accepísset cibum, confortátus est. Fuit autē cum discípulis qui erant Damásci, per dies áliquot: & contínuò in synagógis prædicábat Jesum, quóniam hic est Fílius Dei. Stupébant autem omnes qui audiébant, & dicébant: Nonne hic est qui expugnábat in Jerúsalem eos qui invocábant nomen istud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos dúceret ad Príncipes sacerdótum? Saulus autem multò magis convalescébat, & confundébat Judæos qui habitábant Damásci, affírmans quóniā hic est Christus.

℞. vj. Intónuit de cælo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam; * Commóta est, & contrémuit terra. ℣. Saulus audívit vocem de cœlo; & tremens ac stupens, dixit: Dómine quid me vis fácere? * Commóta. Glória. *Commóta. Ps. 17. Act. 9.

In III. Noct.

Ant. 1. to. Ego ex génere Israël, de Tribu Bénjamin, secúndùm legem Pharisæus, secúndùm æmulatiónem pérsequens Ecclésiã Dei. *Philip.* 3.

Ant. 8. G. Natus sum in Tarso Cilíciæ; nutrítus autem in ista civitáte, secus pedes Gamáliel erudítus, æmulátor legis, sicut & vos. *Act.* 22.

Ant. 8. G. Hanc viam persecútus sum usque ad mortem, álligans & tradens in custódias viros ac mulíeres. *Ibid.*

℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ, ℞. Commóta est & contrémuit terra. *Ps.* 76.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 18.

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Amen dico vobis, nisi conversi fuéritis, & efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlorum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cælorum. Et réliqua.

Homília S. Bernárdi Abbátis.

Convérsus est hódie Paulus, immò Saulus convérsus versus est in Paulum. Síquidem factus est, tamquam Evangélicus ille párvulus, de quo Dóminus ait: Nisi convérsi fuéritis, & efficiámini sicut párvulus iste, non intrábitis in regnum cælórum. Fortè enim seípsum dicébat. Nimírum ipse magnus Dóminus & laudábilis nimis, ipse párvulus qui datus est nobis; nec tamen magnus ínterim, sed párvulus exhibétur, ut seípsum fáciat gratum & éfficax necessáriæ parvitátis exémplum. Ad párvulum ergo fit convérsio tua, ut discas párvulus esse: ut quoque cùm convérteris, párvulus fias. Enimvérò audi, quàm evidénter ipsum tibi, in quo constítuit formam conversiónis, párvulum maniféstat, signánter ea quæ sunt párvuli, in seipso imitánda propónens. Díscite à me (inquit) quia mitis sum, & húmilis corde. Gémina párvitas, humílitas & mansuetúdo. Et illa intérior, ista extérior párvitas. Utraque tamen non parva virtus est: nempe quam párvulus ille tam magnus únicum magistérium profitétur. Hódie ergo convérsus est Paulus, hódie désiit esse Saulus. Hódie factus est húmilis, & mitis

corde. Probat oris conféssio cordis humiliatiónem, dum clamat: Dómine, quid me vis fácere?

℟. vij. Exsúrge & sta super pedes tuos, * Ut constítuam te minístrum & testem eórum quæ vidísti, & eórum quibus apparébo tibi. ℣. Ad hoc enim appárui tibi, * Ut. *Act.* 26.

Ex Homília S. Augustíni Epíscopi.

Lectio viij. de Gestis Pelagii, n. 36.

APostolátum ergo indébitum grátia donávit indígno. An hoc me dixísse pœnitébit? absit: ejus enim testimónio ab hac invídia defensábor; nec me quisquam vocábit audácem, nisi qui fúerit ausus ipsum vocáre mendácem. Ipse clamat, ipse testátur, ipse ut in se Dei dona commendet, nec in seipso, sed in Dómino gloriétur; non solùm nulla se habuísse dicit mérita bona, ut Apóstolus fieret; sed étiam mala sua mérita dicit, ut Dei grátiam manifestet & prædicet. Non sum (inquit) idóneus vocári Apóstolus: quod quid est áliud, quàm non sum dignus? Nam hoc plerique Latíni códices habent. Hoc est nempe quod quærimus: nempe isto múnere apostolátûs illæ omnes grátiæ continéntur. Non enim decébat aut oportébat Apóstolum non habére prophetíam, aut non esse doctórem, aut non claréscere virtútibus, donationibúsque sanitátum, aut adjutória non præbére, aut Ecclésias non gubernáre, aut linguárum genéribus non excéllere. Omnia hæc unum nomen apostolátûs ampléctitur.

℟. viij. Mihi créditum est Evangélium glóriæ Dei, * Qui priùs blasphémus fui, & persecútor, & contumeliósus: sed misericórdiam Dei consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. ℣. Grátias ago ei qui me confortávit Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit ponens in ministério; * Qui. 1. *Tim.* 1.

Lectio ix.

IPsum ígitur consulámus, ipsum pótiùs audiámus; dicámus ei: Sancte Paule Apóstole, Pelágius mónachus dignum te dicit fuísse, qui accíperes omnes grátias apostolátûs tui; tu ipse quid dicis? Non sum (inquit) dignus vocári Apóstolus. Itane, ut déferam honórem Paulo, Pelágio magis de Paulo crédere audébo, quàm Paulo? Non fáciam: me namque pótiùs onerábo, quàm illum honorábo, si fécero. Audiámus étiam, cur non sit dignus vocári Apóstolus: Quia persecútus sum (inquit) Ecclésiam Dei. Si sen-

ſum ſequerémur, quis non iſtum à Chriſto damnándum cenſéret pótiùs, quàm vocándum? Quis ita díligat prædicatórem, ut non deteſtétur perſecutórem? Optimè ergo ipſe atque veráciter, Non ſum (inquit) dignus vocári Apóſtolus, quia perſecútus ſum Eccléſiam Dei. Fáciens ígitur tantum mali, unde meruíſti tantum boni? Aúdiant reſpondéntem omnes gentes: Sed grátiâ Dei ſum id quod ſum. Nũquid áliter eſt grátia commendáta, niſi quia eſt indígno data? Et grátia ejus (inquit) in me vácua non fuit. Hoc & áliis præcipit, ut étiam arbítrium voluntátis oſténdat, ubi ait: Præcipiéntes autem & rogámus, ne in vácuum grátiam Dei ſuſcipiátis.

℟. *ix.* Non fui incrédulus cœleſti viſióni; * Sed in omnem regiónem Judææ & Géntibus annuntiábam ut converteréntur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes.

℣. Dóminus apéruit mihi aurem, ego autem retrórſum non ábii; * Sed. Glória. ℟. Non fui. *Act.* 26. *Iſ.* 5.

AD LAUDES MATUT.

℣. *ſac.* Tu es Deus qui facis mirabília, ℟. Notam feciſti in pópulis virtútem tuam. *Pſ.* 76.

Ant. 8. c. EGo oſténdam illi, quanta opórteat eum pro nómine meo pati. *Act.* 9.

Ant. 3. a. Damáſci conſílium fecérunt Judæi, ut eum interſícerent: cuſtodiébant autem & portas die ac nocte. *Ibid.*

Ant. 4. E. Accipiéntes autem eum diſcípuli nocte, per murum dimiſérunt eum, ſubmitténtes in ſporta. *Ibid.*

Ant. 8. G. Cùm veniſſet in Jerúſalem, Bárnabas apprehénſum illum duxit ad Apóſtolos. *Ibid.*

Ant. 7. a. Narrávit illis quómodo in via vidiſſet Dóminum, & quia locútus eſt ei, & quómodo in Damáſco fiduciáliter égerit in nómine Jeſu. *Ibid.*

Capitulum. 1. *Cor. c.* 5.

EGo ſum mínimus Apoſtolórum; qui non ſum dignus vocári Apóſtolus, quóniam perſecútus ſum Eccléſiam Dei: grátiâ autem Dei ſum id quod ſum, & grátia ejus in me vácua non fuit.

Hymnus. *Santol.*

QUÆ glorióſum tanta cælis évocat
Te, Chriſte, cauſa! Tu-ne rurſum víſere
Mundum Redémptor? Tu-ne judex ſéculi!
Novum-ne prodis ultor hoſtem pérdere?

HEu quàm cruéntus perſecútor! quàm ferox
Inſúrgit! horret & fugit grex

quâ premit:
Humána tanto nulla par hosti
manus;
Te, Christe, sparsæ víndicem
poscunt oves.
Hunc ergo voce victor unâ
súbjicis,
Totum sed uno subdis in Saulo
tibi,
Vincísque mundum, sternis
ut mox érigas,
Agnísque prædam dívidat lupus
tuis.
Sit Trinitáti sempitérna
glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnans
ómnia,
Per cuncta regnat seculórum
sécula. Amen.

℣. Misit de summo & accépit me, ℟. Proptérea confitébor tibi in natiónibus Dómine. *Ps.* 17.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Erat cum illis intrans & éxiens in Jerúsalem, & fiduciáliter agens in nómine Dómini: loquebátur quoque Géntibus, & disputábat cum Græcis: illi autem quærébant occídere eum. *Act.* 9.

Oratio.

Deus, cujus grátia beátum Apóstolum tuũ Paulum de persecutóre vas electiónis effécit, nostras quæsumus étiam rebélles, ejúsdem grátiæ virtúte ad te propítius compélle voluntátes; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Ego osténdam illi. *in Laud.*

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Mihi. *in* 2. *Vesp.*

Capitulum. 1. *Tim.* 1.

Grátias ago ei qui me confortávit Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério; qui priùs blasphémus fui, & persecútor, & contumeliósus.

℟. *br.* Déxtera tua Dómine magnificáta est * In fortitúdine. ℟. Déxtera. ℣. Déxtera tua, Dómine, percússit inimícum * In. Glória. ℟. Déxtera tua, Dómine, magnific.

℣. A Dómino factum est istud, ℟. Et est mirábile in óculis nostris. *Exod.* 15. *Ps.* 117.

AD SEXTAM.

Ant. 8. G. Grátias Deo. *in* *I. Vesp.*

Capitulum. 1. *Tim.* 1.

Superabundávit grátia Dómini nostri, cum fide & dilectióne quæ est in Christo Jesu. Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum.

℟. *br.* Delícta * Juventútis meæ, ℟. Delícta. ℣. Et ignorántias meas ne memíneris *.

Juventútis meæ. Glória. ℟. Delícta.

℣. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me, ℟. Eduxísti me de lacu inferióri. *Ps. 24 & 85.*

AD NONAM.

Ant. 8. G. Grátia Dei. *in 2. Vesp.*

Capitulum. Philip. 3. 8.

OMnia detriméntum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam.

℟. *br.* Pòstquàm convertísti me, * Egi pœniténtiam. ℟. Postquàm. ℣. Et postquàm ostendísti mihi, percússi femur meum, * Egi. Glória ℟. Postquàm convertísti.

℣. Confúsus sum, & erúbui, ℟. Quóniam sustínui oppróbrium adolescéntiæ meæ. *Jerem. 31.*

AD II. VESPERAS,

Ant. 4. F. APpárui tibi, erípiens te de pópulo, & de géntibus in quas nunc ego mitto te aperíre óculos eórum. *Act. 26.*

Ant. 8. c. Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi. *Ephes. 3.*

Ant. 3. a. Christi factus sum minister secúndùm donū grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndùm operatiónem virtútis ejus. *Ibid.*

Ant. 4. E. Cùm plácuit ei qui me segregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus: contínuò non acquiévi carni & sánguini. *Gal. 1.*

Ant. 8. G. Grátiâ Dei sum id quod sum. 1. *Cor* 15.

Capitulum, Grátias ago. *ut suprà ad Tertiam.*

Hymnus, Saule quid gemis. *ut in I. Vesp. p. 554.*

℣. Ubi abundávit delíctum, ℟. Superabundávit grátia. *Rom. 5.*

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Ideò misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi in vitam ætérnam. 1. *Tim.* 1.

Fit Commemoratio S. Polycarpi Episcopi & Martyris, ut in Communi.

Oratio, Imple Dómine. *ut infrà.*

DIE XXVI. JANUARII,

S. POLYCARPI SMYRNENSIS EPISCOPI, & Martyris

Semiduplex.

De Communi unius Martyris.

AD NOCT.

Lectio j. de Script. occurr. ex tribus una, cum suo ℟. iij. sine Gloria Patri.

Lectio ij.

Ex Epístola Ecclésiæ Smyr-

nénsis ad Ecclésias Ponti.
Apud Euseb. hist. lib. 4. cap. 15. Edit. Vales.

POlycárpus ad tribúnal Procónsulis addúctus est; cúmque instáret Procónsul, diceretque: Jura, & prótinus te dimíttam: dic convítia advérsùs Christũ; Polycárpus respóndit: *Sex & octogínta contínuos annos ei ministrávi, nec ullâ me unquam affécit injúriâ: & quómodò possum ímpiè loqui advérsus Regem meum, autorémque salútis meæ.* Urgénte rursus Procónsule, & dicénte: *Jura per génium Cæsaris;* Polycárpus dixit: *Síquidem ambitiósè conténdis, ut ego per génium quem vocas Cæsaris, jurem, símulans te ignoráre quis sim: audi líberè profiténtem: Christiánus sum.* Tunc omnes uno consénsu acclamárunt, ut Polycárpus vivus combureretur. Hæc non cítiùs à pópulo dicta, quàm facta sunt, cunctis ligna & sarménta incredíbili celeritáte comportántibus. Exstrúcto ígitur rogo, Polycárpus omni veste depósitâ, ac solúto cíngulo, cálceos étiam sibi ipse detráhere tentábat. Cúmque eum clavis affígere étiam vellent: *Sínite me,* (inquit) *qui enim mihi vires dat ad ignis supplícium fórtiter sustinéndum, idem dabit ut immótus rogo insistam.* Proínde omíssis clavis, vínculis dumtáxat eum adstrinxérunt.

℟. ij. Angelo Smyrnæ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit primus & novíssimus; qui fuit mórtuus & vivit; scio tribulatiónem tuam & paupertátem, sed dives es. * Esto fidélis usque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. ℣. Nihil horum tímeas quæ passúrus es: ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini. * Esto. *Apoc. 2.*

Lectio iij.

ILle ígitur manus post tergum connéctens, & ad palum revínctus, fuit tamquam áries quidam exímius ex magno grege deléctus, qui gratíssimum holocaústum omnipoténti offerrétur Deo. Cùm precatiónem compléstet, minístri rogum accéndunt. Cúmque ingens flamma exarsísset, mira res visa est: ignis enim fornícis spéciem præbens, tamquam velum navis ventórum flatu sinuátum, circum corpus Mártyris stetit. Cernéntes ímpii corpus flammis non posse consúmi, confectórem própius accédere, ensémque altè in corpus adígere jussérunt. Quo facto tanta vis sánguinis efflúxit, ut ignis prórsus exstinguerétur. Centúrio corpus concremávit, at-

que ita nos demum ossa illíus gemmis pretiosíssimis carióra, & quovis auro puriora colligéntes, ubi decébat condídimus. Quo étiam in loco nobis, si fíeri póterit, conveniéntibus concédet Deus natálem ejus martyrii diem cum hilaritáte & gáudio celebráre, tum in memóriam eórũ qui glorióso certámine perfúncti sunt, tum ad pósteros hujúsmodi exémplo erudiéndos & confirmándos. [Passus est autem Polycárpus anno círciter centésimo sexagésimo sexto.] Scripsit (inquit Hierónymus) ad Philippénses valde útilem Epístolam, quæ usque hódie in Asiæ convéntu légitur.

℟. iij. Probátio vestræ fidei. *cum* Glória Patri. *p.* xiv.

Oratio.

IMple Dómine, petitiónes nostras; & cum beáto Polycárpo Mártyre tuo atque Pontífice, cujus hódie passiónem cólimus, tamquam pinguíssimum holocaústum nos assúme; Per.

Vesperæ à Capitulo de sequenti.

DIE XXVII. JANUARII,
S. JOANNIS CHRYSOST.
Epíscopi Constantinopolitáni & Ecclésiæ Doctóris

Semiduplex.

Omnia de Comm. SS. Doctorum.

IN I. VESP. *Oratio*, Ecclésiam tuam. *infrà in Laud. Mat.*

Fit Commemoratio de S. Polycarpo ut in Com. un. Mart.

Orat. Imple Dómine. *suprà.*

AD NOCT.

Lectio j. de Script. occur. ex tribus una, cum suo ℟. iij.

Lectio ij.

Ex Pallad. Dial. de Vita S. Joan. Chrysost. & Epitome ejus Vitæ, Edit. Bigotii.

JOánnnes propter eloquéntiã Chrysóstomus appellátus, génere Antiochénus fuit, natus ex paréntibus, qui nobíliter víxerant in offício Magístri mílitum Syriæ. Decem & octo annos natus Sophístis, apud quos lítteris humanióribus óperam déderat, valedíxit; ac vir factus, totus in amórem sacrárum Litterárum exársit. Postquàm per tres annos apud Melétium, qui tunc Ecclésiæ Antiochénæ præerat, assíduè mansísset, ab eódem baptizátus est, & Lector constitútus. Sed cùm civitátis frequéntia non placéret, in vicínos montes secéssit, & sub Syri cujúsdam severíssimæ continéntiæ senis disciplínâ quátuor annos exégit: nec hoc vitæ génere conténtus in spelúncam se recépit, ubi Christi Testaméntum evólvens, multas noctes duxit insómnes, nec toto biénnio decúbuit. Sic contráctâ gravi infirmitáte urbem repétere coáctus est. Post

quinque annos Diáconus à Melétio, & tandem Présbyter à Flaviáno Antiochéno Epíscopo ordinátur. Per duódecī annos suis ad pópulū sermónibus, & exáctâ vitæ normâ Présbyter Ecclésiam Antiochénam illustráverat: cùm mórtuo Nectário Epíscopo Constantinopolitánæ Ecclésiæ præféctus est. Epíscopus factus nihilóminùs ávidè sacras Scriptúras scrutátus est, ita ut aliquándo usque ad vésperam cibum non cáperet, partim quidem curis Ecclesiásticis occupátus, sed partim étiam divínis contemplatiónibus abstráctus. Valde sóbrius erat & parcus; & sumptus in luxuriósa convívia impénsos, sacrilégia reputábat. Ecclésiæ ac Episcopális famíliæ sumptus resécuit; & quod inde superérat, in paúperum cómmodum convértit, præsertímque infirmórum quibus nosocómia constrúxit.

℟. ij. Ne despícias. iv. de Com. SS. Doctorum. p. xxxix.

Lectio iij.

Clericórum desídiam & avarítiam compéscere, & ab eórum ædibus subintrodúctas mulíeres arcére aggréssus, plúrimos in se cómovit: nunquam tamen majórem invídiam in se concitávit, quàm cùm pópulum circi & theatrálium spectaculórum amóre insaniéntem, relíctis his diáboli átriis ad caulas Salvatóris concúrrere persuásit. Hinc enim quidam mercenárii pastóres in Joánnem calúmnias necténdi occasiónem sumpsérunt, quasi contra Augústam, & quosdam in aula Imperatóris conspícuos locútus esset, quando advérsùs ludórum publicórum insániam invéctus est. Uno verbo, his calúmniis, aliísque confíctis crimínibus effecérunt Joánnis æmuli, ut in Pseudosynodo deponerétur, & Constantinópoli ejicerétur. Paucis diébus elápsis sedi suæ restitúitur, sed post duos menses íterùm in eum insúrgunt adversárii, & iníquis molitiónibus, primùm Ecclésiâ, deínde civitáte expéllunt. In Bythínia aliquàndiu est deténtus, sed póstea in Arméniam exsul ductus est. Cúmque huc & illuc à quibúsdam milítibus per tres & ámpliùs annos sævíssimè raptátus esset, in locum desertíssimum ad Ponticum mare situm transférri jubétur. At priúsquàm locum illum attíngeret, die décimo quarto Septémbris anno quadringentésimo séptimo, sumptis Domínicis symbolis, obdormívit in Dómino, his prolátis últimis verbis, quæ cùm víveret sæpiùs in ore habébat, Glória Deo propter ómnia.

Ejus corpus Constantinópolim post annos trigínta quinque imperánte Theodósio junióre, & sedénte Proclo Epíscopo Constantinopolitáno relátum est, ac pósitum in Ecclésia beatórum Apostolórum die vigésimo séptimo mensis Januárii. In sancto Joánne Chrysóstomo, non solùm enítuit incomparábilis eloquéntia, & mira in exponéndis Scriptúris sagácitas, sed étiam quidquid Epíscopum Deo accéptum, & pópulis útilem effícere potest, in eo splendidíssimè effúlsit.

℟. iij. Apériet os suum in oratióne, & Dóminus magnus spíritu intelligéntiæ replébit illum; * Et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ. ℣. Cibábit illum Deus pane vitæ & intelléctûs, & in médio Ecclésiæ apériet os ejus; * Et ipse. Glória Patri. * Et ipse. *Eccli.* 39. & 15.

Oratio.

Ecclésiam tuam, quæsumus Dómine, grátia cœléstis amplíficet, quam beáti Joánnis Chrysóstomi illustráre voluísti gloriósis méritis & doctrínis; Per Dóminum.

In II. Vesp. *Fit Commemor. S. Thomæ Aquinatis per Ant.* Omnis scriba doctus. ℣. Beátus homo. *in Com. SS. Doct, p.* xxxvij. *Oratio*, Deus qui Ecclésiam tuam, *infrà in Laud.*

Deinde S. Cyrilli Alexandr. Episc. & Doct. per Ant. Filii Sion. *in Com. SS. Doctorum. p.* xliv. ℣. Os meum. *Oratio*, Deus qui pópulo tuo. *Ibid.*

Die XXVIII. Januarii,

S. THOMÆ AQUINATIS Ecclésiæ Doctoris

Semiduplex.

Ad Noct.

Lectio ij.

Ex ejus Vita apud Bolland.

Thomas Landúlphum Cómitem Aquinátum & Theodóram Neapolitánã paréntes hábuit. Quinque annos natus Cassinénsibus mónachis pietáte ac lítteris imbuéndus tráditur. Jam adoléscens Fratrum Prædicatórum Ordinem ingréssus est. Cùm paréntes id indígnè ferrent, Lutétiam Parisiórum míttitur; sed in itínere jussu fratrum in castéllum quoddam vi detrúsus est. Tantùm autem ábfuit ut à propósito dimoverétur, quin pótiùs uni sorórum quæ fratres imitáta, ut propósitum mutáret, eum váriè exagitábat, persuásit ut se Deo consecráret. E castro per fenéstram dilápsus, post biénnium tandem Lutétiæ, júvenis licèt, gradum magistérii adéptus est. Numquam se lectióni aut scriptióni dabat, nisi post oratiónem, cúi cùm exponénda erant difficilióra

scriptúræ loca, jejúnium adjungébat. Nullum penè fuit scriptórum genus, in quo non esset diligentíssimè versátus; ac ne rerum subtiliórum inquisitióne cáritas tepésceret, Collatiónes Patrum assíduè légébat. Delátum à Cleménte quarto Archiepiscopátum Neapolitánum constánter recusávit. A Gregório décimo ad Concílium Lugdunénse missus est: at in itínere morbo corréptus, ad monastérium Fossæ novæ Ordinis Cisterciénsis in diœcési Terracinénsi situm divértit, & in ipso ingréssu mortem præséntiens, ait: Hæc réquies mea in séculum séculi; hîc habitábo, quóniam elégi eam. Tunc rogátus à frátribus Cántica Canticórum expósuit, & deficiéntibus víribus obdormívit in Dómino, anno ætátis quinquagésimo, & Christi millésimo ducentésimo septuagésimo quarto. Hac verò die corpus ejus Româ Tolósam célebri pompâ fuit translátum.

Lectio iij. de S. Cyrillo Alexandr. Episc. & Doct.

Ex ejus scriptis, & Vita apud Bolland.

CYríllus urbis Alexandrínæ Patriárcha, avúnculum & decessórem suum Theóphilum secútus, ferventióri zelo à communióne & amicitiâ sancti Joánnis Chrysóstomi abstínuit. Depósitis post illíus mortem quos de ipso malè haúserat sénsibus, honórem tanti viri memóriæ débitum restítuit. Hæresis Nestoriána quæ beátam Vírginem negábat esse Deíparam illíus scriptis primùm impugnáta, ex póstea promovénte & præside in Concílio Ephesíno damnáta est. Comes Candidiánus Nestórii fautor multis eum apud Imperatórem Theodósiū impetívit calúmniis. Quo factum est ut arctíssime Cyríllus jussu Príncipis recluderétur in cárcere. Ecclésiæ pósteà rédditus Joánnem Patriárcham Antiochénum ab Ephesína Synodo dissidéntem ad perféctam pacem & concórdiam revocávit. Hinc nova súbitò advérsùs illum commóta est invídia, clamántibus orthodóxis ipsum schismáticis manus dedísse, áliis jactántibus eum à prióri resipuísse doctrína. Cyríllus fidem suam, & agéndi consílium apud omnes expósuit & probávit. In pace móritur anno quadringentésimo quadragésimo quarto.

In Laud. Matut.

Oratio.

DEus qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Doctóris mirâ eruditióne claríficas, & sanctâ operatióne fecúndas:

da nobis, quǽsumus, & quæ dócuit intelléctu conspícere, & quæ egit, imitatióne complére; Per Dóminum.

Pro Commemor. S. Cyrilli Ant. Omnis scriba doctus. ℣. Beátus homo. *ut ad* Magníficat *in I. Vesp. de Com. Doct. p.* xxxvij. *Oratio*, Deus qui pópulo tuo. *Ibid. p.* xliv.

Vesperæ, à Capitulo de sequenti Festo.

DIE XXIX. JANUARII, S. FRANCISCI SALESII EPISCOPI GENEVENSIS *Semiduplex.*

Omnia de Communi Pontif. præter seqq.

Oratio, Deus, qui ad animárum. *infrà in Laud.*

Pro Com. S. Thomæ Aquin. Ant. Qui docti fúerint. ℣. Non abscóndi. *in Com. Doct. p.* xlv. *Oratio*, Deus, qui Ecclésiam. *suprà.*

AD NOCT.

Lectio ij. Ex ejus Vitâ.

FRancíscus Salésius è stirpe nóbili in Sabaúdia natus, Paríssiis Philosóphiæ ac Theológiæ incúbuit, ibíque in Ecclésia Sancti Stéphani de egréssu coram imágine Vírginis Deíparæ supplex votum virginitátis emísit. Tum Patávii Jurisprudéntiæ óperam dedit; indéque Romam pietátis grátiâ se cóntulit. In pátriam revérsus abjéctis forénsibus stúdiis, Presbyterátu initiátus, & Annecéii, quò sedes Genevénsis transláta fúerat, Præpósitus majóris Ecclésiæ eléctus est. Hoc in múnere hǽresim in Caballíacis grassántem Granéro Epíscopo jubénte adórtus, post incredíbiles labóres felíciter expugnávit. His in locis Thunóne máximè, cùm sacrum fácere non licéret, in arcem Albingiánam quátuor milliáribus distántem se recípere, & Druéntiam amnem innixus trabi, quæ glácie plerúmque obrigúerat, pédibus & mánibus reptans trajícere cogebátur. Calúmniis & inimicórum insídiis appetítus látuit sæpè in silvis, in furnis, & in rudéribus. Complúres doctrínâ célebres viros ad veritátis lumen addúxit. Suscépto regímine Paróchiæ quam Thunóne eréxerat; cùm eam regiónem dira lues popularétur, ómnibus ómnia córporis & ánimæ subsídia amánter, constánter, atque indústriè procurávit.

℟. ij. Rectórem. *p.* xxxj.

Lectio iij.

IN Coadjutórem adscítus à Granéro Epíscopo, Annecéii Seminárium Clericórum instítuit. Apud Regem perfécit ne quid à Genevénsibus qui tum Gallis advérsùs Sabaúdos auxílio erant, in Religiónis negótio innovaré-

tur; utque ejécti Párochi Ecclésiis suis restitueréntur. Granéro mórtuo in Episcopátu Genevénsi succédens, coégit Synodum & Ecclesiásticæ disciplínæ leges Clero sanxit. Plúribus ad vitam rectè instituéndam exémplo & mónitis prófuit. Congregatiónem Moniálium Visitatiónis sub Régula sancti Augustíni instítuit. Dum autem recusáto Coadjutóris Parisiénsis múnere, ad diœcésim lustrándam revértitur, Lugdúni apopléxiâ corréptus, munítus tamen Sacraméntis óbiit quinto Kaléndas Januárii, anno ætátis quinquagésimo sexto, episcopátûs vigésimo, Christi millésimo sexcentésimo vigésimo secúndo; quibúsdam libris éditis ad excitándos aut fovéndos téneræ devotiónis affectus aptíssimis.

℟. *iij.* Lábia Sacerdótis. *p.* xxxij.

Oratio.

Deus qui ad animárum salútem beátum Francíscum Salésium Pontíficem ómnibus ómnia fíeri voluísti; concéde propítius, ut caritátis tuæ dulcédine perfúsi, ejus dirigéntibus mónitis ac suffragántibus méritis, ætérna gaúdia consequámur; Per Dóminum.

Vesperæ, à Capitulo de sequenti.

DIE XXX. JANUARII,
S. GREGORII NAZIANZ.
EPISC. CONSTANTINOP.
& Ecclesiæ Doctoris

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Doctorũ, præter ea quæ sequuntur.

Oratio, Omnípotens, ætérne Deus. *Ibid. p.* xliv.

Fit Commemor. S. Francisci Salesii ut in Com. Pontif. ad II. Vesp. p. xxxvj.

Oratio, Deus, qui ad animárum. *suprà.*

Deinde S. Bathildis ut in Com. SS. Mulierum p. lxxxij. *Orat.* Deus qui inter falláces. *infrà in Laud. Mat.*

AD NOCT.

Lectio ij.

Ex ejus Operibus ac Carm. de Vita sua, ex antiq. Script. Eccl.

Gregórius ob singulárem divinárũ litterárũ sciéntiam Theólogus appellátus, Ariánzi in Cappadócia natus est Gregório patre, qui Nazianzénæ Ecclésiæ præfuit, & Nonnâ matre, quæ nondum in lucem éditum Deo consecrávit. Adoléscens Cæsaréam primùm, deínde Alexándriã, hinc Athénas discéndi stúdio perréxit; ubi amicítiam íniit cum Basílio, & ab Atheniénsibus eloquéntiæ proféssor est desígnátus. In pátriam revérsus baptizátus est, ac post sex annos Présbyter à patre invítus licèt creátus est. Mòx ne

ab eódem Epíscopus consecrarétur, fugit in Ponti solitúdinem, ubi cum Basílio monásticæ vitæ institúta cóndidit. Sasimórum Ecclésiæ à Basílio præféctus, ne causa esset dissídii Basílium inter & Anthimum Tyanénsem Epíscopum de Sasimórum óppido, episcopátu cessit; & postquàm aliquándiu in nosocómio ægrótis ministrásset, Naziánzum in auxílium patris eâ conditióne venit, ut illo vitâ functo recéderet. Constantinópolim ad restaurándam hujus civitátis Ecclésiam missus, Arianos & Apollinarístas expugnávit; multísque ab hæresi revocátis, lapídibus ob fidem Trinitátis appetítus, orat pro persecutóribus, & ut seditiósus tráhitur ad judícium, sed absólvitur. Tantis persúnctum labóribus Gregórium Petrus Alexandrínus Constantinopolitanórum Epíscopum per epístolas instítuit: at paulò pòst mutáto consílio ad eam sedem Máximum Cynicum, clero & plebe repugnántibus, evéxit. Convocátâ deínde Constantinopolitánâ Synodo, Máximus dejícitur; Gregórius verò confirmátur óperâ Melétii Antiochéni, ante advéntum Timóthei Alexandríni & Episcopórum Ægypti aliorúmque ex Macedónia. Qui cùm adéssent negaréntque citra suum co- sénsum Constantinópoli d Epíscopum potuísse, Gregrius in Concílio stúdio pac se ábdicans, dixit: Si vob ullómodò dissídii causa sum Jonam Prophétam vitæ in gritáte non súpero, projíci me in mare, & hæc tumúltu procéllæ conquiéscent. Po hæc à Synodo discédens, cù Nectárius ei substitútus esse Ariánzum se recépit. Dehi Naziánzum Præsule orbát aliquándiu administrávit, e qué Ecclésiæ ab hæresi exp gátæ præficiéndum curáv Eulálium. Rus deínde secéssit, ubi mónachi vitam agens gravíssimas carnis tentatiónes oratiónibus, jejúniis, ac vigíliis superávit. Demum Theodósio imperánte, anno trecentésimo octogésimo no no, ætátis sexagésimo dec sit, multis super ægros energúmenos patrátis in vi miráculis.

℞. ij. Atténde tibi

Lectio iij. de S. Bathild

Franc. Regina.

Ex ejus Vita apud Duches

BAthíldis in Anglia, nob Sáxonum génere orta, cunváldo Majóri domûs giæ adhuc infántula ven fuit, & ab ipso in famul cónjugi trádita. Cúi accep sima cùm esset, ipsíque cunváldo ob córporis form

rúmque honestátem grama, póstmodum ab eódem ttuâ cónjuge in uxórem est etíta; sed hæc ut vitáret rias se subtráxit, tandem Clodovéi secúndi Regis júgium insperátò pertrár anno sexcentésimo quagésimo nono. Cujus étiam u viduáta, Regnum cum s suis sapientíssimè rexit, o témpore simoníacam laa jam diu in Regno & Pao Francórum grassántem réssit. Nóluit in regno ristiános jugo servitútis primi: eórum saltem pernas líberas edícto declarát. Fuit in consílio prudens, nigna in pópulum, & in énos liberalíssima. Coram & Calam monastéria dávit, & in Calénsi quim suscépto sanctimoniális bitu, sub obediéntia Berte Abbatíssæ tantâ inter risti ancíllas humilitáte vi, ut à re culinária aliísque ibus offíciis non abhorré. Cùm ítaque ómnibus émplo & admiratióni fuís, eo in monastério mórtua ditur anno ætátis quinquamo quinto, Christi ausexagésimo octogésimo.

iij. In opéribus. *p.* lxxxv.

IN LAUD. MATUT.

De S. Gregorio Oratio, Omnípotens, ætérne Deus. *p.* xliv.

Fit Commemor. S. Bathildis Francorum Reginæ. Ant. 1. a. Dirécta est divínitùs in pœniténtiam géntis, & tulit abominatiónes impietátis, & gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49.

℣. Iníquos ódio hábui, ℟. Et legem tuam diléxi. *Ps.* 118.

Oratio.

DEus, qui inter falláces temporális regni delícias beátam Regínam Bathíldem fámulam tuam spíritu veritátis & sobrietátis implevísti; fac nos ejus exémplo cœléstis, quam toto corde concupívit, civitátis amatóres, cadúca ómnia despícere, & ad sola ætérna totâ mente festináre; Per Dóminum.

IN II. VESP. *de S. Gregorio Naz. Oratio*, Omnípotens, *in Com. Doct. p.* xliv.

Fit Commemor. de S. Marcella Vidua, Oratio, Deus, humílium consolátor. *in Com. SS. Mulierum p.* lxxxviij.

Deinde de S. Petro à Nolasco in Com. SS. Monach. Oratio, Deus qui, *infrà.*

DIE XXXI. JANUARII,

S. MARCELLÆ VIDUÆ.

Simplex.

Omnia de Comm. S. Mulierum.

Lectio ij.

Ex Hieron. Epist. 16. *&c.*

MArcélla nóbilis & dives Románs, facta est par-

pertáte & humilitáte nobilior. Séptimo post núptias mense orbáta viro suo, Cereális, cujus clarum inter Cónsules nomen erat quique suas longævus pollicebátur ipsi divítias, conjúgium recusávit, perpétuæ se cúpiens pudicítiæ dedicáre. In urbe ádmodùm malédica nullam unquam siníſtri rumóris labem contráxit. Nullum clericórum aut monachórum vidit absque árbitris. Divinárum Scripturárum ardor ei erat incredíbilis, in quibus addiscéndis beátum Hierónymum hábuit magístrum. Propter infirmitátes vino utebátur, sed parcíssimè; cárnibus verò pénitus abstinébat. Raròprocéssit in públicum, & máximè nobílium matronárum vitábat domos, ne cogerétur vidére quod contémserat. Hæc ab Athanásio qui persecutiónem Ariánam declínans Romam confúgerat, Monásticam disciplínam illic háctenus ignótam edócta est, atque ex ejus imitatióne multi solitáriá vitam coluére viri & mulíeres. Damnatiónis Origenistárum hæc fuit princípium. Gotis Romam invadéntibus & ad eam introgréssis, fústibus flagellísque cæsa est, ut aurum osténderet: illa opes effóssas véstium vilitáte excusávit, ac paulò pòst obdormívit in Dómino anno quadringentésimo décimo.

℟. ij. Erat in ómnibus famosíssima. *v. de Com. SS. Mulierum. p.* lxxxiij.

Lectio iij. de S. Petro.

Ex ejus Vita apud Bollandum.

Petrus Noláscus Recaúdi prope Carcassónem in Gállia nóbili génere natus, singulári erga próximos caritáte excélluit. Adoléscens paréntibus orbátus, Albigénsium hæresim, quæ tunc in Gállia grassabátur, éxsecrans, divéndito património in Hispániam secéssit, & apud beátam Vírginem Montis Serráti votum quo se priùs obstrínxerat, exsólvit. Tum Barcínonam pergens, cùm Christi fidélibus ab hóstium servitúte rediméndis omnem pecúniam consumpsísset, seipsum pro iis liberándis venum-íre, aut in illórum víncula sússici cúpere dictábat. Unà cum sancto Raimúndo de Pennaforti, & Jacóbo primo Rege Arragóniæ Religiónem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis captivórum instítuit, Sodálibus suis quarto voto obstríctis manéndi in pignus sub paganórum potestáte, si pro Christianórũ liberatióne opus fúerit. Castitáte, patiéntiâ, humilitáte, abstinéntiâ, ceterísque virtútibus enítuit. Sénio tandem conféctus óbiit médiâ nocte Vigíliæ Nativi-

s Dómini anno millésimo
entésimo quinquagésimo
to.

℟. iij. Licèt is qui foris est.
omm. SS. Monach. p. lix.
Glória Patri.

N LAUD. MAT. de S. Mar-
a, Oratio, Deus humílium
nsolátor. in Comm. SS. Mul.
xxxviij.

Fit Commem. S. Petri Nol.
Comm. SS. Monach. p. lxj.

De S. Petro Oratio.

DEus qui ad captivórum redemptiónem Ecclésiā am novâ prole per beátum trum Noláscum fecundásti; is nobis intercessióne con- de, ut à peccáti servitúte lúti, perpétuâ in cœlésti tria libertáte gaudeámus; r Dóminum.

DIE I. FEBRUARII,
IGNATII ANTIOCH.
EPISCOPI & MARTYRIS
Semiduplex.

De Comm. un. Mart. præter quæ hîc sunt propria.

IN I. VESPERIS,
Oratio, Omnípotens. in Com.
. Mart. p. xviij.

AD NOCT.

x Libro S. Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio ij. Cap. 26.

IGnátius Antiochénæ Ecclésiæ tértius post Petrum Apóstolum Epíscopus, commovénte persecutiónem Trajáno, damnátus ad béstias Romā vinctus míttitur. Cúmque návigans Smyrnam venísset, ubi Polycárpus audítor Joánnis Epíscopus erat, scripsit unam Epístolam ad Ephésios, álteram ad Magnesiános, tértiam ad Trallénses, quartam ad Romános; & inde egrédiens scripsit ad Philadélphios & ad Smyrnæos, & própriam ad Polycárpum, comméndans illi Antiochénsem Ecclésiam, in qua & de Evangélio, quod nuper à me translátum est, super persóna Christi ponit testimónium dicens, Ego verò & post resurrectiónem in carne eum vidi. Dignum autem vidétur, quia tanti viri fécimus mentiónem, & de Epístola ejus quam ad Romános scrípsit, pauca pónere. De Syria, (inquit Ignátius,) usque ad Romam pergo ad béstias, in mari & in terra, nocte diéque ligátus, cum decem leopárdis, hoc est, milítibus qui me custódiunt: quibus & cùm bene féceris, pejóres fiunt. Iníquitas autem eórum mea doctrína est, sed non idcírco justificátus sum.

℟. ij. Usque ad mortem. p. xvj.

Lectio iij.

UTinam fruar béstiis, (pergit Ignátius in eádem Epístola ad Romános,) quæ

mihi sunt præparátæ, quas & oro mihi velóces esse ad intéritum, & ad supplícia, & állici ad comedéndum me, ne sicut & aliórum Mártyrum, non aúdeant corpus attíngere. Quòd si veníre nolúerint, vim faciam, ego me urgébo ut dévorer. Ignóscite mihi, filióli: quid mihi prosit, ego scio. Nunc incípio Christi esse discípulus; nihil de his quæ vidéntur desíderans, ut Jesum Christū invéniam. Ignis, crux, béstiæ, confráctio óssium, membrórum divísio, & totíus córporis contrítio, & tota torménta diáboli in me véniant, tantùm ut Christo fruar. Cúmque jam damnátus esset Ignátius ad béstias, & rugiéntes audíret leónes, ardóre patiéndi ait: Fruméntum Christi sum, déntibus bestiárum molar, ut panis mundus invéniar. Passus est anno undécimo Trajáni, Christi verò centésimo séptimo. Relíquiæ córporis ejus Antiochíæ jacent extra portam Daphníticam in cœmetério.

℟. iij. Desidérium habens dissólvi, & esse cum Christo, ómnia detriméntum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. *Mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum. ℣. Pláceo mihi in infirmitátibus, in contuméliis, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo.* Mihi. Glória. * Mihi. *Philip.* 1. & 3. 2. *Cor.* 12.

Orat. Omnípotens. *p.* xviij.



DIE II FEBRUARII,

IN PRÆSENTATIONE DOMINI, ET PURIFICATIONE B. MARIÆ VIRGINIS,

SOLEMNE MAJUS.

¶ [*Si Festum istud incidat in Dominicam, fit de eo: sed loco ix. Lectionis dicitur Lectio Evang. & Homil. de Dominica cum suo ℟. vij. & Gloria Patri; fitque Commemoratio Dominicæ in Laudibus & utrisque Vesperis. Quod observatur in aliis Annualibus Proprii Sanctorum in Dominica occurrentibus.*

AD I. VESPERAS,

Psalmi de Feria super Ant. 5. f.



ECce ego addúcam servum meũ Oriéntem, & aúferam iniquitátem terræ. *Zach.* 3

Ant. 1. f. Véniet ad templum suum Dominátor quem vos quæritis, & Angelus testaménti quem vos vultis. *Malach.* 3.

Ant. 3. 2. Ipse quasi ignis conflans purgábit filios Levi, quasi aurum, & erunt Dómino offeréntes sacrifícia in justítia. *Ibid.*

Ant. 8. G. Et placébit Dómino sacrifícium Juda & Jerúsalem, sicut dies séculi, & sicut anni antíqui. *Ibid.*

Ant. 1. D. Ecce venit, dicit Dóminus exercítuum: & quis póterit cogitáre diem advéntûs ejus; & quis stabit ad vidéndum eum? *Ibid.*

Capitulum. Is. 56. 7.

ADdúcam eos in montem sanctum meum, & lætificábo eos in domo orationis meæ: holocaústa eórum & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo.

℟. Véniet desiderátus cunctis géntibus; & implébo domum istam glóriâ. * Magna erit glória domûs istíus novíssimæ plùs quàm primæ. ℣. Vétera transiérunt; ecce facta

sunt ómnia nova. * Magna. Glória Patri. ℟. Véniet. *Agg.* 2. 2. *Cor.* 5.

Hymnus. *Santol.*

STUPETE Gentes, fit Deus hóstia!
Se sponte legi Légifer óbligat,
Orbis Redémptor, nunc redémptus;
Seque piat sine labe Mater.

DE more Matrum Virgo puérpera
Tēplo statútos abstínuit dies.
Intráre Sanctum quid pavébas,
Facta Dei priùs ipsa templum?

ARA sub una se vovet hóstia
Triplex; honórem virgíneū ímmolat.
Virgo sacérdos, parva mollis
Membra puer, seniórque vitam.

EHEU quot enses transádigent tuum
Pectus! quot altis nata dolóribus,
O Virgo! quem gestas cruéntam
Imbuet hic sacer Agnus aram.

CHRISTUS futúro, corpus adhuc tener,
Prælúdit insons víctima fúneri;
Crescet; profúso vir cruóre
Omne scelus móriens piábit.

SIT summa Patri, súmmaque Fílio,
Sanctóque compar glória Flámini,
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu.
Amen.

℣. Deus in Sion cognoscétur, ℟. Cùm suscípiet eum. *Ps.* 47.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Præparáre in occúrsum Dei tui, Israël; quia ecce formans montes, & creans ventum, & annúntians hómini elóquium suum, fáciens matutínam nébulam & grádiens super excélsa terræ: Dóminus Deus exercítuum nomen ejus. *Amos.* 4.

Orationes, Omnipotens & Deus qui salutis. *infrà in Laud. Matutinis sub una clausula.*

AD COMPLETORIUM,

Psalmi de Feria super Ant. 8. G. Póssíde sapiéntiam, & exaltábit te: glorificáberis ab ea, cùm eam fúeris amplexátus. *Prov.* 4.

Hymnus, Virgo Dei génitrix. *in Officio parvo B. V. M. p. cx.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Allelúia, Parásti lumen ad revelatiónem géntium, allelúia, & glóriam plebis tuæ Israël; allelúia, allelúia. *Luc.* 2.

Post Septuagesimam hæc Ant. dicitur sine alleluia, 8. *toni*, c.

AD VIGILIAS,

Invitatorium, Ecce venit ad templum sanctum suum Dominátor

minátor Dóminus; * Veníte adorémus. *Malach.* 3.

Psalmus 94. Venite. *p.* 1.

Hymnus. *Santol.*

TEMPLI sacrátas pande, Sion, fores;
Christus sacérdos intrat & hóstia:
Cedant inánes veritáti,
Quæ se ánimis áperit, figúræ.

NON immolándi jam pécudum greges;
Fumábit ater non cruor ámpliùs:
En ipse placándo Parénti
Ipse suis Deus adstat aris.

VIRGO laténtis cónscia Núminis,
Demíssa vultus, quem péperit Deum,
Hunc gestat ulnis, pauperúmque
Múnera fert, téneras volúcres.

HIC omnis ætas, omnis & ádstitit
Sexus, propínquo Númine plénior,
Omnes anhelántis tot annos
Nunc fídei prétium repórtant.

TESTES tot inter magnánimo, Deus,
Tibi litábat firma siléntio,
Verbi siléntis muta Mater,
Cuncta ánimo pénitus premébat.

SIT summa Patri, súmmaque Fílio,
Sanctóque compar glória Flámini,
Sanctæ litémus Trinitáti,
Perpétuo pia corda cultu.
Amen.

Psalmi Feriales per totam diem.

IN I. NOCT.

Ant. 1. a. Adhuc unum módicum, & ego commovébo cælum, & terram, & mare, & áridam. *Agg.* 2.

Ant. 3. b. Movébo omnes gentes: & véniet desiderátus cunctis géntibus. *Ibid.*

Ant. 8. c. Implébo domum istam glóriâ, dicit Dóminus exercítuum. *Ibid.*

℣. Benedictiónem dabit Legislátor,

℟. Vidébitur Deus deórum in Sion. *Ps.* 83.

Tres Lectiones de Scriptura occurrente cum suis ℟.

IN II. NOCT.

Ant. 3. a. Concépit múlier, & péperit fílium, & addúxit eum ad domum Dómini. 1. *Reg.* 1.

Ant. 1. D. Ascéndit vir ejus ut immoláret Dómino hóstiam solémnem, & obtulérunt púerum. *Ibid.*

Ant. 8. G. Puer erat adhuc infántulus, & adoravérunt ibi Dóminum. *Ibid.*

℣. Oblátio justi impínguat altáre,

℟. Et odor suavitátis est in conspéctu Altíssimi. *Eccli.* 35.

De Libro Exodi.

Lectio iv. *Cap. 13.*

Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Sanctífica mihi omne primogénitum quod áperit vulvam in filiis Israël, tam de homínibus quàm de juméntis: mea sunt enim ómnia. Et ait Móyses ad pópulum: Cùm introdúxerit te Dóminus in terram Chananæi, sicut jurávit tibi & pátribus tuis, & déderit tibi eam, separábis omne quod áperit vulvam, Dómino, & quod primitívum est in pecóribus tuis: quidquid habúeris masculíni sexûs, consecrábis Dómino. Primogénitum ásini mutábis ove: quod si non redémeris, interfícies. Omne primogénitum hóminis de filiis tuis prétio rédimes.

℟. iv. Mea sunt ómnia primogénita filiórum Israël, ex die quâ percússi omne primogénitum Ægypti, sanctificávi eos mihi. * Omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur. ℣. Tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini: * Omne. *Num. 8. Luc. 2.*

De Libro Levítici.

Lectio v. *Cap. 12.*

Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere filiis Israël, & dices ad eos: Múlier, si suscépto sémine pepérerit másculum, immúnda erit septem diébus, juxta dies separatiónis ménstruæ: & die octávo circumcidétur infántulus: ipsa verò trigínta tribus diébus manébit in sánguine purificatiónis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingrediétur in Sanctuárium, donec impleántur dies purificatiónis suæ. Sin autem féminam pepéreit, immúnda erit duábus hebdomádibus, juxta ritum fluxûs ménstrui, & sexagínta sex diébus manébit in sánguine purificatiónis suæ.

℟. v. Múlier, cùm expléti fúerint dies purificatiónis suæ, déferet agnum anniculum in holocaústum, & pullum colúmbæ sive túrturem pro peccáto: quod si non potúerit offérre agnum, sumet * Duos túrtures, vel duos pullos columbárum. ℣. Postquàm impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, dedérunt hóstiam secúndùm quod dictũ est in lege Dómini, * Duos. *Lev. 12. Luc. 2.*

Lectio vj.

Cumque expléti fúerint dies purificatiónis suæ, pro filio sive pro filiâ déferet agnum anniculum in holocaústum, & pullum colúmbæ, sive túrturem pro peccáto, ad óstium tabernáculi testimónii, & tradet sacerdóti, qui ófferet illa coram Dómino, & orábit pro ea; & sic mundábi-

tur à proflúvio sánguinis sui. Ista est lex pariéntis másculum aut féminam. Quód si non invénerit manus ejus, nec potúerit offérre agnum, sumet duos túrtures vel duos pullos columbárum, unum in holocaústum, & álterum pro peccáto; orabítque pro ea sacérdos, & sic mundábitur.

℟. vj. Erunt Dómino offeréntes sacrifícia in justítia: * Et † Placébit Dómino sacrifícium Juda & Jerúsalem, sicut dies séculi, & sicut anni antíqui. ℣. In consummatióne seculórum, ad destitutiónem peccáti per hóstiam suam Christus appáruit. * Et placébit. Glória. † Placébit. *Mal.* 3. *Hebr.* 9.

IN III. NOCT.

Ant. 7. *d.* * Homo erat in Jerúsalem, cúi nomen Symeon; & homo iste justus & timorátus. *Luc.* 2.

Ant. 8. G. Erat exspéctans consolatiónem Israël, & Spíritus sanctus erat in eo. *Ibid.*

Ant. 4. E. Venit in Spíritu in templũ, & benedíxit Deum. *Ib.*

℣. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum, ℟. Omnibus invocántibus eum in veritáte. *Ps.* 144.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 2.

IN illo témpore; Postquàm impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, secúndùm legem Móysi, tulerunt Jesum in Jerúsalem, ut sisterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini; Quia omne masculínum adapériens vulvam, Sanctum Dómino vocábitur: Et ut darent hóstiam secúndùm quod dictum est in lege Dómini, par túrturum, aut duos pullos columbárum. Et ecce homo erat in Jerúsalem, cúi nomen Symeon, & homo iste justus & timorátus, exspéctans consolatiónem Israël, & Spíritus sanctus erat in eo. Et reliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. *Comment. in Luc.*

NOn solùm ab ángelis & prophétis, à pastóribus & paréntibus, sed étiam à senióribus & justis generátio Dómini accépit testimónium. Omnis ætas & utérque sexus, eventorúmque miràcula fidem ádstruunt. Virgo génerat, stérilis parit, mutus lóquitur, Elísabet prophétat, Magus adórat, útero clausus exsúltat, vídua confitétur, justus exspéctat.

℟. vij. Cùm indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, venit Symeon in Spíritu in templum; * Et dixit: Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, in pace. ℣. Accépit eum in ulnas suas, & benedíxit Deum, * Et. *Luc.* 2.

Lectio iij.

ET benè justus, qui non suam, sed pópuli grátiam requirébat; cúpiens ipse corpóreæ vínculis fragilitátis absólvi, sed exspéctans vidére Promíssum. Sciébat enim, quia beáti óculi qui eum vidérent. Et accépit eum in ulnas suas, & benedíxit Deum, & dixit: Nunc, Dómine, dimítte servum tuum in pace. Vide justum, velut corpóreæ cárcere molis inclúsum velle dissólvi, ut incípiat esse cum Christo; Dissólvi enim & cum Christo esse, multò mélius est.

℟. *viij.* Vidérunt óculi mei Salutáre tuum, * Quod parásti ante fáciem ómnium populórum, lumen ad revelatiónem Géntium, & glóriam plebis tuæ Isráël. ℣. Vídimus, & manus nostræ contrectavérunt de Verbo vitæ. * Quod. *Luc.* 2. 1. *Joan.* 1.

Lectio ix.

SEd qui vult dimítti, véniat in templum, véniat in Jerúsalem, exspéctet Christum Dómini, accípiat in mánibus Verbum Dei, compleĉtátur quibúsdam fídei suæ bráchiis: tunc dimittétur, ut non vídeat mortem, qui víderit vitam. Vides úberem in omnes grátiam, Dómini generatióne diffúsam, & prophetíam incrédulis negátam esse, non justis. Ecce & Symeon prophétat, in ruínam & resurrectiónem plurimórum venísse Dóminum Jesum Christum; ut justórũ iniquorúmque mérita discérnat, & pro nostrórum qualitáte factórum, Judex verus & justus aut supplícia decérnat, aut præmia.

℟. *ix.* Ecce pósitus est hic in signum cúi contradicétur, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lápidem offensiónis & petram scándali. * Et omnis qui credit in eum, non confundétur. ℣. Qui cecíderit super lápidem istum, confringétur: super quem verò cecíderit, cónteret eum. * Et. Glória. ℟. Ecce. *Luc.* 2. *Rom.* 9. *Matth.* 21.

AD LAUDES MATUTINAS,

℣. *Sacerd.* Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam ℟. In médio templi tui. *Ps.* 47.

Ant. 6. F. AMen dico vobis, Non veni sólvere legem, sed adimplére. *Matth.* 5.

Ant. 5. a. Quia díligo Patrem, sicut mandátum dedit mihi Pater, sic facio. *Joan.* 14.

Ant. 7. a. Pórtio mea, Dómine, dixi custodíre legem tuam. *Ps.* 118.

Ant. 1. f. Per unius obeditiónem justi constituéntur multi. *Rom.* 5.

Ant. 5. a. Appáruit ut peccáta nostra tólleret, hic est verus Deus & vita ætérna. 1. Jo. 3. & 5.

Capitulum. *Zach. 2. 10.*

LAuda & lætáre filia Sion, quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Hymnus. *Santol.*

FUMANT Sabæis templa vapóribus.
Nos sacra poscunt; jam præit hóstia;
Sequámur omnes, & vicíssim
Puro ánimo mémores litémus.

LUMEN miníſtret splendídior fides
Miníſtret ignes; flámmea cáritas
Fundátque divínos odóres
Innócuæ bona fama vitæ.

VITÆ nocéntis quid tráhimus moras,
Sit fas beáto cũ sene nos mori,
Ut quem sub aris immolátum
Vídimus, hoc étiam fruámur.

SIT summa Patri, súmmaque Fílio,
Sanctóque compar glória Flámini:
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu. Amen.

℣. In cápite libri scriptum est de me, ℟. Ut fáciam, Deus, voluntátẽ tuam. *Ps. 39.*

Ad Benedíctus, *Ant. 7. d**

Respónsum accéperat Symeon à Spíritu sancto non visúrum se mortem, nisi priùs vidéret Christum Dómini. *Luc. 2.*

Duæ Orationes dicuntur sub una clausula.

OMnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus: ut sicut unigénitus Fílius tuus hodiérnâ die cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus: ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári.

DEus qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúndâ, humáno géneri præmia præstitísti, tríbue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quã merúimus autórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, Qui tecum.

AD PRIMAM,

Ant. 6. F. Amen dico vobis.

CANON.

Ex Concílio Calchedonénsi. *Ann. 451.*

Patres nostri reserárunt intelligéntiam fidei, & Incarnatiónis beneficia diligénter prædicárunt, quómodo dispensatiónis sacraméntum sit ab inítio ex útero dispósitum, quómodo & Dei génitrix sit virgo vocitáta, propter eum qui virginitátem ejus dignátus est étiam serváre post partum, uterúmque (ut decébat Deum) intergritáte signáre.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Quia díligo Patrem.

Capitulum. *Hebr.* 10.

QUia hóstias & oblatiónes & holocautómata pro peccáto noluísti, nec plácita sunt tibi quæ secúndùm Legem offerúntur; tunc dixi: Ecce vénio.

℟. *br.* Suscépimus Deus, † Misericórdiam tuam; * Allelúia, allelúia. ℟. Suscépimus. ℣. In médio templi tui: * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Suscépimus.

℣. In sancto appárui tibi, ℟. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. *Ps.* 47. & 62.

Post Septuagesimam non dicuntur Allelúia, sed resumptio fit ad †. Et sic ad alias Horas.

AD SEXTAM.

Ant. 7. a. Pórtio mea, Dómine.

Capitulum. *Hebr.* 10. 5.

INgrédiens mundum Christus, dicit: Ecce vénio ut fáciam, Deus, voluntátem tuam.

℟. *br.* Oblátus est † Quia ipse vóluit; * Allelúia, allelúia. ℟. Oblátus est. ℣. Et pósuit in eo iniquitátem ómnium nostrûm * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Oblátus est.

℣. Per ipsum offerámus hóstiam laudis semper Deo, ℟. Fructum labiórum confiténtium nómini ejus. *Isai.* 53. *Hebr.* 13.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Appáruit.

Capitulum. 1. *Petr.* 2.

VObis honor credéntibus: non credéntibus autem lapis quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli; & lapis offensiónis & petra scándali his qui offéndunt verbo, nec credunt in quo & pósiti sunt.

℟. *br.* Confitébor tibi, Deus, † Quóniam exaudísti me, * Allelúia, allelúia. ℟. Confitébor. ℣. Et factus es mihi in salútem; * Allelúia, allel. Glória. ℟. Confitébor.

℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, ℟. Hic factus est in caput ánguli. *Ps.* 117.

AD II. VESPERAS.

Ant. 8. G. LEx eísdem ipsis hóstiis quas ófferunt indesinénter, númquam potest accedéntes perféctos fácere. *Hebr.* 10.

Ant. 3. a. Quò mihi multitúdinem victimárum, dicit Dóminus? plenus sum: ne offerátis ultrà sacrifícium. *Is.* 1.

Ant. 1. D. Finis legis Christus ad justítiam omni credénti. *Rom.* 10.

Ant. 7. d. * Oblátus est ad multórum exhauriénda peccáta; apparébit exspectántibus se in salútem. *Hebr.* 9.

Ant. 5. a. Per ipsum offerá-

mus hóstiam laudis semper Deo, fructum labiórum confiténtiũ nómini ejus. *Hebr.* 13.

Capitulum. *Hebr.* 9. 14.

QUi per Spíritum sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti.

℟. Hóstiam & oblatiónem noluísti, corpus autem aptásti mihi: * Holocautómata pro peccáto non tibi placuérunt; tunc dixi, Ecce vénio. ℣. In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam. * Holocautómata. Glória. ℟. Hóstiam. *Hebr.* 10. *Ps.* 39

Hymn. Stupéte gentes. *p.* 576

℣. Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus; ℟. Adoráte Dóminum in átrio sancto ejus. *Ps.* 95.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Sanctificáti per oblatiónem córporis Jesu Christi accedámus & ipsi, domus spirituális, sacerdótium sanctum offérre spirituáles hóstias acceptábiles Deo per Jesum Christum. *Hebr.* 10. 1. *Petr.* 2.

Orationes, Omnípotens. & Deus qui salútis. *ut suprà.*

COMPLETORIUM, *ut heri.*

DIE III. FEBRUARII,
SS. PHILEÆ & PHILOROMI
MARTYRUM
Simplex.

Omnia de Com. plur. Martyrum, exceptâ Lectione sequenti.

Lectio iij.

Ex Euseb. lib. 8. hist. c. 9. & 10. Edit. Vales.

PHíleas Ecclésiæ Thmuitárum in Thebaïde Epíscopus, vir cunctis in pátriâ honóribus ac munéribus summa cum laude perfúnctus, & in Philosóphiæ stúdiis ádmodum clarus; & Philorómus qui non vulgárem magistrátum, Procuratóris scílicet summæ rei, apud Alexándriã gerébat, & pro dignitáte ac prærogatívâ honóris Románi, stipátus milítibus quotídie jus dicébat; sub Diocletiáno Imperatóre cum multis áliis in Thebaïde passi sunt. Qui, cùm innúmeri cognáti atque amíci, quidam étiam ex magistrátibus atque honorátis eos rogárent; cùm judex ipse eos cohortarétur, ut sui ipsórum miseréri, & uxóribus ac líberis suis consúlere vellent; nunquam his ómnibus addúci potuérunt, ut vitæ suæ conservándæ causâ, divínas leges de confessióne & negatióne nóminis Christi latas contémnerent: sed viríli ánimo, seu pótiùs religiósâ ac Deo dicátâ mente advérsùs omnes júdicis minas & contumélias ambo perstántes, secúri percússi sunt anno círciter trecentésimo nono.

Oratio, Deus qui in córdi-

-bus. *in Comm. plur. Mart. p.* xxvj.

Vesperæ de Feria, à Capitulo de Festo sequenti.

DIE IV. FEBRUARII,

S. ISIDORI PELUSIOTÆ

Simplex.

Omnia de Comm. SS. Monac.

AD NOCT. *Añæ & ℣. in Com. SS. Monach. juxta Feriam.*

Lectio iij.

Ex ejus Epistolis, & Henschenii Dissert.

ISidórus cognómine Pelusióta, Alexándriæ nobílibus & piis ortus paréntibus, omni sciéntiárum génere ánimum ita excóluit, ut inter coævos longè eminéret. At stúdio vitæ perfectióris facultátes suas erogávit paupéribus, & in montem desértum prope urbem Pelúsium secéssit. Ibi totus contemplándæ veritáti, & carni assíduis jejúniis domándæ vacábat. Sacerdótio insignítus disciplínam Ecclesiásticam doctrinámque morum complúribus ea de re scriptis epístolis assèruit. Theóphilo Alexandríno Epíscopo suo injústas in sanctum Joánnem Chrysóstomum inimicítias geré nti constánter réstitit, Cyrillúmque Theóphili successórem, & memóriæ ejusdem sancti inféusum, ad melióremn redúxit senténtiam. Isidórus Cyríllum in defendénda contra Nestórium Ecclésiæ fide consíliis juvit & doctrínâ. Tantum sibi apud omnes pietátis & sciéntiæ nomen fecit, ut simplex licèt Sacérdos magnâ in ipsis étiam Præsúlibus admonéndis autoritáte uterétur. Contra quemdam províncíæ Ducem jus ad Ecclésias confugiéndi evertéutem fórtiter insurréxit. Multas expértus persecutiónes dícere sólitus erat, amábilem esse virtútem étiã quando calúmniis deformátur, & turpe esse vítium étiam cúi hómines blandiúntur. Non terrébat ægrótum formído mortis, sed futúræ consolabátur spes quiétis. Ad optátum tandem felicitátis ætérnæ portum médio círciter século quinto pervénit.

℟. *iij.* Licèt is. *cum* Glória Patri. *in Com. SS. Mon. p.* lix.

Oratio, Omnípotens. *Ibid.*

DIE V. FEBRUARII,

S. AGATHÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS

Semiduplex.

[*Commemoratio tantùm in Quadragesima.*]

¶ *Nota de omnibus Festis Semiduplicibus & Simplicibus in Quadragesima non fieri nisi Commemorationem.*

Omnia de Communi SS. Virginum & Martyrum.

Lectio iij.

Ex ejus Actis apud varios.

AGatha virgo, quam Panormitáni & Catanénses

civem suam fuisse contendunt, gloriósi martyrii corónā consecúta est. Carmen scripsit de ea sanctus Dámasus Papa, qui toto fere século quarto vixit. Quo in cármine vírginem exímiam canit génere claram, elegántem spécie, móribus elegantiórem & fide, terréna próspera nihil reputásse, ut Dei jussis obtemperáret: aítque illam trúcibus fortiórem feris, membra sua flagris exposuísse, acérbum mamíllæ tortæ dolórem válido péctore tolerásse; cúmque à beáto Petro recreáta in cárcere fuísset, lætiórem inde ac magis flagrántem flagélla cuncta aláciter cucurrísse. Hæc Catánæ in Sicília, sub Imperatóre Décio, júdice Quintiáno, post álapas & cárcerem, post equúleum & tortiónes, post mamillárum abscissiónem, sed à Dómino sanatiónem, post volutatiónem in téstulis ac carbónibus, tandem martyrio in cárcere consummáta est anno círciter ducentésimo quinquagésimo primo.

℟. iij. Quid mihi est in cœlo. *p.* lxxvij.

Orat. Deus qui inter. *p.* lxxviij.

In Vesperis *fit Commem. S. Vedasti Episc. Atrebat. per Ant.* Suscitábo super. ℣. Elégit servum. *in Comm. Pontif. p.* xxix.

Orat. Exaúdi. *Ibid. p.* xxxv.

Deinde S. Amandi Traject. Episc. per Ant. In bonitáte. ℣. Impinguásti. *Orat.* Quæsumus Dómine. *in Com. Pont. p.* xxxv.

Die VI. Februarii,
S. VEDASTI ATREBAT. EPISCOPI
Simplex.

Lectio iij.

Ex Vita apud Bolland.

Vedástus relíctis ab adolescéntia paréntibus & prædiis amplíssimis, solitáriā Tulli Leucórum vitam ducébat, cùm Clodovéus devíctis Germánis, Remos ad beátum Remígium baptizándus véniens, eum cómitem adscívit, ut in itínere fídei rudiméntis ab ipso imbuerétur. Remis aliquándiu commorátus, atque à Remígio Atrebátum Epíscopus factus, multos éthnicos Christo acquisívit. Ecclésias eréxit, in quibus constítuit presbyteros & diáconos. In paúperes liberális fuit; divítibus affábilis, quos ut suávius ad Christum allíceret, ab eórum étiam convíviis non abstínuit. Exáctis in pontificátu annis quadragínta, febre corréptus, & sacro córporis & sánguinis Christi viático confirmátus, clárus miráculis ánimam Deo réddidit circa annum quingentésimum trigésimum nonum. Eódem die Elnóne Monastério anno sexcentésimo septuagésimo

nono, vel octogésimo quarto plusquàm octogenárius óbiit sanctus Amándus Trajecténsis ad Mosam Epíscopus, qui Gandavénsibus primùm, tum Sclavis, tandem Vascónibus, & iis qui Pyrenæos montes íncolunt, Evangélii lucem íntulit, & multa in Gállia monastéria constrúxit.

℟. iij. Super muros tuos. p. xxxiij. *cum* Glória Patri.

Oratio, Exaúdi. *in Com. Pontif. p.* xxxv.

Pro Commemor. S. Amandi Ant. Suscitábo. ℣. Elégit servum. *ut in* 1. *Vesp. ad* Magnificat *de Com. Pontif. p.* xxix. *Orat.* Quæsumus Dómine. *in Com. Pontif. p.* xxxv.

DIE VII. FEBRUARII, SS. MARTYRUM INCOLARUM OMNIUM unius urbis in Phrygia,

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, præter ea quæ sequuntur.

IN I. VESPERIS,

Ad Magnificat, *Ant.* 3. a. Vidi sanctam civitátem Jerúsalem novam descendéntem de cælo à Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo: non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens aut mendácium. *Apoc.* 21.

Oratio, Deus, qui in córdibus. *p.* xxvj.

Lectio iij.

Apud Euseb. Hist. Eccl. l. 8. *c.* 11.

CElebrátur hac die urbs quædam Christianórum in Phrygia, quæ cum ómnibus íncolis suis pro Christi nómine deléta est. Mirum est in urbe nec unum exstitísse qui vitam pótiùs quàm fidem amíttere non elégerit. Professi sunt ergo unâ voce omnes se Christiános esse, nec diis unquam immolatúros. Statim obsidióne à milítibus Diocletiáni cingúntur, injectóque igne urbs íntegra cum viris & muliéribus ac párvulis Christum ómnium Deum invocántibus cócremáta est. Hi omnes sub Diocletiáno anno trecentésimo quarto coronáti sunt.

℟. iij Tradidérunt. p. xxiij.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. a. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis: & ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus. *Apoc.* 21.

IN II. VESPERIS,

Ad Magnificat, *Ant.* 7. b. Osténdit mihi Angelus civitátem sanctam Jerúsalem descendéntem de cælo à Deo, habéntem claritátem Dei: & templum non vidi in ea; Dóminus enim Deus omnípotens templum illius est, & Agnus. *Apoc.* 21.

Oratio, Deus qui in córdibus. p. xxvj.

Fit Commemor. S. Stephani Grandimontensis, ut in Communi Monach. p. lv. *Oratio*, Deus cujus múnere. *Ibid. p.* lxj.

DIE VIII. FEBRUARII,

S. STEPHANI

Institutoris Ord. Grandimont.

Simplex.

Lectio iij.

Ex ejus Vita apud Labbeum.

STéphanus Thiérni in Arvérnia nobílibus ortus paréntibus, anno ætátis suæ duodécimo à patre ductus est in Itáliam, límina Apostolórum aliáque sacra urbis loca veneratúrus. Patre in natále solum regrediénte, sanctus júvenis morbo deténtus remánsit apud Beneventánum Archiepíscopum Milónem, sub cujus disciplína multum in sacris lítteris ac bonis móribus per duódecim annos profécit. Illárum regiónum plúrimas erémos in eísque degéntes viros pietáte ac strictióris vitæ observántiâ insígnes imitatiónis ergo sédulus invísit. Defúnctis paréntibus, nec non & óptimo magístro Milóne, Stéphanus quadriénnio Romæ commorátus est, ubi Gregório séptimo bene notus, ab eo licéntiam instituéndæ novæ famíliæ hábuit. In Gálliam redux, cùm relíctas sibi à defúnctis paréntibus copiósas opes in paúperes erogásset, tandem in locum Lemovicénsis agri nómine Murétum, ásperum, desértum, & ínvium pervénit; ac mansit anno ætátis círciter trigésimo secúndo, ubi Ordinis qui pósteà Grandimonténsis dictus est, fundaménta jecit in tota à século abdicatióne, máximâ vitæ asperitáte, temporálium ómnium íntegrâ spoliatióne ac contémptu, perfectáque de providéntiâ Dei securitáte, cujus testis est præclaríssima illa suórum Régula. Humílitas in eo tanta fuit, ut Sacerdotálibus sustinéndis onéribus ímparem se semper ratus, Diaconátûs tantùm ministério functus fúerit. Vix in quovis álio major fuit amor ac fervens zelus erga Ecclesiásticam atque Hierárchicam disciplínã. Per quinquagínta ferè annos jejúniis, assíduis oratiónibus, super paviméntum dormitiónibus, & quibuscúmque córporis afflictatiónibus attrítus, ánimam Muréti inter Christi moriéntis verba efflávit octogenárius die octávo Februárii anno supra milléssimum centésimo vigésimo quarto.

℟. *iij.* Nos stulti. *p.* lviij.

Oratio, Deus cujus múnere. *Ibid. p.* lxj.

DIE IX. FEBRUARII,

S. APOLLONIÆ

VIRGINIS & MARTYRIS

Simplex.

Omnia de Com. Virg. & Mart.

præter ea quæ hìc sunt propria.

Pridie Vesperæ *de Psalterio, à Capitulo de S. Apollonia.*

Orat. Deus *ut infrà in Laud.*

Ex Epístola sancti Dionysii Alexandríni ad Fábium Antiochénum.

Lectio iij.

Ex Euseb.h. l.6.c.41.Ed. Vales.

NEquáquam ex Décii Imperatóris edícto persecútio apud nos cœpta est, quippe quæ íntegro anno antevérterat. Nam infaústus quidam vates ac poéta commóverat jam ánteà, atque incitáverat Alexándriæ advérsùs nos Gentílium turbas. Ab illo ígitur hómine stimuláti, hanc solam pietátẽ cultúmque dæmonum suórum existimábant, si cædibus advérsùs nostros sævírent. Tunc admirándam illam provéctæ jam ætátis Apollóniã comprehendérunt; & maxíllas quidem ejus percutiéntes, cunctos ei dentes excussérunt. Accénso autem extra urbem rogo, minabántur vivam se illam combustúros, nisi unà cum ipsis ímpia verba pronuntiáret. At illa véniam deprecári paulísper visa, atque ínterim dimíssa, celériter in ignem insíliit, & conflagrávit.

℟. *iij.* Probávit me Dóminus quasi aurum, quod per ignem transit: vestígia ejus secútus est pes meus; * Viam ejus custodívi, & non declinávi ex ea. ℣. A mandátis labiórum ejus non recéssi, & in sinu meo abscóndi verba oris ejus; * Viam. Glória. * Viam. *Job. 23.*

Oratio.

DEus mirábilis in sanctis tuis, qui sexum étiam frágilem viríli ánimo corroborásti; da nobis illum tuæ caritátis afféctum, quo beátæ Apollóniæ Vírginis & Mártyris tuæ intercessióne cupiámus dissólvi & esse cum Christo, Qui tecum vivit.

Die X. Februar.

S. SCHOLASTICÆ VIRGINIS

Simplex.

Omnia de Communi SS. Virginum. pag. lxx.

Pridie Vesperæ *de Psalterio. A Capitulo fit de S. Scholastica, ut in Com. Virg.*

Oratio, Deus qui habitáculum. *Ibid.*

Ex Libro Dialogórum S. Gregórii Papæ.

Lectio iij. L.2.c. 33.& 34.

SOror Benedícti, Scholástica nómine, Dómino ab ipso infántiæ témpore dedicáta, ad fratrẽ semel per annum veníre consuéverat: ad quam vir Dei non longè extra jánuam in possessióne monastérii descendébat. Quadam verò die venit ex more; cúmque inter sacra collóquia tárdior se hora

rotráheret, éadem soror ejus :um rogávit, dicens: Quæso e ne istâ nocte me déseras, ut ısque manè de cæléstis vitæ ;aúdiis loquámur. Cúi ille espóndit: Quid est quod ló-]ueris soror? Manére extra :ellam nullátenus possum. ıanctimoniális autem fémina, :úm verba fratris negántis au- líisset, insértas dígitis manus uper mensam pósuit, & caput n mánibus omnipoténtem Dóminum rogatúra decliná- 'it. Cúmque de mensa levá- :et caput, tanta coruscatiónis k tonítrui virtus, tantáque nundátio plúviæ erúpit; ut ıeque venerábilis Benedíctus ıeque fratres qui cum eo áde- ant, extra loci limen quò :onséderant, pedem movére ›otuíssent. Post tríduum vir Dei in céllula consístens, :levátis in áërem óculis, vidit júsdem soróris suæ ánimam le ejus córpore egréssam, in olúmbæ spécie cæli secréta ›enetráre. Qui tantæ ejus gló- iæ congaúdens, omnipoténti Deo in hymnis & laúdibus ;rátias réddidit, ejúsque óbi- um frátribus denuntiávit. Quos étiam prótinus misit, ut jus corpus ad monastérium eférrent, atque in sepúlcro]uod sibi ipse paráverat, pó- ıerent. Quo facto cóntigit; ıt quorum mens una semper n Deo fúerat, eórum quoque córpora nec sepultúra sepa- ráret. Obiit sancta Scholástica anno quingentésimo quadra- gésimo tértio.

℟. iij. Quid mihi est. p. lxxvij.

Oratio, Deus qui habitáculum. *Ibid.*

Vesperæ de Psalterio. A Capitulo de Festo sequenti, ut in aliis Simplicibus.

DIE XI. FEBRUARII,

S. SEVERINI ABBATIS AGAUNENSIS

Simplex.

Omnia de Communi SS. Monachorum. p. liv.

Oratio, Deus cujus múnere. *Ibid. in Laud.*

Lectio iij.

Ex ejus Actis, Secul. I. Bened.

Severínus in Agaunénsi monastério ubi jacet corpus sancti Maurícii mártyris, primùm Mónachus, deínde Abbas eâ sanctitáte & miraculórum grátiâ præfúlsit, ut ad eum infírmi & à dæmónibus vexáti undequáque conflúerent, ejúsque précibus sanaréntur. Accersítus inde à Clodovéo magno Francórum Rege jam dudum ægrotánte, qui regni sui annum tunc agébat vigésimum quintum, Nivérno tránsiit, adiítque Euládium ejúsdem urbis Epíscopum mutum, surdum, & ab anno íntegro decumbéntem in léctulo, quem porréctâ ma-

nu allevávit; & íntegræ valetúdini sic restítuit, ut eódem die ad altáre cum illo sacrificáverit ac pópulo benedíxerit. Parísios tandem advéniens Severínus, óbvium sibi juxta portam leprósum osculátus sanávit; in régiam admíssus, casúbulam Clodovéo impósuit, eúmque ab importúna febre liberávit. Inde ad Castrum Nantónis se cóntulit, in cujus oratórium vix ingréssus, Pascháſio & Ursicíno Presbyteris mox futúrum óbitum comméndat, à quibus post tres dies mórtuus [anno Christi quingentésimo séptimo] sepúltus est in eódem loco.

DIE XII. FEBRUARII,
S. BENEDICTI
ANIANENSIS ABBATIS
Simplex.

Pridie IN VESP. *de Feria, fit de eo à Capitulo, ut in Com. SS. Monach.*

Oratio, Deus cujus múnere. *p.* lxj.

IN NOCT. *Lectio iij.*
Ex Seculo 4. Bened. part. 1.

Benedíctus in província Gótiæ exórtus, sub Pipíno Rege Francórum, & post ejus decéssum sub Cárolo ejus fílio, ab infántiæ témpore usque in adolescéntiam militávit. Post hæc autem relícto Palátio, in monastério sancti Séquani inprovíncia Burgundiónum hábitum mónachi suscépit, ibíque Deo soli júgiter militávit. Sed quia ibi regulárem usum mínimè réperit, super flúvium Aniánum manu própriâ sibi cellam, póstmodùm verò cum ipsis frátribus qui ob amórē Christi sub ejus regímine vénerant, monastérium ex novo ópere constrúxit, ubi in brevi trecéntos mónachos hábuit. Defúncto Cárolo Imperatóre, Ludovícus in Fránciam veníre jussit, ac prímitùs in pago Alsacénse monastérium ei dedit; póstmodùm verò juxta Aquis-Palátium super flúviumIndam monastérium ei ædificávit. Ille est per quem Dóminus Christus in omni Regno Francórum Régulam sancti Benedícti restaurávit. Omnium Monasteriórum (ínquiunt Mónachi Indénses in quadam ad Imperatórem epístola) tam in Província quàm in Gótia & Novempopulána consisténtium erat quasi nutrix fovens juvánsque, atque ab ómnibus amabátur ut pater, venerabátur ut dux, reverebátur ut magister: caritátis enim amóre ut plures fáceret salvos, aliórum circuíbat cellas, & eis Régulæ suæ pandébat abscónsa. Adeò fuit amátor paupertátis, ut vasa ad conficiéndum Christi Corpus nollet sibi esse argéntea: síquidem

ei primùm fuérunt lígnea, deinceps vítrea; sic tamen conscéndit ad stánnea. Ex quo mónachus factus est, nullo die panem comédit, nisi ubérrimis ántea fusis lácrymis. Tandem septuagenárius óbiit tértio Idus Februárii anno octingentésimo vigésimo primo. Códicem seu Concordiá Regulárum téxit, ex quarum comparatióne demonstráret legítimum Régulæ sancti Benedícti sensum.

DIE XVIII. FEBRUARII,
S. SYMEONIS
JEROSOLYMITANI EPISCOPI
& Martyris
Simplex.

Omnia de Communi un. Mart.
Orat. Deus qui beáto Symeóni. *infrà ad Laud. Matut.*

Lectio iij.
Ex Históría Ecclesiástica sancti Hegesíppi.
Apud Eusebium Hist. l. 3. c. 32 Edit. Vales.

AD Trajáni Cæsaris usque témpora vitam prodúcens Symeon fílius Cléophæ, qui pátruus erat Dómini, à sectis Judæórum accusátus, quòd ex stirpe Davídis oriúndus, & Christiánus esset, vocátus est in judícium, & ejus nomen ob eámdē causam ad Atticum virum Consulárem delátum. Per multos dies acerbíssimis torméntis excruciátus Symeon fidem Christi constantíssimè proféssus est: ádeò ut & ipse Consuláris & omnes qui áderant, magnópere miraréntur, quâ ratióne vir centum ac vigínti annos natus tot torménta perférre potuísset. Tandem veró senténtiâ Júdicis cruci affixus est [anno Christi centésimo séptimo.]

℟. *iij.* Vir ætáte provéctus, gloriosíssimam mortem compléctens, voluntáriè ibat ad supplícium; &* Vitâ decéssit, univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens. ℣. Christo confíxus cruci, & configurátus morti ejus,* Vitâ. Glória Patri. *Vitâ. 2. *Machab.* 6. *Galat.* 2. *Philip.* 3.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. c. Omnia detriméntum feci, ut Christum lucrifáciam, ad cognoscéndum illum, & virtútem resurrectiónis ejus, & societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus. *Philip.* 3.

Oratio.

DEus qui beáto Symeóni Christo configi in cruce tribuísti; præsta quæsumus, eódem intercedénte, ut terréna in nobismetípsis desidéria crucifigéntes, tibi firmiter adhærére valeámus; Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Die XXI. Februarii,
S. FLAVIANI
Antiocheni Episcopi
Commemoratio,

De Com. Pontificum, præter ea quæ sequuntur.

Pridie In Vesperis *Ant.* 1. *D.* Próperans homo sine queréla deprecári pro pópulo; prófe-rens servitútis suæ scutum, oratiónem, réstitit iræ, & finem impósuit necessitáti, osténdens quóniam tuus est fámulus, Dómine. *Sap* 18.

℣. Elégit servum. *p.* xxix.

Orat. Misericordiam. *infrà in Laud. Matut.*

Lectio iij.

Ex Homiliis S. Jo. Chrysost. ad pop. Antioch. Theodoreti Histor. Eccl. & Socrat.

Flaviánus Antiochénus, splendóre géneris conspícuus, solíus quæ ex virtúte est nobilitátis amans, solitáriam vitam ampléxus est. Contra Leóntium Epíscopum suum, qui Ariánam fovébat hæresim, sanam de Divinitáte Christi doctrínam simplex láïcus acérrimè diúque defféndit. Morem illum psalmos altérnis decantándi, qui per univérsam deínceps obtínuit Ecclésiam, ac ipsam quæ étiam nunc habétur in usu Doxológiam seu Glorificatiónem sanctíssimæ Trinitátis Antiochíæ instítuit. Melétio Epíscopo jussu Constántii Imperatóris sæpiùs exsulánte, Antiochénam sapientíssimè rexit Ecclésiam. Urbe pulsus instigántibus Ariánis, fidélem nihilóminus plebem ad cœtus Ecclesiásticos sub dio congregábat. Mórtuo Melétio suffécttus, sancto Joánni Chrysóstomo, cúi manus in sacerdótium imposúerat, verbum Dei annuntiándi munus commísit, magnâ licèt ipse polléret eloquéntiâ. Theodósium Imperatórem, civitáti Antiochénæ ob seditiónem eversásque státuas extréma minitántem, précibus & lácrymis pius pastor placávit. Suadénte eódem Theodósio ut Romam proféctus suscéptas de se malas opiniónes suâ illic præséntiâ dilúeret, ætátem excusávit: at sedem abdicáre, suósque accusatóres pro morum & fídei suæ judícibus habére consénsit. Tantâ permótus humilitáte Princeps, illum ad suam Ecclésiam honorífìcè dimísit. Mox cum Innocéntio primo aliísque Occidentálibus Epíscopis, agéntibus præsértim sancto Joanne Chrysóstomo & Theóphilo Alexandríno pacem íniit & communiónem. Post annos viginti tres in episcopátu sanctíssimè exáctos, anno quadringentésimo quarto migrávit ad Dóminum.

℟. iij. Córporis Christi, quod est Ecclésia, factus sum

ego miníster secúndùm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, *Ut ímpleam verbum Dei. ℣. Grátias ago ei qui me confortávit Christo Jesu, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério, * Ut. Glória. * Ut ímpleam. *Coloss.* 1. 1. *Tim.* 1.

IN LAUD. MATUT.

Ant. 3. a. Hic est fratrum amátor & pópuli Israël; hic est qui multùm orat pro pópulo & univérsa civitáte. 2. *Machab.* 15.

Oratio.

MIsericórdiam tuam nobis, quæsumus Dómine, sancti Flaviáni Pontíficis intercéssio beáta concíliet; ut qui majestátem tuam incessábili culpâ offéndimus, ejúsdem précibus ab omni reátu liberémur; Per Dóminum.

DIE XXIII. FEBRUARII, [*In anno bissextili* DIE XXIV] VIGILIA S. MATTHIÆ APOST.

[*Post Cineres nihil fit de ea.*]

Officium de Psalterio, exceptis iis quæ sequuntur.

AD NOCT.

Lectio j. & ij. de Script. occurr. ex duabus ultimis una.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio iij. *Cap.* 15.

IN illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

27. *in Evang.*

CUm cuncta sacra elóquia Domínicis plena sint præcéptis, quid est quòd de dilectióne quasi de singulári mandáto Dóminus dicit: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem; nisi quia omne mandátum de sola dilectióne est, & ómnia unum præcéptum sunt? quia quidquid præcípitur, in sola caritáte solidátur. Ut enim multi árboris rami ex una radíce pródeunt, sic multæ virtútes ex una caritáte generántur: nec habet áliquid viriditátis ramus boni óperis, si non manet in radíce caritátis. Præcépta ergo Domínica & multa sunt, & unum: multa per diversitátem óperis, unum in radíce dilectiónis. Quáliter autem ista diléctio tenénda sit, ipse insínuat, qui in plerísque Scriptúræ suæ senténtiis, & amícos jubet díligi in se, & inimícos propter se.

℟. iij. Sicut diléxit me Pater, & ego diléxi vos: manéte in dilectióne mea, * Sicut & ego Patris mei præcépta servávi, & máneo in ejus dilectióne. ℣. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, * Sicut & ego.

Glória Patri. * Sicut & ego. *Joan.* 15.

IN LAUD. MATUT.

Post Hymnum de Feria dicitur

℣. Assúmam te, serve meus, & ponam te quasi signáculum, ℟. Quia te elégi, dicit Dóminus. *Agg.* 2.

Ad Benedictus *Ant.* 1. f. Non vos me elegístis; sed ego elégi vos, & pósui vos ut eátis, & fructũ afferátis. *Joan.* 15

Dicuntur Preces flexis genibus, ut in Psalterio, p. 42.

Oratio.

APostólicis, quæsumus Dómine, nos adtólle præsídiis; ut beáti Matthíæ, cujus festum prævenímus, précibus adjuvémur; Per.

AD HORAS, *dicuntur etiam Preces genibus flexis, ut in Psalterio, p.* 51. *cum supradicta Oratione: quod obsérvatur in aliis Vigiliis Festorum.*

DIE XXIV. FEBRUARII, [*In anno bissextili,* DIE XXV.]

S. MATTHIÆ APOST.

Duplex majus,

De Communi Apostolorum, præter ea quæ sequuntur.

AD I. VESPERAS,

Ant. 8. G. ERant omnes (Apóstoli) perseverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus, & María matre Jesu, & frátribus ejus. *Act.* 1.

Ant. 7. a. Exsúrgens Petrus in médio fratrum dixit, (erat autem turba hóminum simul ferè centum vigínti.) *Ibid.*

Ant. 2. *to.* Viri fratres, opórtet impléri Scriptúram, quam prædíxit Spíritus sanctus per os David de Juda. *Ibid.*

Ant. 3. a. Ille fuit dux eórum qui comprehendérunt Jesum: qui connumerátus erat in nobis, & sortítus est sortem ministérii hujus. *Ibid.*

Ant. 8. G. Scriptum est in libro Psalmórum: Episcopátum ejus accípiat alter. *Ibid.*

Capitulum & Hymnus de Communi Apostolorum. p. j.

℣. Fiant dies ejus pauci, ℟. Et episcopátum ejus accípiat alter. *Ps.* 108.

Ad Magnificat, *Ant.* 7. d. Dábitur illi fidei donum eléctum, & sors in templo Dei acceptíssima. *Sap.* 3.

Oratio, Deus, qui beátum Matthíam. *infrà in Laudibus Matutinis.*

AD VIGILIAS,

Invitatorium, & Hymnus de Communi Apostol. p. ij.

IN I. NOCT.

Ant. 8. G. Opórtet ergo ex his viris qui nobíscum sunt congregáti, testem resurrectiónis Jesu nobíscum fieri unum ex istis. *Act.* 1.

Ant. 8. G. Statuérunt duos, Joseph qui cognominátus est justus, & Matthíam. *Act.* 1.

Ant. 1. *D.* Orántes fratres dixérunt: Tu Dómine, qui corda nosti ómnium, osténde

iem elégeris ex his duóbus ium, accípere locum ministérii & apostolátûs, de quo prævaricátus est Judas. *Ibid.*
℣. Sortes mittúntur in sinum, ℟. Sed à Dómino temperántur. *Prov.* 16.

Tres Lectiones de Script. occurr. cum suis ℟.

¶ [*Sed si hoc festum evenerit in Quadragesima, erunt duæ primæ Lectiones de Script. occurr. cum suis* ℟.℟.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio iij. *Cap.* 1.

BEnedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti & immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndùm propósitũ voluntátis suæ, in laudem glóriæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto fílio suo: in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndùm divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis, in omni sapiéntia & prudéntia: ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndùm beneplácitum ejus, quod propósuit in eo: in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso. In quo étiam & nos sorte vocáti sumus, prædestináti secúndùm propósitum ejus, qui operátur ómnia secúndùm cõsíliũ voluntátis suæ: ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui antè sperávimus in Christo.

℟. *iij.* Ecce ego mitto vos sicut oves in medio lupórum: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. ℣. Cavéte ab homínibus; tradent enim vos in concíliis, & ad Præsides & Reges ducémini propter me. * Estóte. Glória Patri. * Estóte. *Matth.* 10.]

In II. Noct.

Ant. 1. f. Dedérunt sortes eis, & cécidit sors super Matthíam, & annumerátus est cum úndecim Apóstolis. *Act.* 1

Ant. 1. f. Erant omnes páriter in eódem loco, & habébant ómnia commúnia. *Act.* 2.

Ant. 1. g. Dóminus autem augébat qui salvi fíerent quotídie in idípsum. *Ibid.*

℣. Dixi, Deus meus es tu; ℟. In mánibus tuis sortes meæ. *Ps.* 30.

Ex Commentário sancti Joánnis Chrysóstomi in Actus Apostolórum.

Lectio. iv. Homil. 3.

IN diébus illis; Exsúrgens Petrùs. Tamquam férvidus, & tamquam is cúi à Christo grex commíssus fúerat, & tamquam chori princeps, ubíque primus íncipit loqui: Viri fratres, opórtet impléri Scriptúram. Illud consídera quòd Petrus agit ómnia ex commúni senténtia, nihil ex autoritáte, nihil cum império. Opórtet ígitur ex viris nobíscum congregátis in omni témpore. Quamóbrem commúnicat hoc negótium cum illis? ne delaberéntur in contentiónem: nam si his ipsis hoc áccidit, multò magis accidísset illis. Proptérea ait: Viri fratres, opórtet elígere è nobis. Multitúdini permíttit judícium: simul eos qui eligebántur reddens venerándos; & seípsum líberans ódio ceterórum. Ex quibus autem faciénda sit eléctio, ipse interpretátur dicens, Ex viris nobíscum congregátis in omni témpore: étenim si dixísset, Modéstos opórtet adésse; céteros affecísset contumélià.

℟. iv. Deus meus es tu, in mánibus tuis sortes meæ; * Funes cecidérunt mihi in præcláris: étenim heréditas mea præclára est mihi. ℣. Sortes mittúntur in sinum, sed à Dómino temperántur; * Funes. *Ps. 30. & 15. Prov. 16.*

Lectio v.

ET statuérunt duos; Joseph qui vocabátur Bársabas qui cognominátus est justus & Matthíam. Quare non multos? ne major fíeret animórum dejéctio, néve res in multos distraherétur. Neque témerè Matthíam propónit; sed osténdens, frequénter eum qui apud hómines in prétio est apud Deum esse inferiórem. Et verò omnes commúniter precántur, dicéntes: Tu Dómine qui nosti corda ómnium, osténde tu, ínquiunt, non nos. Aptè córdium cognitórem appéllant: hinc enim eléctio erat faciénda, non ab exterióribus. Neque dixérunt, Elige; sed Osténde eléctum, hoc est quem tu elegísti; sciéntes ómnia præfiníta esse à Deo.

℟. v. De mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptéreà odit vos mundus; * Sed confídite, ego vici mundum. ℣. In mundo pressúram habébitis, * Sed. *Joan. 15. & 16.*

Lectio vj.

ET dedérunt eis sortes. Nondũ judicábant se idóneos ut rem ipsi sibi permítterent: ideóque cúpiunt áliquo signo edocéri. Alióqui si illic ubi nec erat precátio, neque viri probi, tantùm váluit sors, eo quòd recto ánimo fieret super Jona; multò magis hic explévit chorum, ac perfécit ór-

nem. Nec alter ille dóluit: non enim celássent Apóstoli próprios deféctus, qui de ipsis tīmóribus non vériti sunt dícere, quód álibi commóti fúerint indignatióne; idque non semel, sed sæpiùs. Hos ígitur & nos imitémur. Non jam ómnibus loquor, sed his tantùm qui principátum affé&ctant. Si credis Dei esse electiónem, ne indignéris; illi enim indignáris, & irritáris advérsùs illum. Ille est, qui elégit.

℟. vj. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, & pósui vos, ut eátis, & fructũ afferátis, *Et fructus vester máneat. ℣. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis, * Et. Glória. * Et. *Joan.* 15.

IN III. NOCT.

Ant. 6. F. Factus sum Evangélii minister secúndùm donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndùm operatiónem virtútis ejus. *Ephes.* 3.

Ant. 1. 2. Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi. *Ibid.*

Ant. 4. E. Non erúbui testimónium Dómini nostri; sed collaborávi Evangélio secúndùm virtútem Dei. 2. *Tim.* 1.

℣. Elégit servum suum

℟. Páscere Israël hereditátem suam. *Ps.* 77.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo témpore; Respóndens Petrus dixit Jesu: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me in regeneratióne cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Enarrat. in Psal. 86. *n.* 4.

SEdébitis (inquit Christus) super duódecim sedes. Si duódecim sellæ ibi sunt, non est ubi sédeat tértius-décimus Paulus Apóstolus, & non erit quómodo júdicet: & ipse se judicatúrum dixit non hómines tantùm, sed & Angelos.... Respondéret ergo turba: Quid te jactas judicatúrum? ubi sedébis? Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolis: unus cécidit Judas, in locum ipsíus Matthías ordinátus est; implétus est duodenárius númerus sédium.... Duódecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacraméntum est cujúsdam universitátis, quia per totum orbem terrárum futúra erat Ecclésia. Et ídeò quia úndique venitur

ad judicándum, duódecim sedes sunt; sicut quia úndique intrátur in illam civitátem, duódecim portæ sunt.

℟. vij. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid fáciat Dóminus ejus: vos autem dixi amícos, * Quia ómnia quæcúmque audívi à Patre meo; nota feci vobis. ℣. Vobis datum est nosse mystéria regni cœlórum: vestri beáti óculi, quia vident; & aures vestræ, quia aúdiunt, * Quia. *Joan.* 15. *Matth.* 13.

Lectio viij.

Ex Tract. 27. in Joan. n. 10.

AIt Dóminus Jesus: Nonne ego vos duódecim elégi, & unus ex vobis diábolus est? Ergo úndecim elégit, díceret: an elígitur diábolus, & in eléctis est diábolus? Elécti in laude solent dici: an eléctus est iste, de quo noléntе & nesciénte áliquid boni fieret? Hoc est própriũ Dei: contrárium iníquis. Omnibus bonis Dei malè útitur malus; contrà, malis hóminum malórum benè útitur bonus. Et quid tam bonum, quàm unus Deus?... Quantò ergo ille mélior, tantò méliùs útitur & malis nostris. Quid Juda pejus?... sed malo ejus benè usus est Dóminus. Tradi se pértulit, ut redímeret nos. Ecce malum Judæ in bonum convérsum est.

℟. viij. Homo pacis meæ qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem: diábolus stet à dextris ejus, * Et episcopátum ejus accípiat alter. ℣. Cùm judicátur, éxeat condemnátus, & orátio ejus fiat in peccátum; * Et. *Ps.* 40. & 108.

[*Post Cineres, Lectio ix. de Evangelio & Homilia Feriæ occurrentis, cum suo ℟.*]

Ante Feriam IV. Cinerum, Lectio ix.

POtest & sic intélligi quod ait; Duódecim elégi; quia sacrátus est númerus. Non enim quia périit inde unus, ídeò illíus númeri honor demptus est: nam in loco pereúntis álius subrogátus est. Mansit númerus consecrátus, númerus duodenárius: quia per univérsũ mundum, hoc est per quátuor cárdines mundi, Trinitátem fúerant annuntiatúri. Ideò ter quatérni. Se ergo exterminávit Judas; non duodenárium númerum violávit. Ipse deséruit præceptórem, nam Deus illi appósuit successórem.

℟. ix. Vocábo servum meũ, & potestátem dabo in manu ejus, * Et dabo clavem domûs David super húmerum ejus; & apériet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui apériat. ℣. Figam illum paxíllum in loco fidéli,

erit in sólium glóriæ; * Et. lória. * Et. *Is.* 22.

Te Deum.

IN LAUD. MATUT.

℣. *Sacerd. & cetera, de Communi Apostolorum, præter ea æ sequuntur.*

Post Hymnum ℣. Exáltent um in ecclésia plebis, ℟. Et a cáthedra seniórum laudent um. *Ps.* 106.

Ad Benedíctus; *Ant.* 3. a. De Jerúsalem exíbunt relíquiæ, & salvátio de monte ion; zelus Dómini exercítuum fáciet istud. *Is.* 37.

Oratio.

DEus, qui beátum Matthíam Apostolórum tuórum collégio sociásti; tribue, quæsumus, ut ejus intercessióne tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus; Qui vivis.

IN II. VESPERIS,

℣. Pósui adjutórium super poténtem,

℟. Et exaltávi eléctum de plebe mea. *Ps.* 88.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Quæ retrò sunt oblivíscens, ad ea verò quæ sunt prióra exténdens me ipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíũ supérnæ vocatiónis in Christo Jesu. *Philip.* 3.

Oratio, Deus, qui beátum Matthíam. *suprà in Laudibus Matutinis.*

DIE VII. MARTII,

SS. PERPETUÆ & FELICITATIS Martyrum

Commemoratio

Pridie in Vesperis fit per Ant. 8. G. Timor Dómini cum eléctis féminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóscitur. Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum. *Eccli.* 1. *Ps.* 24.

℣. Deus noster, refúgium & virtus; ℟. Non timébimus, dum turbábitur terra. *Ps.* 45.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas; da nobis intercedéntibus beátis Martyribus tuis Perpétuâ & Felicitáte, ut spíritu tuæ veritátis armáti mundum sive blandiéntem, sive sæviéntem víncere pro tui nóminis amóre valeámus; Per Dóminum.

IN NOCT.

Lectio iij.

Ex Tractatu de Temp. Barbarico, apud Augustinũ to.6.p.608

NAtalítia celebrámus Mártyrum Perpétuæ & Felicitátis, & cómitum. Et cùm tot ibi sint viri, quare istæ duæ præ ómnibus nominántur, nisi quia infírmior sexus aut æquávit aut superávit virórum fortitúdinem? Una eárum erat prægnans, ália lactans. Felícitas parturiébat, Perpétua la-

ctábat. Sed támdiu hæç Perpétua lactávit, quándiu accíperet ab illo pastóre simul & patre buccéllã lactis: quâ accéptâ dulcédo felicitátis perpétuæ eam fecit contemnere filium, spérnere patrem, non inhærére mundo, pérdere animam pro Christo. Felícitas verò, quæ sóciam habébat Perpétuam, & parturiébat, & dolébat: objécta béstiis gaudébat pótiùs quàm timébat. Quæ virtus in féminis! Qualis est grátia quæ cùm se infúndit, nullum indígnũ júdicat sexũ! [Cóntigit martyrium utriúsque anno círciter ducentésimo quinto.]

℟. *iij.* Infirma mundi. *p.* lxxxij

In Laud. Matut. *pro Commemor. Ant.* 5. a. Vicérunt propter sánguinem Agni, & propter verbum téstimónii sui: & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. *Apoc.* 12.

℣. In nómine tuo, Dómine,
℟. Spernémus insurgéntes in nobis. *Ps.* 43.

Die VIII. Martii,
S. JOANNIS DE DEO
Commemoratio

Pridie in Vesperis de Feria fit ut in Com. SS. Monach. p. lv. *Oratio ut infrà.*

In Noct. *Lectio iij.*
Ex ejus Vita apud Bolland.

Joánnes de Deo ex Cathólicis piísque paréntibus in óppido novo Montis-Majóris Regni Lusitániæ natus; à laxióri vivéndi ratióne divinâ operánte virtúte revocatus, magnæ sanctitátis spécimen cœpit: & ob audítam prædicatiónem verbi Dei, sic ad melióra se excitátum sensit; ut jam ab ipso sanctióris vitæ rudiménto consummátum áliquid perfectúmque visus sit attigísse, bonis ómnibus in paúperes carcéribus inclúsos erogátis. Admirábilis pœniténtiæ, suíque ipsíus contémptûs cuncto pópulo spectáculum factus, cæléstíque caritáte incénsus, gémino atque amplo Valetudinário ex piórum elemósynis in civitáte Granaténsi exstrúcto; jactóque novi Ordinis fundaménto, Ecclésiam novâ prole fecundávit Fratrum Hospitalitátis, infirmis præcláro animárum corporúmque profectu inserviéntium, & longè latéque per orbem diffusórum. Multíplici asperitátum génere, demisíssimâ obediéntiâ, extrémâ paupertáte, orándi stúdio, rerum divinárum contemplatióne, & in beátam Vírginem pietáte mirífícè excélluit, & lacrymárum dono enítuit. Dénique gravi morbo corréptus, ómnibus Ecclésiæ sacraméntis ritè sanctéque reféctus; víribus licèt destitútus, própriis indútus véstibus, è léctulo surgens,

ac

c provolútus in génua, manu & corde Dóminum è cruce pendéntem perstríngens, octávo Idus Mártii anno millésimo quingentésimo quinquagésimo óbiit in ósculo Jesu Christi crucifixi.

℟. iij. Licèt is qui foris est noster homo corrumpátur; tamen is qui intus est renovátur de die in diem; * Non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. ℣. Mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut & vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris, non defícimus,* Non. Glória. * Non. 2. *Cor.* 4.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus qui nos hóspites, nos ádvenas fecísti super terram; da nobis quæsumus exémplo & intercessióne beáti Joánnis, cujus memóriam celebrámus, ea quæ sunt hospitalitátis pérsequi, & tálibus hóstiis promeréri Dóminum nostrum Jesum Chr.

Die IX. Martii,
SS. XL. MARTYRUM
Commemoratio

Pridie in Vesp. de Feria fit per Ant. 1. a. Confortámini in Dómino, & in poténtia virtútis ejus: indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare adversùs insídias diáboli. *Ephes.* 6.

℣. Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, ℟. Omnes qui sperátis in Dómino. *Ps.* 30

Oratio, Mártyrum tuórum. *ut infrà in Laud. Mat.*

Sermo sancti Basílii Epíscopi
Lectio iij. Hom. in XL. Mart.

Quadragínta Christi Mílites magnitúdine córporis, & ætátis vigóre ac róbore, ómnibus suis æquálibus præstántes, ad militáres órdines regéndos promóti sunt; & propter militárem experiéntiam animíque fortitúdinem jam primos honóres apud Imperatóres obtinébant. Ubi verò ímpium edíctum denuntiátum est, Ne quis Christum profiterétur, propositáque sunt ómnia pœnárum génera confiténtibus; tunc horum quílibet in médium procédens, En, ait, Christiánus sum. Quæ ut áudiit bárbarus Judex, cùm considerásset regiónis natúram quòd esset frígida, & anni tempus quòd hibérnum, & noctem in qua bóreas máximè spiráret, jussit omnes nudos sub dio pernoctáre, ac congelándos mori. Qui, loco summa cum lætítia conspécto, últimum étiam amíctum alácriter abjiciéntes, ad mortem properárunt. Unus autem ex eórum número vacíllans ad pœnam, desértor ábiit, luctum inconsolábilem sanctis relínquens. Verùm Deus eó-

rum preces írritas esse non permísit. Nam lictor custos Mártyrum, ut illum defecísse vidit, & ad bálneum recurrísse, seípsum in desertóris locum substítuit abjíciens vestes, eamdémque cum sanctis vocem emísit: Christiánus sum. Hic baptísmum suscépit non ab ullo, sed à própria fide; non in aqua, sed in próprio sánguine. Sícque illucescénte die adhuc spirántes igni tráditi sunt: aqua ipsos suscépit. Illórum vox est: Transívimus per ignem & aquam, & eduxísti nos in refrigérium.

℟. *iij.* Probásti nos Deus, & igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.* Transívimus per ignem & aquam, & eduxísti nos in refrigérium. ℣. Non coronábitur, nisi qui legítimè certáverit. * Transívimus. Glória.* Transívimus. *Ps.* 16. 2. *Tim.* 2.

In Laud. Mat. *pro Commemor. SS. Mart. Ant.* 5. a. Benedícite ignis & æstus Dómino: gelu & frigus laudáte & superexaltáte eum in sécula. *Dan.* 3.

℣. Ignis, grando, nix, gláciès, spíritus procellárum,

℟. Laudent nomen Dómini. *Ps.* 148.

Oratio.

Martyrum tuórum memóriam recenséntes, súpplices te, Dómine deprecámur, ut in tua caritáte radicáti & fundáti, passióne hujus témporis amóre illíus glóriæ quæ revelánda est in nobis, invícto ac libénti ánimo sustinére valeámus; Per.

Die XI. Martii, S. EULOGII CORDUB. Presbyteri & Martyris.

Commemoratio,

Pridie In Vesp. *ut in Communius Mart.*

Oratio, Præsta quæsumus. *Ibidem.*

In Noct.

Lectio iij.

Ex Seculo 4. Bened. Part. 2. & Alvar. coætan.

Circa médium noni séculi grassáta est in Hispánia Tyrannórum procélla, ubi Christianórum ac præcípuè Monachórum facta est strages máxima. Eórum defensiónem Eulógius Présbyter scriptis aggréssus est advérsùs nonnúllos étiam Christiános qui mártyres illos agnóscere recusábant, eò quòd se se ultrò martyrio objícerent. In libro quem Memoriále Sanctórum appellávit, illórum Apológiam scripsit. In cujus rei ódium à Maurórum Rege Abdaragmámo in víncula conjéctus, tandem morte afféctus est anno octingentésimo quinquagésimo nono, Mártii

e undécimâ. Mónachus stúo, non professióne, ita Móchis adhærébat, ut Cléris probarétur; ita in Clero gens, ut Mónachus viderér: utrorúmque professiónes us cum laude complébat. In m litterariam bene semper it affectus, præsértim in tíquis codícibus perquirénds, eruéndis, & emendáns.

℟. iij. Usque ad mortem rta pro justítia, * Et Deus pugnábit pro te inimícos os. ℣. Scio tribulatiónem am: esto fidélis usque ad ortem * Et Deus. Glória. Et Deus. *Eccli. 4. Apoc. 2.*

DIE XIII. MARTII,
S. VINCENTII
Presbyteri de Magniaco
Diœc. Nivern.

Commemoratio, ut in Com. S. Presb.

Lectio iij.

Ex tribus MSS. 900, & 2 aliis 500 annorum.

Anctus Vincéntius, quem hódie celebrámus, bonóm contémptu & pietáte exlluísse dícitur. Présbyter fuit Magníaco in Diœcési Nivnénsi. Ejus sánctitas jámu est comprobáta: memotur enim in authéntico Uárdi Martyrológio, ejúsque lum tértio Idus Mártii est nsignátum in Nivernénsi Breviário anni millésimi quadrigentésimi nonagésimi quarti. In Magníaco viâ régiâ Lugdunénsi ad novem milliária à civitáte Nivérno fuit sepúltus in crypta Ecclésiæ sancti Nazárii Mártyris, ubi quiéscit sancti illíus Presbyteri corpus, ex quo extráctum os bráchii decénter compósitum est in Altári Capéllæ sancti Lázari in Cathedráli Ecclésia Nivernénsi. Sanctus ille Présbyter jam século nono habébat sui nóminis Abbatiálem Ecclésiam témpore Cároli Calvi, ut patet ex Diplómate Cároli Crassi: cúi Ecclésiæ donatiónem factam & privilégium téstibus tribus Archiepíscopis Eígilo Senonénsi, Vanilóne Rotomagénsi, Herárdo Turonénsi; totidémque Epíscopis Ænéâ scílicet Parisiénsi, Gillebérto Carnoténsi, & Hildegário Meldénsi, confirmávit Abbo Nivernénsis Epíscopus anno Christi octingentésimo sexagésimo séptimo.

℟. iij. Quis est fidélis dispensátor & prudens quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? * Beátus ille servus, quem cùm vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem. ℣. Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, & dispensatóres my-

steriórum Dei: hîc jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur, * Beátus. Glória. * Beátus. *Luc.* 12. 1. *Cor.* 4.

Oratio.

Domine, Deus omnípotens, qui sanctum fámulum tuum Vincéntium, ut sacerdótio tibi fungerétur, pópulo segregásti; præsta quæsumus, ut ejus exémpla sectántes, genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis éffici mereámur; Per.



COMMUN

COMMUNE SANCTORUM.

PARS HIEMALIS.

In omnibus Festis, & in quocumque Officio, semper dicuntur Psalmi de Feria; & ad Vigilias primæ Lectiones de Scriptura occurrente cum suis Responsoriis, nisi aliter notetur in Proprio; & Canticum Te Deum, *etiam in Simplicibus.*

In Festis Annualibus repetitur ab initio ultimum ℟. cujusque Noct. post Gloria Patri, *etiamque in Vesperis. In I. Vesperis Annual. & Solemn. dicitur ℟. vj. in II. Vesp. ℟. ix.*

COMMUNE APOSTOLORUM.

AD PRIMAS VESPERAS,

Psalmi Feriales super.

Ant. 1. D.

EXiit Jesus in montem oráre, & erat pernóctans in oratióne Dei. *Luc.* 6.

Ant. 7. a. Cùm dies factus esset, vocávit discípulos suos, & elégit duódecim ex ipsis, quos & Apóstolos nominávit. *Ibidem.*

Ant. 1. a. Vocávit ad se quos vóluit ipse; & venérunt ad eum. *Marc.* 3.

Ant. 3. a. Misit illos prædicáre regnum Dei, & sanáre infirmos. *Luc.* 9.

Ant. 6. F. Egréssi circuíbant per castélla, evangelizántes, & curántes ubíque. *Ibid.*

Capitulum. 1. *Cor.* 12.

VOs estis corpus Christi, & membra de membro: & quosdam quidem pósuit Deus in Ecclésia primùm Apóstolos, secúndò Prophétas, tértiò Doctóres.

Respondetur Deo grátias *in fine omnium Capitulorum.*

Hymnus. Santolius Vict.

QUem misit in terras Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hic fidos sui
Vos éligit vicários.

Occísus Agnus à lupis,
Vos misit agnos ad lupos:
Mores ferínos éxuunt
Agni repénte, de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,

Vestro piastis sanguine.
Hoc rore facta pinguior,
Quot illa fructus protulit!
Quæ, quanta surrexit seges!
Et ista nos seges sumus.
Quam si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere,
Fruménta nos cæléstibus
Matúra condes hórreis.
Uni sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dícite in géntibus quia Dóminus regnávit, ℟. Judicábit pópulos in æquitáte. *Ps.* 95.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Tradent vos in concíliis, & in synagógis suis flagellábunt vos: & ad Præsides & ad Reges ducémini propter me, in testimónium illis & géntibus. *Matth.* 10.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

AD VIGILIAS.

Invitatorium, Apóstolum & Pontíficem confessiónis nostræ Jesum Christum Dóminum * Veníte adorémus. *Hebr.* 5.

Psalmus 94. Veníte exultémus. *p.* 1.

Hymnus. *Santolius Victorinus.*

CÆléstis aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs;
Bisséna mundi lúmina,
Olim futúri júdices
Mersis gravi calígine,
Per vos dies renáscitur;
Quos vanus Error lúserat,
Illústrat alma Véritas.
Non vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullis ártibus;
Verbo sed irrísæ Crucis
Christo rebélles súbditis.
Quibus gemébat súbditus;
Rumpúntur orbis víncula:
Jam gaudet excússo jugo,
Liber Dei sub légibus.
Vulgáta terris ómnibus
Per vos Dei mystéria:
Sic vestra terris ómnibus
Præclára facta pérsonant.
Uni sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

IN I. NOCT.

Psalmi de Feria super

Ant. 1. g. Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, misit illos, dicens: Euntes prædicáte, quia appropinquávit regnum cælórum. *Luc.* 9. *Matth.* 10.

Ant. 2. c. Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, dæmones ejícite: gratis accepístis, gratis date. *Matth.* 10.

Ant. 3. D. Nolíte possidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis vestris: dignus est enim operárius cibo suo. *Matth.* 10.

℣. Annuntiáte inter gentes

gloriam ejus, ℟. In omnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.
Pater noster.

Benedictiones ut ante Psaltérium.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente cum suis Respónsoriis: quod semper fit in omnibus Festis Sanctorum, nisi aliter notetur in Proprio.

IN II. NOCT.

Ant. 8. G. Intrántes in domum, salutáte eam; dicéntes, Pax huic dómui: & illic manéte donec exeátis inde. *Matth.* 10. *Marc.* 6

Ant. 8. G. Qui récipit vos, me récipit; & qui me récipit, récipit eum qui me misit. *Matth.* 10.

Ant. 3. c. Quicúmque non recéperit vos, neque audíerit sermónes vestros; exeúntes de domo, excútite púlverem de pédibus vestris. *Ibid.*

℣. Eúntes ibant & flebant, ℟. Mitténtes sémina sua. *Ps.* 125.

Lectiones iv. v. vj. in Proprio.

℟. *iv.* Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. ℣. Ite ángeli velóces ad gentem convúlsam & dilaceràtam, ad pópulum terríbilem. * Estóte. *Matth.* 10. *Is.* 18.

℟. *v.* Non vos me elegístis; sed ego elégi vos, & pósui vos, * Ut eátis, & fructum afferátis, & fructus vester máneat. ℣. Fílii mei, nolíte negligere: vos elégit Dóminus, ut stetis coram eo, & ministrétis illi, * Ut. *Joan.* 15. 2. *Paral.* 29.

℟. *vj.* Tradémini à paréntibus & amícis; & éritis ódio ómnibus * Propter nomen meum ℣. Vir fratrem suum ad mortem venátur; & inimíci hóminis, doméstici ejus, * Propter. Glória Patri. ℟. Propter. *Luc.* 21. *Mich.* 7.

IN III. NOCT.

Ant. 4. f. Exeúntes prædicábant ut pœniténtiam ágerent: & dæmónia multa ejiciébant; & ungébant óleo multos ægros, & sanábant. *Marc.* 6.

Ant. 1. a. Conveniéntes ad Jesum, renuntiavérunt ei ómnia quæ égerant & docúerant; & ait illis: Veníte in desértum locum, & requiéscite. *Ibid.*

Ant. 1. g. Cùm fecéritis ómnia quæ præcépta sunt vobis, dícite: Servi inútiles sumus. *Luc.* 17.

℣. Custodiébant testimónia ejus, ℟. Et præcéptum quod dedit illis. *Ps.* 98.

Lectiones vij. viij. ix. ut in Proprio.

℟. *vij.* Sicut tu me misísti in mundum, & ego misi eos in mundum: & pro eis sanctífico meípsum, * Ut sint & ipsi sanctificáti in veritáte. ℣. Sint er-

go sancti, quia & ego sanctus sum, Dóminus, qui sanctifico eos, * Ut sint. *Joan.* 17. *Levit.* 21.

℟. *viij.* Non est servus super dóminum suum. Si patrem-famílias Beélzebub vocavérunt, * Quantò magis doméśticos ejus? ℣. Dereliquérunt Dóminum, blasphemavérunt sanctum Israël, * Quantò. *Matth.* 10. *Is.* 1.

℟. *ix.* Príncipes géntium domináNtur eórum: non ita erit inter vos; sed * Quicúmque volúerit in vobis primus esse, erit ómnium servus. ℣. Sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre, * Quicúmque. Glória. ℟. Príncipes.

Matth. 20. *Marc.* 10.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Superædificémur super fundaméntum Apostolórum, ℟. Ipso summo anguIári lápide Christo Jesu. *Ephes.* 2.

℣. Deus in adjutórium, *&c.* Glória Patri, *&c.*

Ant. 4. E. PAter amat vos, quia vos me amástis, & credidístis quia ego à Deo exívi. *Joan.* 16.

Ant. 8. c. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. *Joan.* 15

Ant. 1. a. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem. *Joan.* 13

Ant. 1. D. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. *Joan.* 15.

Ant. 1. g. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. *Luc.* 21.

Capitulum. *Rom.* 1. 5.

PEr Jesum Christum accépimus grátiam & Apostolátum ad obediéndum fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus.

Hymnus. *Santol. Vict.*

SUpréme quales Arbiter
Tibi ministros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas commíttere!

Hæc nempe plena lúmine
Tu frangi vasa præcipis:
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu nube scissa, fúlgura.

Totum per orbem núntii
Nubes velut, citi volant:
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, corúscant, pérpluunt.

Christum sonant: versæ ruunt
Arces supérbæ dæmonum:
Circùm tubis clangéntibus,
Sic versa quondam mœnia.

Fac Christe, cæléstes tubæ
Somno graves nos éxcitent:
Accénsa de te lúmina
Pellant ténebras méntium.

Unì sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ

Lumen vocávit glóriæ. Amen.

℣. Subjécit pópulos nobis, ℟. Et gentes sub pédibus nostris. *Ps.* 46.

Ad Benedíctus *Ant.* 8. G. Quæcúmque alligavéritis super terram, erunt ligáta & in cælo; & quæcúmque solvéritis super terram, erunt solúta & in cælo. *Math.* 18.

Oratio ut in Proprio Sanctorum ad Laudes Matutinas.

Ad quatuor Horas diurnas Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ: quod semper observatur, nisi aliter notetur.

AD PRIMAM.

Ant. 4. E. Pater amat vos.

Cetera ut in Psalterio.

Ad absolutionem Capituli leguntur Canones prout habentur in fine Breviarii.

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Hoc est præcéptum meum.

Capitulum. *Judæ v.* 17.

CAríssimi, mémores estóte verbórum, quæ prædícta sunt ab Apóstolis Dómini nostri Jesu Christi.

℟. *br.* In omnem terram * Exívit sonus eórum. ℟. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. * Exívit. Glória Patri. ℟. In omnem.

℣. Patres nostri annuntiavérunt nobis opus, ℟. Quod operátus es in diébus eórum. *Ps.* 43.

Oratio ut in Proprio Sanctorum ad Laudes Matutinas.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Vos testimónium *in* 2. *Vesp.*

Capitulum. *Act.* 5. 12.

PEr manus Apostolórum fiébant signa & prodígia multa in plebe.

℟. *br.* Constítues eos príncipes * Super omnem terram. ℟. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine * Super. Glória Patri. ℟. Constítues. *Ps.* 44.

℣. In fundaméntis sanctæ Jerúsalem ℟. Nómina duódecim Apostolórum Agni. *Apoc.* 21.

AD NONAM.

Ant. 1. g. In patiéntia vestra. *suprà in Laud.*

Capitulum. *Act.* 5. 41.

IBant gaudéntes à conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. *br.* Dedísti nos Dómine * Tamquam oves escárum. ℟. Dedísti. ℣. Et in géntibus dispersísti nos. * Tamquam. Glória. ℟. Dedísti.

℣. Propter te mortificámur totâ die; ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis. *Ps.* 42.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Feria super

Ant. 1. f. JAm non dicam vos servos, sed amícos meos, quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. *Joan.* 15.

Ant. 3. a. Vos dixi amícos,

quia ómnia quæcúmque audívi à Patre meo nota feci vobis. *Ibid.*

Ant. 1. a. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. *Ibid.*

Ant. 5. a. Vos testimónium perhibébitis de me, quia ab inítio mecum estis. *Ibid.*

Ant. 3. E. Omni die non cessábant in templo & circa domos docéntes, & evangelizántes Christum Jesum. *Act.* 5.

Capitulum. *Ephes.* 2. 19.

JAm non estis hóspites & ádvenæ : sed estis cives Sanctórum & doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℣. Messis quidem multa, operárii autem pauci : rogáte ergo dóminum messis * Ut mittat operários in messem suam. ℣. Oráte ut respíciat Dóminus pópulum suum Israël, * Ut mittat. Glória. ℟. Messis. *Luc.* 10. *Judith.* 8.

Hymnus.

EXúltet cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis :
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

Vos secli justi júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

Qui cælum verbo cláuditis,
Seráſque ejus sólvitis,
Nos à peccátis ómnibus
Sólvite jussu, quæsumus.

Quorum præcépto súbditur
Salus & languor ómnium ;
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus :

Ut cùm judex advénerit
Christus in fine séculi
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

Deo Patri sit glória
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu
In sempitérna sécula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps.* 63.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. C. Perambulábat Paulus confírmans Ecclésias, præcípiens custodíre præcépta Apostolórum & Seniórum. *Act.* 15.

Oratio, in Proprio Sanctorum.

COMMUNE EVANGELISTARUM

AD PRIMAS VESPERAS.

Ant. 1. a. VIdi, & ecce similitúdo quátuor animálium ; pedes eórum, pedes recti ; & scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. *Ezech.* 1.

Ant. 2. D. Manus hóminis sub pennis eórum ; junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum. *Ibidem.*

Ant. 3. a. Similitúdo vultûs eórum, fácies hóminis & fácies leónis à dextris ip-

[f]órum quátuor; fácies bovis [à] sinístris, & fácies áquilæ [d]ésuper ipsórum quátuor. [Ib]id.

Ant. 7. a. Ibant animália, [e]t revertebántur in similitú[d]inem fúlguris coruscántis. [E]zech. 1.

Ant. 8. c. Unumquódque [c]oram fácie sua ambulábat: [u]bi erat ímpetus spíritûs, illuc [g]radiebántur. *Ibid.*

Capitulum. *Is.* 41. 26.

QUis annuntiávit ab exórdio ut sciámus; & à princípio ut dicámus: Justus es? [N]on est neque annúntians, neque prædícens, neque audiens [se]rmónes vestros. Primus ad [S]ion dicet: Ecce adsum, & Jerúsalem Evangelístam dabo.

Hymnus. *Santol. V.*

CHristi perénnes núntii,
Detécta qui cæléstibus
Scriptis Dei mystéria
Totum per orbem spárgitis.

Olim sub umbris cóndita
Vates sacri quæ víderant;
Umbris procul cadéntibus,
Vidístis hæc pleno die.

Humána quæ tulit Deus,
Divína quæ gessit homo,
Seris legénda pósteris,
Dictánte scripsístis Deo.

Vos ut docéret, índuit
Vocis sonos, Verbum Patris:
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. Magnificéntiam sanctitátis tuæ loquéntur, ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Ps.* 144.

Ad Magnificat, *Ant.* 4. E. Christum annuntiámus, docéntes in omni sapiéntia, ut exhibeámus omnem hóminem perféctum in Christo Jesu. *Coloss.* 1.

Oratio, in Proprio Sanctorum.

AD VIGILIAS.

Invitatorium, Dóminum qui dat verbum evangelizántibus virtúte multâ, * Veníte adorémus. *Ps.* 67.

Psalmus, Veníte. *p.* 1.

Hymn. Christi, *ut in I. Vesp.*

IN I. NOCT.

Ant. 2. Ecce sedes pósita erat in cælo; & qui sedébat símilis erat aspéctui lápidis jáspidis, & iris erat in circúitu sedis. *Apoc.* 4.

Ant. 8. G. In médio sedis quátuor animália plena óculis antè & retro, dabant glóriam sedénti super thronum. *Ibid.*

Ant. 5. a. Réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus omnípotens. *Ibid.*

℣. Cantáte & psállite ei, ℟. Narráte ómnia mirabília ejus *Ps.* 104.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente cum suis ℟. ℟. ℟. in Proprio de Tempore; Et sic in ceteris Communibus.

IN II. NOCT.

Ant. 7. d. Factus sum Evangélii minister secúndùm donum grátiæ Dei quæ data est mihi secúndùm operatiónem virtútis ejus. *Ephes.* 3.

Ant. 1. a. Deo sérvio in Evangélio Filii ejus, quod promíserat per Prophétas suos. *Rom.* 1.

Ant. 2. Non erúbui testimónium Dómini nostri; sed collaborávi Evangélio secúndùm virtútem Dei. 2. *Tim.* 1.

℣. Evangélium virtus Dei est ℟. In salútem omni credénti. *Rom.* 1.

Lectiones iv. v. & vj. in Proprio Sanctorum.

℟. *iv.* Scriba velox & legis Dei doctíssimus parávit cor suum ut investigáret legem Dómini, & fáceret & docéret præcéptum, * Juxta manum Dei bonam super se. ℣. Evangélium glóriæ beáti Dei créditum est ei,* Juxta. 1. *Tim.* 1.

℟. *v.* Nihil véreor, dúmmodo consúmmem ministérium verbi quod accépi * Testificári Evangélium grátiæ Dei. ℣. Præcepísti ei Dómine scríbere legem tuam coram filiis Israël; * Testificári. *Act.* 20. *Baruch.* 2.

℟. *vj.* Evangelizavérunt vobis, Spíritu sancto misso de cælo, * Quæ in Christo sunt passiónes, & posterióres glórias. ℣. Scribe, & in libro diligénter exára in testimónium usque in sempitérnum * Quæ. Glória. * Quæ. 1. *Petr.* 1. *Is.* 30.

IN III. NOCT.

Ant. 1. g. Elégit vos Deus in salútem in sanctificatióne Spíritûs, & in fide veritátis, in qua & vocávit vos per Evangélium nostrum. 2. *Cor.* 2.

Ant. 6. F. Cúpidè volebámus trádere vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras. 1. *Thess.* 2.

Ant. 4. A. Verbum Dómini manet in ætérnum; hoc est autem verbum quod evangelizátum est in vos. 1. *Petr.* 1.

℣. Collaboráte fidei Evangélii, ℟. Et in nullo terreámini ab adversáriis. *Philip.* 1.

Lect. vij. viij. ix. in Proprio.

℟. *vij.* Annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis; & hæc scríbimus vobis ut gaudeátis, * Et gáudium vestrum sit plenum. ℣. Hæc scripta sunt ut credátis quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credéntes vitam habeátis in nómine ejus,* Et gáudium. 1. *Joan.* 1. *& Evang.* 20.

℟. *viij.* Sicut probáti sumus à Deo ut crederétur nobis Evangélium, testificáti sumus, * Ut ambularétis dignè Deo. ℣. Lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis, * Ut ambularétis. 1.

Thess. 2. *Ps.* 44.

℟. *ix.* Lóquimur Dei sapiéntiam, * Non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína Spíritûs, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in ostensióne Spíritûs & virtútis. ℣. Non sumus adulterántes verbum Dei; sed ex sinceritáte, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo lóquimur, * Non in Glória. * Lóquimur. 1. *Cor.* 2. & 2. *c.* 2.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, ℟. Evangelizántium bona! *Rom.* 10.

℣. Deus in adjutórium, &c.

Ant. 8. *G.* Evangélium prædicávi vobis, quod & accepístis, in quo & statis, per quod & salvámini. 1. *Cor.* 15.

Ant. 7. *c.* Spem, quæ repósita est vobis in cælis, audístis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos. *Coloss.* 1

Ant. 4. f. Non spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, & lóquimur in doctrína Spíritûs. 1. *Cor.* 2.

Ant. 3. à * Sicut ergo accepístis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte. *Coloss.* 2.

Ant. 8. c. Si quis vobis evangelizáverit prætérquàm quod evangelizávimus, anáthema sit. *Galat.* 1.

Capitulum. 2. *Cor.* 4.

Deus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu: habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei, & non ex nobis.

Hymnus. *Santol.* *V.*

Sinæ sub alto vértice,
Cælo tonánte, lex data;
Inter tubas & fúlgura
Præsens minabátur Deus.

Nunc temperáto númine,
Per vela carnis blándiùs
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans sénsibus.

Insculpta saxo lex vetus
Præcépta, non vires dabat:
Inscrípta cordi lex nova,
Quidquid jubet, dat éxequi.

Afflánte divo Spíritu
Quæ verba vitæ tráditis,
Hæc ille nostris ímprimat
Delénda nunquam córdibus.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps.* 63.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. *C.* Quod áliis generatiónibus non est ágnitum, nunc revelátum est Gentes esse coherédes

& compartícipes promissiónis Dei in Christo Jesu per Evangélium. *Ephes.* 3.

Oratio ut in Proprio Sanctorum

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Christus dedit quidem Apóstolos, álios verò Evangelístas ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Manifestáta est nunc grátia Dei per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi, qui destrúxit quidem mortem, illuminávit autem vitam & incorruptiónem per Evangélium. 2. *Tim.* 1

Capitulum. *Coloss.* 1.

MYstérium quod abscónditum fuit à séculis & generatiónibus, nunc manifestátum est sanctis ejus, quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacraménti hujus in Géntibus, quod est Christus, in vobis spes glóriæ, quem nos annuntiámus.

℟. *br.* Elóquia Dómini, * Elóquia casta. ℟. Elóquia Dom. ℣. Argéntum igne examinátum, purgátum séptuplum. * Elóquia casta. Glória Patri. ℟. Elóquia. *Ps.* 11.

℣. Virtútem terribílium tuórum dicent, ℟. Et magnitúdinem tuam narrábunt *Ps.* 144.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Implétum est tempus, & appropinquávit regnum Dei; pœnitémini, & crédite Evangélio. *Marc.* 1.

Capitulum 1. *Petr.* 4.

TEmpus est ut incípiat judícium à domo Dei: si autem primùm à nobis, quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio?

℟. *br.* Deus voci suæ * Dabit vocem virtútis, ℟. Deus. ℣. Magnificentia ejus & virtus ejus in núbibus. * Dabit. Glória. ℟. Deus.

℣. Docuísti me Deus ℟. Et pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 67. & 70.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Deo grátias, qui odórem notítiæ suæ maniféstat per nos in omni loco. 2. *Cor.* 2.

Capitulum. *Rom.* 1. 16.

EVangélium virtus Dei est in salútem omni credénti, Judæo primùm, & Græco.

℟. *br.* Dóminus dabit verbum * Evangelizántibus. ℟. Dóminus. ℣. Virtúte multâ * Evangelizántibus. Glória. ℟. Dóminus.

℣. Lóquimur Dei sapiéntiam in doctrína Spíritûs. ℟. In ostensióne Spíritûs & virtútis. 1. *Cor.* 2.

AD II. VESPERAS.

Ant. de Laudibus Mat. suprà.

Capitulum. *Ephes.* 3. 8.

MIhi data est grátia hæc, in Géntibus evangeli-

zare investigabiles divitias Christi, & illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacramén-ti absconditi à sæculis in Deo.

In Festis feriatis. ℟. Lóquimur. *ix. suprà.*

Hymnus ut in Laudibus.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum; ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum. *Psal.* 18.

Ad Magnificat, *Ant.* 8. *G.* Qui non obédiunt Evangélio Dómini nostri Jesu Christi, pœnas dabunt in intéritu ætérnas à fácie Dómini, & à glória virtútis ejus. 2. *Thess.* 1.

Oratio, in Proprio Sanctorum.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS, AUT CONFESSORIS.

AD I. VESPERAS.

Ant. 5. a. Confortáre, & esto robústus; quia Dóminus Deus tuus ipse est ductor tuus. *Deut.* 31.

Ant. 4. E. Ipse erit tecum; non dimíttet, nec derelínquet te: noli timére. *Ibid.*

Ant. 5. a. Usque in tempus sustinébit pátiens, & postea redditio jucunditátis. *Eccl.* 1.

Ant. 6. F. Non contristábit justum quidquid ei accíderit: quasi leo confidens, absque terróre erit. *Prov.* 12.

Ant. 1. f. In tentatióne Deus illum conservábit; & non illidétur, quasi in procélla navis. *Eccli.* 33.

Capitulum. Jac. 1.

Beátus vir qui suffert tentatiónem; quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus. Santol. V.

Ex quo salus mortálium
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redémptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

Non jam crucis Christi pudet;
Quin surgit ingens glória,
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iste plenus spíritu,
Ridet minas, ridet neces:
Tuáque fœtus déxterâ
Tibi, Redémptor, mílitat.

Paráta spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

Da Christe tanti mílitis
Æquáre facta fórtia,
Da sustinére pro tuo
Quodcúmque durum nómine.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. In Deo sperávi: ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 55.

Ad Magnificat, *Ant.* 7. a. Ecce Deus salvátor meus: fiduciáliter agam, & non timébo; quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus est

mihi in salútem. *Isai.* 12.

Oratio infrà ut ad Laudes.

Si eodem die occurrat Commemoratio alterius Martyris, dicitur Ant. Qui vícerit, dabo ei *&c.* ℣. Adjútor meus. *ut infrà in Laudibus Mat. ad* Benedíctus.

AD VIGILIAS.

Invit. Dóminum qui fidéli usque ad mortem dat corónam vitæ, * Veníte adorémus. *Apoc.* 2. *Psal.* Veníte.

Hymnus. Santol. V.

FElix morte tuâ qui cruciátibus
Cælo difficilem rúmpere amas viam;
Et signáre cruóre
Quam Christo déderas fidem.

Te pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere:
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sústinet.

Et nos delícias vana per ótia,
Gens infida Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inértes
Sanguis Mártyris éxcitat.

Semper máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máxima Fílio;
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 5. a. Certa bonum certámen fidei, apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es. 1. *Tim.* 6.

Ant. 2. Noli erubéscere testimónium Dómini nostri Jesu Christi; sed collabóra Evangélio, secúndùm virtútem Dei. 2. *Tim.* 1.

Ant. 3. a. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu: nam & qui certat in agóne, non coronátur, nisi legítimè certáverit. 2. *Tim.* 2.

℣. Propter verba labiórum tuórum ℟. Ego custodívi vias duras. *Ps.* 16.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente, cum suis Respons.

IN II. NOCT.

Ant. 8. G. Gloriosíssimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium; & patiénter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. 2. *Machab.* 6.

Ant. 7. a. Mélius est mihi absque ópere incídere in manus hóminum, quàm peccáre in conspéctu Dómini. *Dan.* 13.

Ant. 3. a. Etsi in præsénti témpore suppliciis hóminum erípiar, sed manum Omnipoténtis nec vivus, nec defúnctus effúgiam: quamób-

fortiter vitâ excedéndo, exemplum forte relínquam. 2. Mach. 6.

℟. Príncipes persecúti sunt gratis, ℣. Et à verbis tuis formidávit cor meum Ps. 118.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Lectio iv. Serm. 276. n. 1.

In passióne hodiérna, Fratres mei, evidénter osténditur judex ferox, tortor crudelis, Martyr invíctus. In ejus pectore pœnis váriis laceráto jam torménta defécerant, & adhuc membra durábant. Tot convícta miráculis resistébat impíetas, tot vexata suppliciis non cedébat infirmitas: agnoscátur ergo declaráta divínitas. Quando enim corruptíbilis pulvis contra tam immánia torménta duráret, nisi in eo Dóminus habitáret? In his enim ómnibus ille agnoscéndus, ille glorificándus, ille laudándus est, qui & in prima vocatióne dedit fidem, & in supréma passióne virtútem. Vultis nosse utrúmque donátum esse? Audíte Apóstolum Paulum: Vobis (inquit) donátum est pro Christo, non sólum ut credátis in eum, verùm étiam ut patiámini pro eo. Accéperat hæc útraque [sanctus Martyr,] accéperat & habébat. Si enim non accepísset, quid habéret? Habébat in sermóne fidúciam, habébat in passióne tolerántiam.

℟. iv. Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vinceret, & sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. ℣. In fraude circumveniéntium illum ádfuit illi, * Ut. Sap. 10.

Lectio v.

Recólite Dóminum Christum suos in Evangélio discípulos admonéntem: recólite Mártyrum Regem cohórtes suas armis spirituálibus instruéntem, bella monstrántem, adjutória ministrántem, præmia pollicéntem; qui cùm dixísset discípulis suis: In hoc mundo pressúram habébitis; mox unde térriti consolaréntur, adjúnxit, dicens: Sed confídite, ego vici mundum. Quid ergo mirámur, caríssimi, si in illo [Martyr noster] vicit, à quo victus est mundus? In hoc (inquit) mundo pressúram habébitis: ut si premit, non ópprimat; si oppúgnat, non expúgnet. Dúplicem mundus áciem prodúcit contra mílites Christi. Advértite fratres. Dúplicem (dixi) áciem prodúcit mundus contra mílites Christi. Blandítur enim, ut decípiat; terret, ut frangat. Non nos téneat volúptas própria, non nos térreat crudélitas aliéna; & victus est mundus. Ad utrósque áditus occúrrit

Christus; & non vincitur Christiánus.

R. v. Probátio vestræ fídei multò pretióſior auro quod per ignem probátur, inveniátur in laudem * In revelatióne Jesu Christi. V. In igne probátur aurum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis, * In revelatióne. 2. Petr. 1. Eccl. 2.

Lectio vj.

SI considerétur in ista passióne humána patiéntia, íncipit esse incredíbilis; si agnoscátur divína poténtia, désinit esse mirábilis. Tanta grassabátur crudélitas in Mártyris córpore, & tanta tranquíllitas proferebátur in voce, tantáque pœnarum aspéritas sæviébat in membris, & tanta secúritas sonábat in verbis; ut miro modo putarémus Mártyre patiénte álium non loquéntem torquéri. Et verè, fratres, ita erat; prorsus ita erat: álius loquebátur. Promísit enim & hoc téstibus suis Christus in Evangélio, quos ad hujúsmodi certámina præparábat. Sic enim ait: Nolíte præmeditári quómodo aut quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. Caro ergo patiebátur, & Spíritus loquebátur. Et loquénte Spíritu, non solùm convincebátur impíetas, sed étiam confortabátur infírmitas.

R. vj. Dómine qui habes sanctam sciéntiam, manifésté tu scis quia, cùm morte possem liberári, duros córporis sustíneo dolóres; secúndùm ánimam verò * Propter timórem tuum libénter hæc pátior. V. Magis éligens affligi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem; * Propter. Glória. * Propter. 2. Machab. 6. Hebr. 11.

In III. Noct.

Ant. 3. a. Prompto ánimo, ac fórtiter pro graváfimis ac sanctíssimis légibus honéstâ morte perfúngar. 2. Machab. 6

Ant. 8. G. E cælo membra ista possídeo, sed propter Dei leges ipsa despício, quóniam ab ipso me ea recepturum spero. 2. Machab. 7.

Ant. 6. F. Propter opus Christi usque ad mortem accéssit, tradens ánimam suam; & mundus óbiit, per ómnia in Dómino confídens. Philip. 2. 2. Mach. 7.

V. Dóminus protéctor vitæ meæ; R. A quo trepidábo? Ps. 26.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 14.

IN illo témpore, Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &

patrem, & uxórem, & filios, & fratres, & soróres, adhuc autem & ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. 37. in Evang.

Percontári libet quómodo parentes & carnaliter propinquos præcípimur odísse, qui jubémur & inimícos dilígere? An simul & odísse possumus & dilígere? Sed si vim præcépti perpéndimus, utrúmque ágere per discretiónem valémus: ut eos qui nobis carnis cognatióne conjuncti sunt, & quos próximos nóvimus, diligámus; & quos adversários in via Dei pátimur, odiéndo & fugiéndo nesciámus. Quasi enim per ódium dilígitur, qui carnáliter sápiens, dum prava nobis íngerit, non audítur. Ut autem Dóminus demonstráret hoc erga próximos ódium non de affectióne procédere, sed de caritáte, addídit prótinus, Adhuc autem & ánimam suam. Odísse ítaque præcípimur próximos, odísse & ánimam nostram. Constat ergo, quia amándo debet odísse próximum, qui eum odit sicut semetípsum.

℟. viij. Ne páveas irruéntes & poténtias impiórum: * Dóminus enim erit in látere tuo, & custódiet pedem tuum ne capiáris. ℣. Scio tribulatiónem tuam: nihil horum tímeas quæ passúrus es. * Dóminus. Prov. 3. Apoc. 2.

Lectio viij.

Hoc ipsum verò ánimæ ódium quáliter exhibéri débeat, Véritas subdéndo maniféstat, dicens: Qui non bájulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discípulus. Crux quippe à cruciátu dícitur. Et duóbus modis crucem Dómini bajulámus, cùm aut per abstinéntiam carnem afficimus, aut per compassiónem próximi, necessitátem illíus nostram putámus. Qui enim dolórem exhíbet in aliéna necessitáte, crucem portat in mente. Sciéndum verò est quòd sunt nonnúlli qui carnis abstinéntiam non pro Deo, sed pro ináni glória exhíbent. Et sunt plerique qui compassiónem próximo non spiritáliter, sed carnáliter impéndunt: ut ei non ad virtútem, sed quasi miseréndo ad culpas fáveant. Hi ítaque crucem quidem vidéntur ferre, sed Dóminum non sequúntur. Unde rectè hæc eádem Véritas dicit: Qui non bájulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discípulus. Bajuláre enim crucem, & post Dóminum ire, est vel carnis abstinéntiam, vel compassiónem

próximo pro stúdio ætérnæ intentiónis exhibére. Nam quísquis hæc pro temporáli intentióne éxhibet, crucem quidem bájulat, sed ire post Dóminum recúsat.

℞. viij. Usque ad mortem certa pro justítia, * Et Deus expugnábit pro te inimícos tuos. ℣. Scio tribulatiónem tuam: esto fidélis usque ad mortem * Et Deus. *Eccli.* 4. *Apoc.* 2.

Lectio ix. Ex Homil. 35.

ET quia natálem Mártyris hodiérnâ die cólimus, fratres mei, nequáquam nos à virtúte ejus patiéntiæ existimáre extráneos debémus. Si enim adjuvánte nos Dómino virtútem patiéntiæ serváre contendimus, & in pace Ecclésiæ vívimus, & tamen martyrii palmam tenémus. Duo quippe sunt martyrii génera, unum in mente, áliud in mente simul & actióne. Itaque esse mártyres póssumus, etiámsi nullo percutiéntium ferro trucidémur. Mori quippe à persequénte, martyrium in apérto ópere est: ferre verò contumélias, odiéntem dilígere, martyrium est in occúlta cogitatióne... Sciéndum prætérea est quòd tribus modis virtus patiéntiæ exercéri solet. Alia namque sunt quæ à Deo, ália quæ ab antíquo adversário, ália quæ à próximo sustinémus. A próxi namque persecutiónes, da na, & contumélias: ab ant quo verò adversário tent ménta: à Deo autem flagé tolerámus. Sed in his ómn bus tribus modis vigilán óculo semetípsam debet me circumspícere, ne contra ma la próximi pertrahátur ad re tributiónem mali: ne cont tentaménta adversárii sed cátur ad delectatiónem v consénsum delícti: ne cont flagélla opíficis ad excéss prótuat murmuratiónis.

R. ix. Dóminus mihi ádstitit, & confortávit me; liberávit me ab omni ópere malo, * Et salvum fáciet i regnum suum cæléste.

℣. Liberávit me secúnd multitúdinem misericórdi nóminis sui de mánibus quæréntium ánimam meam. * E salvum. Glória. * Salvum. 2 *Tim.* 4. *Eccli.* 51.

Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *sac.* Ego cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam, ℟. Et exultábo manè misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

℣. Deus in adjutórium. Or

Ant. 1. f. QUi confitébitur m coram homínibus confitébor & ego eum cor Patre meo qui in cælis est. *Matth.* 10.

Ant. 5. 2. Si granum fr

...ni cadens in terram, mór-
...m fúerit, multum fructum
...rt. *Joan.* 12.

Ant. 3. g. Qui odit ánimam
...m in hoc mundo, in vitam
...rnam custódit eam. *Joan.*
...

Ant. 4. A. Qui vícerit, ero
... Deus, & ille erit mihi fi-
...s. *Apoc.* 21.

Ant. 5. c. Vincénti dabo
...re de ligno vitæ, quod est
...paradíso Dei mei. *Apoc.* 2.

Capitulum. *Apoc.* 3. 5.

QUi vícerit, vestiétur vestiméntis albis, & non ...ebo nomen ejus de libro ...tæ, & confitébor nomen ...us coram Patre meo, & co... Angelis ejus.

Hymnus. *Santol.* V.

JAm non te lácerant carní-
ficum manus,
Inter qui récubas cælítuum
choros:
Nunc pro cárcere cæco,
Fulgéntes hábitas domos.
...ec jam vincla manus, nec
cóhibent pedes,
...u liber súperûm regna per-
ámbulas;
Quot plagis laniátus,
Cælo tot rádiis nites.
...ec te dira fames, nec sitis
ámpliùs,
...ec probrósa premit te modò
núditas:
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus & índuit.
...c tu Martyribus dexter ades
Deus,
Ut quos mors périmit, glória
víndicet;
Confundísque tyránnum,
Dum, quos déprimit, élevas.
Semper máxima laus, *&c. ut in hymno ad Vigilias.*

℣. Adjútor meus tibi psallam, ℟. Quia Deus suscéptor meus es. *Ps.* 58.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. a. Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3. 21.

Oratio pro Martyre.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur; Per Dóminum.

Oratio pro Confessóre.

DEus qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua festivitáte lætíficas, concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus; Per Dóminum.

Alia Oratio pro Confessóre.

DEus qui beátum N. Confessórem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti; ex ejus imitatióne tríbue pro amóre tuo próspera mundi despícere, & nulla ejus advérsa formidáre; Per Dóminum.

Pro Pontifice Martyre Oratio.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus; & quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat; Per.

Alia Oratio pro Pontif. Mart.

OMnípotens sempitérne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis; da nobis beáti N. festivitátem cóngruis honóribus & sédulâ imitatióne celebráre, qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit; & quod prædicávit ore, confirmávit exémplo; Per Dóminum.

Pro Pontifice Confessore Oratio.

DEus cujus grátia beátum N. in Sacerdótem elégit, doctrína ad prædicándum erúdiit, poténtia ad perseverándum confirmávit; da nobis ex ejus imitatióne pópulum Christiánum & instrúere vivéndi exémplo, & cùm opus fúerit, confirmáre patiéndo; Per Dóminum.

De Pontif. Confessore alia Orat.

DEus qui nos beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis ánnuâ festivitáte lætíficas, concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus; Per Dóminum.

Si facienda sit Commemoratio alterius Martyris, dicitur Ant. Ecce Deus &c. ℣. In Deo sperávi. *ut in I. Vesp. quod servatur in omni alio Communi.*

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus Matutinis, quartâ omissâ. Et sic in ceteris Communibus, nisi aliter notetur.

AD PRIMAM,

Ant. 1. f. Qui confitébitur

Cetera ut in Psalterio; & pariter in aliis Communibus.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Ipse erit tecum. *suprà in I. Vesp.*

Capitulum. Jerem. 17.

BEnedíctus vir qui confídit in Dómino, & erit Dóminus fidúcia ejus; & erit quasi lignum quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas, & non timébit cùm vénerit æstus.

℟. br. Si consístant advérsùm me castra, * Non timébit cor meum. ℟. Si consístant. ℣. Si exsúrgat advérsùm me prælium, * Non. Glória. ℟. Si consístant. *Ps.* 26.

℣. Præcinxísti me Dómine virtúte ad bellum, ℟. Et supplantásti insurgéntes in me subtus me. *Ps.* 17.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Usque in tempus. *suprà in I. Vesp.*

Capitulum. Apoc. 3. 10.

QUóniam servásti verbum patiéntiæ meæ, &

ego servábo te ab hora tentatiónis quæ ventúra est in orbem univérsum tentáre habitántes in terra.

℟. br. Dóminus protéctor vitæ meæ: * A quo trepidábo? ℟. Dóminus. ℣. Dóminus illuminátio mea & salus mea. * A quo. Glória. ℟. Dóminus. Ps. 26.

℣. Deo subjécta esto ánima mea: ℟. Quóniam ab ipso patiéntia mea. Ps. 61.

AD NONAM.

Ant. 3. c. Vincénti dabo.

Capitulum. *Apoc.* 2. 26.

QUi vícerit, & custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, sicut & ego accépi à Patre meo.

℟. br. Justus * Ut palma florébit: ℟. Justus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur; * Ut. Glória. ℟. Justus. Ps. 91.

℣. Fructum dabit in témpore suo; ℟. Et fólium ejus non défluet. Ps. 1.

AD VESPERAS.

Ant. 6. F. VIncula & tribulatiónes nihil véreor, dúmmodo consúmmem cursum meum. *Act.* 20.

Ant. 1. g. Ego non solùm alligári, sed & mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu. *Act.* 21.

Ant. 1. D. Gaúdeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea. *Coloss.* 1.

Ant. 5. a. Glorificátus sum in óculis Dómini, & Deus meus factus est fortitúdo mea. *Is.* 49.

Ant. 4. e. Pátior, sed non confúndor: scio enim cúi crédidi, & certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. 2. *Tim.* 1.

Capitulum, Beátus vir. *ut in I. Vesp. Hymn.* Ex quo salus. *Ibid.*

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. Ps. 20.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Si quis vult me sequi, déneget semetípsum, & tollat crucem suam: qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam suam propter me & Evangélium, salvam fáciet eam. *Marc.* 8.

Si sint Commemorationes, faciendæ sunt ut in I. Vesperis; & sic in omnibus Communibus.

COMMUNE
PLURIUM MARTYRUM,
VEL CONFESSORUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ant. 2. INjícient vobis manus suas, & persequéntur, trahéntes ad Reges & Præsides, propter nomen meum. *Luc.* 21.

Ant. 1. a. Tradémini à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis, & morte afficient ex vobis. *Ibid.*

Ant. 8. c. Eritis ódio ómnibus propter nomen meum; & capíllus de cápite vestro non períbit. *Ibid.*

Ant. 7. f. Vasa figuli probat fornax, & hómines justos tentátio tribulatiónis. *Ec.* 27.

Ant. 4. A. Uram eos sicut úritur argéntum; & probábo eos sicut probátur aurum. *Zach.* 13.

Capitulum. *Jac.* 1.

Omne gáudium existimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis; sciéntes quod probátio fidei vestræ patiéntiam operátur; patiéntia autem opus perféctum habet.

Hymnus.

Sanctórum méritis ínclyta gáudia,
Pangámus sócii, géstaque fórtia:
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.
Hi sunt quos rétinens mundus inhórruit:
Ipsum nam stérili flore perá-ridum
Sprevére pénitus; téque secúti sunt,
Jesu Rex bone cælitum.
Hi pro te fúrias atque ferócia
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera:
His cessit lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.
Cædúntur gládiis more bidéntium;
Non murmur résonat, non querimónia:
Sed corde tácito mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.
Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martyribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine, láureis
Ditántur bene fúlgidis.
Te trina Déitas únaque póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas;
Des pacem fámulis; nos quoque glóriam
Demus tibi per sécula.
Amen.

℣. Custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos. *Ps.* 96.

Ad Magnificat, *Ant.* 8. G. Nolíte timére oppróbrium hóminum: sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis. *Is.* 51.

Oratio infrà ad Laudes Matutinas, nisi sit propria.

AD VIGILIAS.

Invitatorium, Dóminum

qui præbet fortitúdinem his qui corde perfécto credunt in eum, * Veníte adorémus. 2. *Paral.* 16.

Psalmus, Veníte. *p.* I.

Hymnus. *Santol. V.*

Fortes cadéndo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine
Cæléstis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

Acti procéllis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehúntur, & Christo duce
Portus beátos óccupant.

Sævit tyránnus, állicit:
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minántem dum timent,
Dum munerántem díligunt.

Quem lictor insánus sitit,
Quem cæcus effúndit furor,
Amor sacérdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.

Et ille, mixtus sánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus plácabilem
Oráre non cessat Deum.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus;
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 3. a. Confortámini & viríliter ágite in lege, quia in ipsa glorióši éritis. 1. *Mach.* 2.

Ant. 8. G. Dóminus Deus vester pro vobis ipse pugnábit: hoc diligentíssimè præcavéte, ut diligátis Dóminum. *Jos.* 23.

Ant. 1. D. Paráti sumus mori magis, quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7.

℣. Deus noster refúgium & virtus; ℟. Adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis. *Ps.* 45.

Lectiones de Scriptura occurrente cum suis Responsoriis.

IN II. NOCT.

Ant. 1. f. Non audiémus verba Regis, nec sacrificábimus transgrediéntes legis nostræ mandata. 1. *Machab.* 2.

Ant. 3. c. Dóminus Deus adspíciet veritátem, & consolábitur in nobis. 2. *Mach.* 7.

Ant. 2. Rex mundi defúnctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit. *Ibid.*

℣. Dóminus virtútum nobíscum, ℟. Suscéptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris ad Mártyres & Confessóres.

Lectio iv. Epist. 10. *nov. Edit.*

Exúlto lætus & grátulor, fortíssimi ac beatíssimi fratres, cógnitâ fide ac virtúte vestrâ, in quibus mater Ecclésia gloriátur... Crevit pugna, crevit & pugnántium glória. Nec retardáti estis ab ácie, tormentórum metu; sed ipsis torméntis magis estis ad áciem provocáti, fortes & stábiles ad máximi cer-

táminis prælium promptâ devotióne redíistis. Ex quibus quosdam jam cómperi coronátos, quosdam verò ad corónam victóriæ próximos, univérsos autem quos ágmine glorióso carcer inclúsit, pari ac símili calóre virtútis ad geréndum certámen animátos; sicut esse opórtet in divínis castris mílites Christi: ut incorrúptam fídei firmitátem non blandítiæ decípiant, non minæ térreant, non cruciátus ac torménta devíncant; quia major est qui in nobis est, quàm qui est in hoc mundo. Nec plus ad dejiciéndum potest terréna pœna, quàm ad erigéndum tutéla divína.

℟. iv. Occídent vos propter nomen meum: & tunc scandalizabúntur multi. * Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. ℣. Væ his qui perdidérunt sustinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas. * Qui autem. *Matth.* 24. *Eccli.* 2.

Lectio v.

QUibus ego vos láudibus prædicem, fortíssimi fratres? Robur péctoris vestri & perseverántiam fídei quo præcónio vocis exórnem? Tolerástis, usque ad consummatiónem glóriæ, duríssimam quæstiónem: nec cessístis supplíciis, sed vobis pótius supplícia cessérunt. Finem dolórum, quem torménta non dabant, corónæ dedérunt. Laniéna grávior ad hoc diu perseverávit, non ut stantem fidem dejíceret, sed ut hómines Dei ad Dóminum velócius mítteret. Vidit admírans præséntium multitúdo cæléste certámen, certámen Dei, spirituále certámen, prælium Christi: stetísse servos ejus voce líberâ, mente incorrúptâ, virtúte divínâ, telis quidem sæculáribus nudos, sed armis fídei ardéntis armátos.

℟. v. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem & justítias Dei ut eámus álterâ viâ. * Absit à nobis hoc scelus ut recedámus à Dómino. ℣. Omnis qui recédit, & non pérmanet in doctrína Christi, Deum non habet. * Absit. 1. *Mach.* 2. *Jos.* 22. 2. *Joan.* 9.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Correptióne & Grátia.

Lectio vj. *Cap.* 35.

MAjor libértas est necessária advérsus tot & tantas tentatiónes quæ in paradíso non fuérunt, dono perseverántiæ muníta atque firmáta, ut cum ómnibus amóribus, terróribus, erróribus suis vincátur hic mundus: hoc sanctórum Martyria docuérunt. Dénique Adam & terrénte nullo, & ínsuper contra

dei terréntis impérium líbero suæ arbítrio, non stetit in tanta felicitáte, in tanta non peccándi facilitáte: isti autem, non dico terrénte mundo, sed sæviénte ne starent, stetérunt in fide; cùm vidéret ille bona præséntia quæ fúerat relictúrus, isti futúra quæ acceptúri fúerant non vidérent. Unde hoc, nisi donánte illo, à quo misericórdiam consecúti sunt ut fidéles essent, à quo accepérunt spíritum, non timóris quo persequéntibus céderent, sed virtútis & caritátis & continéntiæ, quo cuncta minántia, cuncta invitántia, cuncta cruciántia superárent.

℟. vj. Tradidérunt córpora sua, * Ne servírent & ne adorárent omnem deum, excépto Deo suo. ℣. Constántes effécti sunt, & pro légibus mori paráti, * Ne. Glória. * Ne. *Dan.* 3. 2. *Mach.* 8.

IN III. NOCT.

Ant. 4. e. Pótius est ab homínibus morti datos spem exspectáre, à Deo íterum ab ipso resuscitándos. 2. *Mach.* 7

Ant. 2. Módico nunc doló re sustentáto, sub testaménto ætérnæ vitæ effécti sunt. *Ibid.*

Ant. 1. g. Æstimáta est afflíctio, éxitus illórum; & quod à nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. *Sap.* 3.

℣. Multæ tribulatiónes justórum, ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Ps.* 33

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Beati, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti estis cùm maledíxerint vobis, & persecúti vos fúerint, & díxerint omne malum advérsùm vos, mentiéntes propter me. Gaudéte, & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. Et réliqua.

Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 1. *Offic. c.* 15. *&* 16.

DOminus futúram, non præséntem; in cælo, non in terra mercédem promísit esse reddéndam. Quid álibi poscis, quod álibi debétur? Quid præprópere corónam éxigis ántequàm vincas? Quid detérgere púlverem? Quid requiéscere cupis? Quid epulári gestis, ántequàm stádium solvátur? Adhuc pópulus spectat, adhuc athlétæ in scámmate sunt, & tu jam ótium petis? Sed fortè dicas: Cur ímpii læ tántur? Cur luxuriántur? Cur étiam ipsi non mecum labórant? Quóniam qui non subscrípserint ad corónam, non tenéntur ad labórem certáminis: qui in stádium non des-

céciderint, non se perfúndunt óleo, non óblinunt púlvere. Quos manet glória, exspéctat injúria. Unguentáti spectáre solent, non decertáre: non solem, æstus, púlverem, imbrésque pérpeti. Dicant ergo & ipsis athlétæ: Veníte nobíscum, laboráte. Sed respondébunt spectatóres: Nos hîc ínterim de vobis judicámus: vos autem sine nobis corónæ, si vicéritis, glóriam vindicábitis.

℟. vij. Cùm vos óderint hómines, & exprobráverint & ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis, * Gaudéte, & exultáte, quóniam merces vestra multa est in cælo. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi; * Gaudéte. *Luc. 6. Ps. 31.*

Lectio viij.

Ex Homília Sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 335. in natali Martyrum.

NOverant Mártyres quod nos cantávimus: Lætámini in Dómino & exultáte justi. Si justi in Dómino lætántur, injústi non novérunt lætári nisi in século. Sed ipsa est prima ácies debellánda: primo vincéndæ sunt delectatiónes, & pósteà dolóres. Quómodo potest superáre mundum sæviéntem, qui non potest superáre blandiéntem? Blandítur hic mundus, pollicéndo honóres, divítias, voluptátes: minátur hic mundus, intentándo dolóres, egestátes, humilitátes. Qui non contémnit quod pollicétur, quómodo superáre pótest quod minátur? Habent delectatiónem suam divítiæ: quis nésciat? Sed plus habet delectatiónis justítia. Delectáre divítiis cum justítia: ubi autem talis artículus tentatiónis incíderit, ut duo hæc véniant in tentatiónem divítiæ & justítia, & non possis habére utrúmque; sed si míseris manum ad divítias, necésse est ut amíttas justítiam, si míseris manum ad justítiam, péreant divítiæ. Modò élige, modò pugna; modò videámus si non sine causa cantásti: Lætámini in Dómino, & exultáte justi: modò videámus si non sine causa audísti, Quis nos separábit à caritáte Christi: Et quidem prætermísit ómnia, quibus blandítur mundus; & te vóluit commemoráre cúi blandítur mundus. Quare? Quia certámina Mártyrum prænuntiábat, illa útique certámina, ubi vicérunt persecutiónem, famem, sitim, egestátem, ignomíniam, ad extrémum timórem mortis, & hostem sævíssimum.

℟. viij. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam

stitiam, * Quóniam ipsórum est regnum cælórum. ℣. Judícium dedit Deus sanctis, & tempus advénit, & regnum obtinuérunt sancti; * Quóniam. *Matth.* 5. *Dan.* 7.

Lectio ix.

Optimè étiam dicunt sancti Mártyres in Psalmo: Júdica me Deus, & discérne causam meam de gente non sancta. Discérne (inquit) tribulatiónem meam: tribulántur & avári. Discérne angústias meas: patiúntur angústias & avári. Discérne persecutiónes meas; patiúntur & avári. Discérne famem meam: pro auro acquiréndo esúriunt & avári. Discérne nuditátem meam: pro auro despoliántur & avári. Discérne mortem meam: pro auro moriúntur & avári. Quid est discérne causam meam? Propter te mortificámur totâ die. Illi propter aurum, nos propter te. Símilis pœna, sed discréta causa. Ubi discréta est causa, ibi certa est victória. Si ergo causam intuémur, solemnitátes Mártyrum amámus. Amémus in eis non passiónes, sed causas passiónum. Nam si amavérimus passiónes tantùm, multos inventúri sumus qui pejóra patiúntur in causis malis. Sed causam attendámus, crucem Christi atténdite: ibi erat Christus, ibi erant & latrónes. Símilis pœna, sed dissímilis causa. Elígite ergo Mártyrum causas, si vultis perveníre ad Mártyrum palmas.

℟. *ix.* Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, * In tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. ℣. Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen, * In. Glória. * In tribulatiónibus. 2. *Cor.* 6. *Hebr.* 12.

Te Deum.

Ad Laudes Matutinas.

℣. *sac.* Benedíctus Deus, ℟. Qui dedit fortitúdinem plebi suæ. *Ps.* 67.

℣. Deus in adjutórium.

Ant. 2. Magnum certámen sustinuístis passiónum, oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum facti. *Hebr.* 10.

Ant. 7. c. In mortem trádimur propter Jesum, ut vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 6. F. Persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur; dejícimur, sed non perímus. *Ibid.*

Ant. 3. à * Omnem tribulatiónem passi sumus: sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus. 2. *Cor.* 7.

Ant. 2. Qui sponté obtulístis ánimas vestras ad perí-

culum, benedícite Dómino. *Judic.* 5.

Capitulum. 1. *Cor.* 4. 12.

MAledícimur, & benedícimus: persecutiónem pátimur, & sustinémus: blasphemámur, & obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus.

Hymnus. *Santol. V.*

QUam, Christe, signásti viam
Primus profúso sánguine;
Per hanc tui te fórtiter
Ducem sequúntur mílites.

Fossus manus, fossus pedes,
Ovans ad astra tránsvolas;
Et membra trunci Mártyres
Addunt triúmpho se tuo.

Omnes in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt,
Accépta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

Audíre si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat;
Audi tuos, qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

Fac, si tyránnus déficit,
Ne blandiéndo móllius
Frangat volúptas péctora,
Ipsis tyránnis sævior.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die; ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis. *Ps.* 43.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. a. Laudábit te, Dómine, pópulus fortis, cívitas géntium robustárum timébit te. *Isai.* 25.

Oratio.

DEus qui in córdibus Mártyrum tuórum N. & N. flammas tantæ dilectiónis accendísti, ut mundi nec blandítiis, nec terróribus vinceréntur, da nobis eúmdē tuæ caritátis affectum, ut te unum possidére cupiéntes, te unum amíttere metuéntes, ómnia mundi próspera & advérsa æquáliter despiciámus; Per.

Alia.

MArtyrum tuórum N. & N. & sociórum solémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut in tua caritáte radicáti & fundáti, passiónes hujus témporis, amóre illíus glóriæ quæ revelánda est in nobis, invícto ac libénti ánimo sustinére valeámus; Per.

Si sint Pontifices Mart. Oratio.

BEatórum Mártyrum paritérque Pontíficum N. & N. (& sociórum Mártyrum) nos quæsumus Dómine, festa tueántur; & eórum comméndet orátio veneránda; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 2. Magnum certámen.

AD TERTIAM.

Ant. 7. c. In mortem trádimur.

Capitulum. 1. *Petr.* 5.

DEus omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet, confirmábit, solidabítque: ipsi glória & impérium.

℟. *br.* Probásti nos Deus, * Et eduxísti nos in refrigérium. ℟. Probásti. ℣. Posuísti tribulatiónes in dorso nostro, * Et. Glória. ℟. Probasti. *Ps.* 65.

℣. Non derelínquet Dóminus sanctos suos. ℟. In ætérnum conservabúntur. *Ps.* 36.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Persecutiónem pátimur.

Capitulum. 1. *Petr.* 3.

QUis est qui vobis nóceat si boni æmulatóres fuéritis? sed & si quid patímini propter justítiam, beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini.

℟. *br.* Viríliter ágite, * Confortétur cor vestrum, ℟. Viríliter. ℣. Omnes qui sperátis in Dómino, * Confortétur. Glória ℟. Viríliter. *Ps.* 30.

℣. In nómine tuo, Dómine, ℟. Spernémus insurgéntes in nobis. *Ps.* 43.

AD NONAM.

Ant. 2. Qui sponte obtulistis.

Capitulum. *Hebr.* 10.

NOlíte amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem: patiéntia enim vobis necessária est; ut voluntátem Dei faciéntes reportétis promissiónem.

℟. Æstimáti sumus * Sicut oves occisiónis. ℟. Æstimáti ℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die, * Sicut. Glória. ℟. Æstimáti. *Ps.* 43.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne, ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

AD VESPERAS.

Ant. 1. D. IN paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se. *Sap.* 3. 5.

Ant. 7. c. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Ibid.*

Ant. 5. a. Exultábitis lætítiâ innarrábili & glorificátâ: reportántes finem fídei vestræ salútem animárum. 1. *Petr.* 1.

Ant. 1. g. Sicut abúndant passiónes Christi; ita & per Christum abúndat consolátio nostra. 2. *Cor.* 1.

Ant. 8. G. Per multas tribulatiónes opórtet nos intráre in regnum Dei. *Act.* 14.

Capitulum. 1. *Petr.* 4. 14.

SI exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit.

Hymnus, Sanctórum méritis. *ut in I. Vesperis.*

℣. Salvásti nos de affligéntibus nos; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps.* 43.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Quis nos separábit à caritáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius? *Rom.* 8.

Oratio in Laudibus Matut.

COMMUNE UNIUS PONTIFICIS.

AD I. VESPERAS.

Ant. 3. g. SUscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet. 1. *Reg.* 2.

Ant. 3. a. Elégi eum ex ómnibus mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incénsum. *Ibid.*

Ant. 7. G. Pones tiáram in cápite ejus, & óleum unctiónis fundétur super caput ejus; & sanctificábo eum, ut Sacerdótio fungátur mihi. *Exod.* 29.

Ant. 5. a. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit ipsi pactum Sacerdótii sempitérnum, quia zelátus est pro Deo suo. *Num.* 25.

Ant. 1. g. Speculatórem dedi te dómui Israël; áudies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. *Ezech.* 3.

Capitulum. *Hebr.* 5. 4.

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo tamquam Aaron: sic & Christus non semetípsum clarificávit ut Póntifex fieret; sed qui locútus est ad eum, Fílius meus es tu, ego hódie génui te: quemádmodum & in alio loco dicit, Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedec.

Hymnus.

CHriste decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi, qui fidéles
Quos legis, formas pópulis regéndis
Ipse minístros.
Hunc juvat festo celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis abúndans,
Flens & invítus, duce te, treméndum
Sumpsit honórem.
Nóverat quantis páteat perículis

Ille, qui summos ápices adéptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
Fécerat fervens amor inquiétum;
Quò gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus; mora non eúntem
Ulla retárdat.
Dux iter, vitâ præeúnte, monstrat;
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam bene oléente Christi
Implet odóre.
Lux erat cæco, cólumen labánti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis Pater, omnibúsque
Omnia factus.
Christe Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut ætérnæ súbeant opíma
Páscua vitæ.
Amen.

℣. Elégit servum suum, ℟. Páscere Israël hereditátem suam.

Ad Magníficat, *Ant.* 4. E. Suscitábo super oves meas Pastórem unum qui pascat eas: ego autem Dóminus ero eis in Deum, & servus meus princeps in médio eórum. *Ezech.* 34.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Si eodem die facienda sit Commemoratio unius S. Pontificis dicitur Ant. In bonitáte *cum* ℣. Impinguásti, *ut infrà ad Benedictus, & Oratione, Ibid.*

AD VIGILIAS.

Invit. Christum Pastórum Príncipem * Veníte adorémus. 1. *Petr.* 5.

Psalmus, Veníte. *p.* 1.

Hymnus, Christe. *ut suprà in I. Vesperis.*

IN I. NOCT.

Ant. 1. a. Vide ministérium quod accepísti in Dómino, ut illud ímpleas. *Coloss.* 4.

Ant. 2. Exémplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. 1. *Tim.* 4.

Ant. 3. *a.* Esto vígilans, & confírma cétera quæ moritúra erant. *Apoc.* 3.

℣. Exaltávi eléctum de plebe mea, ℟. Oleo sancto meo unxi eum. *Ps.* 88.

Tres Lectiones de Script. occurr. cum suis ℟.

IN II. NOCT.

Ant. 1. Non quæro quæ vestra sunt, sed vos: libentíssimè autem impéndam, & superimpéndar ipse pro animábus vestris. 2. *Cor.* 12.

Ant. 7. a. Nihil subtráxi utílium, quóminus annuntiárem, & docérem públicè & per domos. *Act.* 20.

Ant. 4. e. Mundus sum à sánguine ómnium; non enim subterfúgi quóminus annuntiárem omne consílium Dei vobis. *Act.* 20.

℣. Non abscóndi misericórdiam tuam & veritátem tuam ℟. A concílio multo. *Ps.* 39.

Ex S. Joánnis Chrysóstomi libro tértio de Sacerdótio.

Lectio iv.

SObrium modestúmque Epíscopum esse opórtet; eumdémque perspicácem, atque innúmeros quoquovérsus óculos circumférre: quippe qui non sibi uni tantùm, sed & tanto vivat pópulo. Ei enim qui in tot pópulos scissus est, curas sollicitudinésque suas in súbditos suos síngulos pártiens, non vídeo quid idónei adjuménti afflictiónes córporis ad illórum proféctum conférre queant, nisi idem acrem fortissimúmque ánimum nactus sit. Neque sanè mirum esse debet, si unà cum tanta toleràntia, ália quadam fortitúdine Epíscopi ánimum spectátum esse volo. Nam cibum, potum, stratum item molle contémnere, multis ne labóri quidem id esse vidémus, iis præsértim qui naturâ agrestióres per ætátis vigórem ita sunt educáti: ac multis item áliis, áliàs córporis habitúdine, áliàs ipsâ étiam assuetúdine labórum illórum asperitátem molliénte & mitigánte. At contuméliam, vim, incómmodum, moléstum áliquod verbum, tum verò scómmata ab inferióribus nonnúnquam léviter atque impræmeditátè, nonnúnquam étiam reddéndo jure contórta, prætéreà & querélas témerè ac nullâ causâ tum à princípibus, tum à súbditis natas, non multórum est ferre posse, sed unius tantùm & altérius.

℟. *iv.* Accéde ad altáre, ímmola pro peccáto tuo: offer holocaústum, & deprecáre pro te & pro pópulo, * Sicut præcépit Dóminus. ℣. Debet Póntifex, quemádmodum pro pópulo, ita étiam pro semetípso offérre pro peccátis, * Sicut. *Levit.* 9. *Hebr.* 5.

Ex libro S. Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei.

Lectio v. Lib. 19. *Cap.* 19.

EX tribus vitæ genéribus, otióso, actuóso, & ex utróque compósito, quamvis salvâ fide quisque possit in quólibet eórum vitam dúcere, & ad sempitérna præmia perveníre; ínterest tamen quid amóre téneat veritátis, quid offício caritátis impéndat. Nec sic quisque debet esse

otiósus, ut in eódem ótio utilitátem non cógitet próximi; nec sic actuósus, ut contemplatiónem non requírat Dei. In ótio non iners vacuátio delectáre debet; sed aut inquisítio, aut invéntio veritátis: ut in ea quisque profíciat, & quod invénerit téneat, & álteri non invídeat. In actióne verò non amandus est honor in hac vita sive poténtia; quóniam ómnia vana sub sole: sed opus ipsum, quod per eúmdem honórem vel poténtiam fit, si rectè atque utíliter fit, id est, ut váleat ad eam salútem subditórum quæ secúndùm Deum est; ut intélligat non se esse Epíscopum, qui præésse diléxerit, non prodésse. Itaque à stúdio cognoscéndæ veritátis nemo prohibétur, quod ad laudábile pértinet ótium: locus verò supérior, sine quo regi pópulus non potest, etsi ita teneátur atque administrétur ut decet, tamen indecénter appétitur. Quamóbrem ótium sanctum quærit cáritas veritátis: negótium justum súscipit necéssitas caritátis. Quam sárcinam si nullus impónit, percipiéndæ atque intuéndæ vacándum est veritáti: si autem impónitur, suscipiénda est propter caritátis necessitátem: sed nec sic omni modo veritátis delectátio deseréndá est, ne subtrahátur illa suávitas, & ópprimat ista necéssitas.

℟. *v.* Rectórem te posuérunt, noli extólli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illórum habe, & sic confíde. ℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus, & ómnium miníster; * Esto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

Ex Libro Pastorális sancti Gregórii Papæ.

Lectio vj. *Part.* 1. *Cap.* 10.

ILle ígitur modis ómnibus debet ad exémplum vivéndi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens jam spirituáliter vivit, qui próspera mundi postpónit, qui nulla advérsa pertiméscit, qui sola intérna desíderat. Cujus intentióni bene cóngruens, nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valdè per contumáciam repúgnat spíritus. Qui ad áliena cupiénda non dúcitur, sed própria largítur. Qui per pietátis víscera cítiùs ad ignoscéndum fléctitur, sed nunquam plus quàm déceat ignóscens, ab arce rectitúdinis inclinátur. Qui nulla illícita pérpetrat, sed perpetráta ab áliis ut própria deplórat. Qui ex afféctu cordis aliénæ infirmitáti compátitur, sicque in bonis próximi sicut in suis proféctibus lætátur. Qui ita se imitábilem céteris in cun-

ctis quæ agit insinuat, ut inter eos non hábeat quod saltem de transáctis erubéscat. Qui sic stúdet vívere, ut proximórum quoque corda aréntia doctrínæ váleat fluéntis irrigáre. Qui oratiónis usu & experiménto jam dídicit, quòd obtinére à Dómino quæ popóscerit possit, cúi prophéticâ voce jam quasi speciáliter dícitur: Adhuc loquénte te dicam, Ecce adsum. Si enim fortásse quis véniat, ut pro se ad intercedéndum nos apud poténtem quémpiam virum, qui sibi irátus, nobis verò est incógnitus, ducat, prótinus respondémus: Ad intercedéndum veníre non póssumus, quia familiaritátis ejus notítiam non hábemus. Si ergo homo apud hóminem, de quo mínimè præsúmit, fíeri intercéssor erubéscit: quâ mente apud Deum intercessiónis lócum pro pópulo árripit, qui familiárem se ejus grátiæ esse per vitæ méritum nescit? Aut ab eo quómodo áliis véniam póstulat, qui utrùm sibi sit plácatus ignórat?

℟. *vj.* Lábia Sacerdótis custódiunt sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus: * Quia Angelus Dómini exercítuum est. ℣. Prædicat regnum Dei, & docet quæ sunt de Dómino Jesu Christo. * Quia. Glória. * Quia. *Malach.* 2. *Act.* 28.

In III. Noct.

Ant. 1. D. Sacérdos magnus in vita sua suffúlsit domum, & in diébus suis corroborávit templum. *Eccli* 50.

Ant. 8. G. Curávit gentem suam, & liberávit eam à perditióne. *Ibid.*

Ant. 4. f. Ipsum elégit Dóminus ab omni vivénte offérre sacrifícium Deo, in memóriam placáre pro pópulo suo. *Eccli.* 45.

℣. Constitútus sum ab eo super Sion montem sanctum ejus. ℟. Prædicans præcéptum ejus *Ps.* 2.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Quis, putas, est fidélis servus, & prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem cùm vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem: amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Homília S. Hilárii Epíscopi. *Comment. in Matth. can.* 27.

QUanquam in commúne nos ad indeféssam vigilántiæ curam adhortétur Dóminus; speciálem tamen pópuli princípibus, id est Epíscopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem

andat. Hunc enim servum ſélem atque prudéntem, æpóſitum famíliæ ſigníſi-ıt, cómmoda atque utilitá-s commíſſi ſibi pópuli cu-ıntem. Qui ſi dicto aúdiens, præcéptis obédiens erit; id ſt ſi doctrínæ oportunitáte veritáte infírma confírmet, iſrúpta conſólidet, deprá-áta convértat, & verbum vi-æ in æternitátis cibum alén-æ famíliæ diſpéndat, atque æc agens, hiſque ímmorans leprehendátur: glóriam à Dó-mino, tamquam diſpenſátor idélis, & víllicus útilis, con-equétur, & ſuper ómnia bo-na conſtituétur, id eſt in Dei glória collocábitur; quia ni-ıil ſit ultra quod mélius ſit.

℟. *vij.* Quis eſt fidélis diſ-penſátor & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſupra fa-míliam ſuam, ut det illis in témpore trítici menſúram? * Beátus ille ſervus quem, cùm vénerit Dóminus, invé-nerit ita faciéntem. ℣. Sic nos exíſtimet homo ut miníſtros Chriſti, & diſpenſatóres my-ſteriórum Dei; hîc jam quæ-ritur inter diſpenſatóres, ut fidélis quis inveniátur: * Beá-tus. *Luc.* 12. 1. *Cor.* 4.

Homília S. Bernárdi Abbátis.

Lectio viij. De Offic. & Morib. Epiſc. c. 3.

Fidélis Póntifex, qui bona quælíbet per manus ſuas tranſeúntia ſive divína bene-ficia ad hómines, ſive hómi-num vota ad Deum columbí-no íntuens óculo, nihil ſibi reténtat ex ómnibus. Nec pó-puli requírit datum, ſed lu-crum; nec Dei glóriam uſúr-pat ſibi. Accéptum taléntum non ligat in ſudário, ſed par-títur nummuláriis, à quibus & uſúras récipit, non ſibi, ſed Dómino. Non habet fó-veam ut vulpes, non tamquam vólucres nidum, non lóculos quómodo Judas; non déni-que, ſicut nec María, locum in diverſório. Imitátur profe-ctò illum qui non habébat ubi reclináret caput, factus in præſentiárum tamquàm vas pérditum: quandóque procul dúbio futúrum vas in honó-rem, & non in contuméliam. Déniqua perdit ánimam ſuam in hoc mundo, ut in vitam ætérnam cuſtódiat eam. Hoc tanto puritátis íntimæ bono gloriári non poteſt veráciter, niſi qui extrínſecas gloríolas perfectè reſpúerit. Nec enim purè valet Dei vel próximi quærere lucra, qui própria non contémpſerit.

℟. *viij.* Super muros tuos, Jerúſalem, conſtítui cuſtódes; totâ die & totâ nocte in per-pétuum non tacébunt: qui reminiſcímini Dómini, * Ne taceátis, & ne detis ſiléntium ei. ℣. Vos Sacerdótes Dómi-

ni vocabímini; Miníſtri Dei, dicétur vobis: * Ne. *Iſ.* 62. & 61.

Lectio ix. *n.* 10.

IN ómnibus vidélicet actis vel dictis ſuis nihil ſuum quærat Epíſcopus, ſed tantùm Dei honórem, aut ſalútem proximórum, aut utrúmque. Hoc enim agens implébit non ſolùm Pontíficis officium, ſed & etymológiam nóminis, pontem útique ſeipſum fáciens inter Deum & próximum. Pertíngit pons iſte uſque ad Deum eâ fidúciâ, quâ non ſuam, ſed illíus glóriam quærit. Pertíngit uſque ad próximum illâ pietáte, quâ & ipſi, non ſibi prodéſſe desíderat. Offert Deo bonus mediátor preces & vota populórum; repórtans illis à Deo benedictiónem & grátiam. Súpplicat majeſtáti pro excéſſibus delinquéntium, víndicat in peccántes injúriam Dei. Ingrátis impróperat benefícia pietátis, contemnéntibus poténtiæ ſeveritátem insínuat; utríſque tamen nihilóminus placáre ſtudet indignántis furórem: nunc quidem hóminum obténdens infirmitátem, nunc divínæ magnitúdinem pietátis. Dénique ſive excédat Deo, ſive ſóbrius ſit nobis, aut Deo ſemper, quantum in ipſo eſt præſtáre geſtit, aut nobis non quod ſibi omníno útile eſt quærens, ſed quod multis.

℟. *ix.* Córporis Chriſti, quod eſt Eccléſia, factus ſum ego miníſter ſecúndùm diſpenſatiónem Dei, quæ data eſt mihi in vos,* Ut impleam verbum Dei. ℣. Grátias ago ei, qui me confortávit Chriſto Jeſu, quia fidélem me exiſtimávit, ponens in miniſtério, * Ut. Glória. * Ut impleam. *Coloſſ.* 1. 1. *Tim.* 1.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *ſacerd.* Sacerdótes tui induántur juſtítiam, ℟. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131.

Deus in adjutórium &c.

Ant. 2. ZElándo zelum Dei, accépit teſtaméntum ſacerdótii ætérni. 1. *Machab.* 2.

Ant. 1. g. Factum eſt illi in teſtaméntum ætérnum fungi ſacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum ſuum in nómine ejus. *Eccli.* 45.

Ant. 4. E. Dedit illi in præcéptis ſuis poteſtátem, in teſtaméntis judiciórum, docére Jacob teſtimónia, & in lege ſua lucem dare Iſraël. *Ib.*

Ant. 7. d. Státuit illi teſtaméntum pacis *, príncipem ſanctórum & gentis ſuæ, ut ſit illi ſacerdótii dígnitas in ætérnum. *Ibid.*

Ant. 4. A. Lex veritátis fuit in ore ejus, & multos avértit ab iniquitáte. *Malac.* 2

Capitulum. *Hebr.* 5. 1.

OMnis Pòntifex ex homínibus assúmptus, pro omínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut óffert dona & sacrifícia pro peccátis.

Hymnus.

JEsu Sacerdótum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adésto súpplicum.
Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.
Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victúmque præbet: aúdiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.
Quam sentit errántem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet invéntam suo
Portans ovíli réddere.
Arcet freméntes béstias,
Lupi retúndit ímpetus,
Dolósque fallit, vel mori
Paro parátus pro grege,
Offert frequéntem víctimam
Cum plebe Pastor ínnocens;
Secúmque devótum gregem
Pius Sacérdos ímmolat.
Deo Patri, *&c.*

℣. Impinguásti in óleo caput meum, ℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 22.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. In bonitáte & alacritáte ánimæ suæ plácuit Deo: in lege Dómini congregatiónem judicávit, & cógnitus est in verbis suis fidélis. *Eccli.* 45. & 46.

Oratio.

EXáudi quæsumus Dómine preces nostras, quas in beáti N. Pontíficis festivitáte deférimus: & qui tibi dignè méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis; Per Dóminum.

Alia.

QUæsumus Dómine cleméntiam tuam, ut in hac die quam tránsitu sacro beáti Pontíficis N. consecrásti, des nobis illam sequi doctrínam, quam ille & verbo dócuit, & ópere complévit; Per.

Alia.

OMnipotens Deus qui beátum N. Antístitem pópulo tuo præesse; & quibus præerat, verbo & exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, & totâ virtúte perfíciant; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 2. Zelándo.

AD TERTIAM.

Ant. 1. g. Factum est illi.

Capitulum. *Tit.* 2.

IN ómnibus teipsum præbe exémplum bonórum ope-

rum, in doctrina, in integritáte, in gravitáte; verbum sanum, irreprehensíbile; ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. br. Circuívi, & immolávi * In tabernáculo ejus ℟. Circuívi. ℣. Hóstiam vociferatiónis.* In tab. Glória. ℟. Circuívi.

℣. Lavábo inter innocéntes manus meas, ℟. Et circúmdabo altáre tuum, Dómine. *Ps.* 26. & 25.

AD SEXTAM.

Ant. 4. E. Dedit illi.

Capitulum. 1. *Tim.* 6.

O Homo Dei, sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem.

℟. br. Pavit eos * In innocéntia cordis sui, ℟. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos * In innocéntia. Glória, ℟. Pavit.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam, ℟. Et sancti tui exúltent. *Ps.* 77. & 131.

AD NONAM.

Ant. 4. A. Lex veritátis.

Capitulum. 2. *Tim.* 2.

SOllícitè cura teípsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractantem verbum veritátis; profána autem & vanilóquia devíta, multùm enim profíciunt ad impietátem.

℟. br. Annuntiávi justítiam tuam * In ecclésia magna; ℟. Annuntiávi. ℣. Veritátem tuam & salutáre tuum dixi * In. Glória, ℟. Annuntiávi. ℣. Véritas mea, & misericórdia mea cum ipso; ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Ps.* 30. & 88.

AD VESPERAS.

Ant. 1. a. QUi intrat per óstiũ, Pastor est óvium. *Joan.* 10.

Ant. 2. Huic ostiárius áperit, & oves vocem ejus aúdiunt. *Ibid.*

Ant. 3. a. Próprias oves vocat nominátim, & ante eas vadit. *Ibid.*

Ant. 4. D. Oves illum sequúntur, quia sciunt vocem ejus. *Ibid.*

Ant. 5. a. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Ibid.*

Capitulum. *Act.* 20. 28.

ATténdite vobis & univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo

Hymnus, Christe decréto. *ut suprà in* I. *Vesperis.*

℣. Coróna aúrea super mitram ejus, ℟. Expréssa signo sanctitátis & glóriâ honóris. *Eccli.* 45.

Ad Magnificat, *Ant.* 1. D. Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuísti fidélis,

super multa te constítuam. *Matth.* 25.

Oratio ut suprà in Laudibus Matut. Et sic in ceteris Communibus.

COMMUNE SS. DOCTORUM.

Ad I. Vesperas.

Ant. 1. g. Vena vitæ, os justi; argéntum eléctum, lingua ejus. *Pro.* 10

Ant. 5. a. In corde prudéntis requiéscit sapiéntia, & indóctos quosque erúdiet. *Prov.* 14.

Ant. 1. D Sciéntia sapiéntis tamquam inundátio abundábit, & consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

Ant. 7. a. Os prudéntis quæritur in Ecclésia, & verba illíus cogitábunt in córdibus suis. *Ibid.*

Ant. 8. G. Sápiens in pópulo hereditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37.

Capitulum 1. *Cor.* 12.

Unicuíque datur manifestátio Spíritûs ad utilitátem: álii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ; álii autem sermo sciéntiæ secúndùm eúmdem Spíritum.

Hymnus. *Santol. V.*

O Qui perpétuus nos mónitor doces
Vox ætérna Patris, Christe vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene súppetis!
Hi semper vígilant, ne quid adúlterum
Corrúmpat fidei virgíneum decus:
Lædi vel léviter non pátitur fides
His custódibus íntegra.
Infámes ábolent relliquias deûm;
Errores ábigunt, crímina dédocent;
Christo restítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.
Patrum canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides:
Quæ sunt prisca, docent; quæ nova, súbruunt:
Servant depósitum Dei.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda dóces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. In médio Ecclésiæ Dóminus apéruit os ejus, ℟. Et adimplévit illum Spíritu sapiéntiæ & intelléctûs. *Eccli.* 15.

Ad Magníficat, Ant. 2. Omnis Scriba doctus in regno cælórum, símilis est hó-

mini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova & vétera. *Matth.* 13.

Oratio, ut infrà in Laud. Matut.

AD VIGILIAS.

Invit. Deum, qui pósuit in Ecclésia Doctóres, * Veníte adorémus. 1. *Cor.* 12.

Psal. Veníte. *p.* 1.

Hymnus, *Santol. V.*

JAm nunc quæ númeras tot tibi víndices,
Effer sídereum Relígio caput:
Quot sunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot partæ tibi laúreæ.
Cùm per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore mártyres:
Cùm per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi súscitas.
Quando sparsa lues úndique críminum,
Hi gliscens vítium prótinus ámputant:
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.
Firmant instábiles, & dúbios regunt;
Monstrant tuta procul líttora naúfragis,
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
Quæ dixére tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus ímprimas;
Et quos nunc cólimus, nunc séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. a. Clara est, & quæ nunquam marcéscit sapiéntia, & fácilè vidétur ab his qui díligunt eam, & invenítur ab his qui quærunt illam. *Sap.* 6.

Ant. 3. b. Præóccupat qui se concupíscunt, ut illis se prior osténdat. *Ibid.*

Ant. 1. *D.* Concupiscéntia sapiéntiæ dedúcit ad regnum perpétuum. *Ibid.*

℣. Dilígite sapiéntiam, ℟. Ut in perpétuum regnétis. *Ibid.*

Primæ Lectiones de Scriptura occurrente cum suis ℟.

IN II. NOCT.

Ant. 1. f. Super salútem & spéciem diléxi sapiéntiam, & propósui pro luce habére illam. *Sap.* 7.

Ant. 1. g. Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéstas per manus illius. *Ibid.*

Ant. 8. *G.* Sapiéntiam sine

ctióne dídici, & sine invídia ommúnico, & honestátem líus non abscóndo. *Ibid.*

℣. Os justi meditábitur saiéntiam; ℟. Et lingua ejus oquétur judícium. *Ps. 36.*

x libro S. Augustíni Epíscopi contra Juliánum.

ectio iv. Lib. 2. c. 10. n. 37.

ISti sunt docti, graves, sancti, veritátis acérrimi defensóres advérsus gárruas vanitátes; in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuísti, ion potes inveníre quod sperias. Si Episcopális Synodus ex toto orbe congregarétur, nirum si tales possint illic fácilè tot sedére, quia nec isti uno témpore fuérunt. Sed fidéles, & multis excellentióres, paucos dispensatóres suos Deus per divérsas ætátes témporum, locorúmque distántias, sicut ei placet atque expedíre júdicat, ipse dispénsat. Hos ítaque de áliis atque áliis tempóribus atque regiónibus ab Oriénte & Occidénte congregátos vides, non in locum quò navigáre cogúntur hómines, sed in librum qui navigáre possit ad hómines.

℟. *iv.* Ne despícias narratiónem presbyterórum sapiéntium: * Ab ipsis disces sapiéntiam, & doctrínam intelléctûs. ℣. Sapiéntiæ illórum ex corde conjúngere, ut omnem narratiónem Dei possis audíre; ipsi enim didicérunt à pátribus suis: * Ab ipsis. *Eccli. 8. & 6.*

Lectio v.

TAlibus post Apóstolos sancta Ecclésia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, Pastóribus, nutritóribus crevit. Ideo profánas voces vestræ novitátis expávit; & cauta ac sobria ex admonitióne Apostólica, ne sicut serpens Evam sedúxit astútiâ suâ, sic & mens ejus corrumperétur à castitáte quæ est in Christo, Cathólicæ fidei virginitáti insídias vestri dógmatis surrepéntis exhórruit, & tamquam caput cólubri calcávit, obtrívit, abjécit. His ígitur elóquiis, & tantâ autoritáte Sanctórum, proféctò aut sanáberis Dei misericórdiâ donánte, quod quantum tibi optem videt qui fáciat: aut si (quod abóminor in eádem quæ tibi vidétur sapiéntia, & est magna stultítia, perduráveris;) non tu júdices quæsitúrus es, ubi causam tuam purges; sed ubi tot sanctos doctóres egrégios atque memorábiles cathólicæ veritátis accúses, insuper & univérsam Christi Ecclésiam, cui divínæ famíliæ Domínica cibária fidéliter ministrántes, ingénti in Dómino glóriâ claruérunt.

℟. v. Lex veritátis fuit in ore ejus: in pace & æquitáte ambulávit mecum;* Et multos avértit ab iniquitáte. ℣. Sollícitè curávit seipsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractántem verbum veritátis; * Et multos. *Malach.* 2. 2. *Tim.* 2.

Lectio vj.

Lib. de Dono Persever. C. 19 & 20

ISti tales tantíque Doctóres, dicéntes non esse áliquid, de quo tamquam de nostro, quod nobis Deus non déderit gloriémur; nec ipsum cor nostrum & cogitatiónes nostras in potestáte nostra esse; & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accípere confiténtes, ut permansúri convertámur ad eum; ut id quod bonum est, nobis quoque videátur bonum, & velímus illud, ut honorémus Deum, & recipiámus Christum, ut ex indevótis efficiámur devóti & religiósi, ut in ipsam Trinitátem credámus & confiteámur étiam voce quod crédimus: hæc útique grátiæ Dei tribuunt, Dei múnera agnóscunt, ab ipso nobis, non à nobis esse testántur... Quamóbrem si & Apóstoli, & Doctóres Ecclésiæ qui eis succcessérunt, eósque imitáti sunt, utrúmque faciébant, id est, & Dei grátiam, quæ non secúndum mérita nostra datur, verácìter prædicábant, & piam obediéntiam præcéptis salúbribus instruébant: quid est quod invíctâ conclúsi violéntiâ veritátis rectè se isti nostri dícere exístimant: Et si verum est quod dícitur de prædestinatióne beneficiórum Dei, non est tamen pópulis prædicándum. Prædicándum est prorsus, ut qui habet aures audiéndi aúdiat. Quis autem habet, si non accépit ab illo qui ait: Dabo eis cor cognoscéndi me, & aures audiéntes: Certè qui non accépit, rejíciat: dum tamen qui capit, sumat & bibat, bibat & vivat. Sicut enim prædicánda est piétas, ut abeo qui habet aures audiéndi, Deus rectè colátur; prædicánda est cáritas, ut ab eo qui habet aures audiéndi, Deus & próximus diligátur: ita prædicánda est & ista prædestinátio beneficiórum Dei, ut qui habet aures audiéndi, non in se ipso, sed in Dómino gloriétur.

℟. vj. Apérui os meum, & locútus sum: * Comparáte vobis sine argénto, & suscípiat ánima vestra disciplínam. ℣. Os nostrum patet ad vos, cor nostrum dilatátum est: tamquam fíliis dico, * Comparáte. Glória. * Comparáte. *Eccli.* 51. 2. *Cor.* 6.

IN III. NOCT.

Ant. 7. a. Cùm esset sapién-

firmus, dócuit pópulum, ætsívit verba utília, & conípsit sermónes rectíssimos veritáte plenos. *Eccle.* 12.

Ant. 8. G. Invénti sunt sermónes tui, comédi eos; & ctum est mihi verbum tuum gaúdium, & in lætítiam ordis mei. *Jer.* 15.

Ant. 5. c. Qui fécerit & docierit, hic magnus vocábitur ı regno cælórum. *Matth.* 5.

℣. Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! ℟. Super mel ori meo. *Ps.* 118.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ; quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, & ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant opera vestra bona, & gloríficent patrem vestrum, qui in cælis est. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi

Serm. 1. *in monte c.* 8.

SI vos per quos condiéndi sunt quodámmodo pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cælórum; qui erunt hómines per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus, per quos errórem aúferat ceterórum? Ergo ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foras, & calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus qui pátitur persecutiónem, sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior: sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cælo est. Vos estis lumen mundi. Quómodo dixit supériùs sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque supériùs ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus, sed hómines qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis & exstinguéndis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit.

℟. *vij.* Atténde tibi & doctrínæ: insta in illis. * Hoc enim fáciens, & teípsum salvum fácies & eos qui te aúdiunt. ℣. Esto firmus in via Dómini, & in veritáte sensûs tui & sciéntia. * Hoc. 1. *Tim.* 4. *Eccli.* 5.

Lectio viij.

QUid putámus dictum esse, Sub módio, ut occul-

tátio tantùm lucérnæ accipiénda sit, tamquam si díceret, Nemo accéndit lucérnam, & occúltat illam? an áliquid étiam módius signíficat, ut hoc sit pónere lucérnam sub módio, superióra fácere córporis cómmoda, quàm prædicatiónem veritátis; ut ídeo quisque veritátem non prædicet, dum timet ne áliquid in rebus corporálibus & temporálibus moléstiæ patiátur? Et bene módius dícitur sive propter retributiónem mensúræ, quia ea quisque récipit quæ gessit in córpore, ut illic (inquit Apóstolus) récipiat unusquísque quæ gessit in córpore. Et tamquam de hoc módio córporis álio loco dícitur, In qua enim mensúra mensi fuéritis, in ea remetiétur vobis: sive quóniam temporália bona, quæ in córpore peragúntur, certâ diérum mensúrâ & inchoántur & tránseunt, quam fortásse signíficat módius; ætérna verò & spiritália nullo tali fine coërcéntur. Non enim ad mensúram dat Deus Spíritum. Sub módio ergo lucérnam ponit, quisquis lucem bonæ doctrínæ cómmodis temporálibus obscúrat & tegit. Sed super candelábrum ponit. Super candelábrum autem, qui corpus suum ministério Dei súbjicit, ut supérior sit prædicátio veritátis, & inférior sérvitus córporis: per ipsam tamen córporis servitútem excélsior lúceat doctrína quæ per officia corporália, id est per vocem & linguam & céteros córporis motus in bonis opéribus insinuátur discéntibus.

℟. viij. Vos estis lux mundi: * Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & gloríficent Patrem vestrum qui in cælis est. ℣. Non accéndunt lucérnam; & ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt: * Sic. *Matth. 5.*

Lectio ix.

SI de mandátis cùm loquerétur, dixit mínimum vocári in regno cælórum quisquis unum eórum sólverit, & secúndùm suam solutiónem docúerit; magnum autem vocári quisquis ea fécerit, & sic docúerit, & ex eo jam in regno cælórum futúrum esse, quia magnus est: quid opus est addi præcéptis Legis mínimis, si jam in regno cælórum potest esse, quia magnus est quisquis ea fécerit, & sic docúerit? Quaprópter sic est accipiénda illa senténtia, Qui autem fécerit & docúerit sic; magnus vocábitur in regno cælórum, id est non secúndùm illa mínima, sed secúndum ea quæ ego dictúrus sum. Quæ

autem ista? Ut abúndet
tia (inquit) vestra super
bárum & Pharisæórum:
nisi abundáverit, non
ibitis in regnum cæló-
. Ergo qui sólverit illa
ima, & sic docúerit, mí-
us vocábitur: qui autem
rit illa mínima, & sic do-
it, non jam magnus ha-
dus est & idóneus regno
rum; sed tam mínimus
m ille qui solvit. Ut au-
sit magnus atque illi re-
aptus, fácere debet & do-
, sicut Christus nunc do-
, id est, ut abúndet justí-
ejus super Scribárum &
risæórum.

. ix. Ne retíneas verbum
émpore salútis: non ab-
ndas sapiéntiam tuam in
óre suo: * In lingua enim
iéntia dignóscitur; & sen-
, & sciéntia, & doctrína
verbo sensáti, & firma-
atum in opéribus justítiæ.
Lóquere quæ decent sanam
trínam; in ómnibus teíp-
præbe exémplum bonó-
óperum: * In lingua.
ria. * In lingua. *Eccli.* 4.
2.

D Laudes Matutinas.

. *Sacerd.* Beátus homo
m tu erudíeris Dómine,
Et de lege tua docúeris
n *Ps.* 93.

Deus in adjutórium, *&c.*

Ant. 1. g. Vir perítus multos erudívit, & ánimæ suæ suávis est: fructus sensûs illíus fidéles sunt. *Eccli.* 37.

Ant. 2. Doctrína viri per patiéntiam nóscitur; & glória ejus est, iníqua prætérgredi. *Prov.* 19.

Ant. 3. à. * Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum, qui lassus est, verbo. *Isaï.* 50.

Ant. 7. d. Manè Dóminus érigit mihi aurem, ut aúdiam quasi magístrum: danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam. *Isaï.* 50. *Eccli.* 51.

Ant. 5. a. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam, & in ipsa laudábo eum. *Eccli.* 51.

Capitulum. *Sap.* 7.

Optávi, & datus est mihi sensus: & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

Hymnus. *Santol.* *V.*

Vos succénsa Deo spléndida lúmina;
Vos sal, quo méliùs nos sápimus Deum,
Ævum casto ánimo, móribus íntegris,
Quo condímur in álterum.
Per vos Relígio, tútaque véritas,
Per vos virgíneis fulget honóribus;

Per vos Christus amat pándere divites
Thesaúros sapiéntiæ.
Vestris unda fluit pura canálibus;
Christi floret ager; munda nitet seges:
Lac aptum púeris, & sólidas viris
Cauti sufficitis dapes.
Hi sunt, summe Deus, qui tibi mílitant,
Hi sunt qui stábiles ædíficant domos:
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónstruit álterâ.
Vicístis stygias vos quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tela supérstites;
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu
His armis quoque víncimus.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. A. Filii Sion exultáte & lætámini in Dómino Deo vestro: quia dedit vobis doctórem justítiæ, & descéndere [...] ciet ad vos imbrem ma[...] num & serótinum, *sicut* [...] princípio. *Joël.* 2.

Oratio.

OMnípotens ætérne D[...] qui Ecclésiæ tuæ fili[...] cut non cessas erudíre, ita [...] désinis adjuváre: da fidél[...] tuis intercessióne beáti [...] quem eis ætérnæ salútis [...] nístrum tribuísti, ut te m[...] ránte & sciéntiam recta [...] ciéndi, & possibilitátem [...] piant exequéndi; Per

Alia.

DEus qui pópulo tuo [...] térnæ salútis beátum [...] minístrum tribuísti; præsta [...] quem Doctórem vitæ habú[...] mus in terris, intercessóre[...] habére mereámur in cælis[...] Per.

AD PRIMAM,

Ant. 1. *g.* Vir períus.

AD TERTIAM.

Ant. 2. *to.* Doctrina [...]

Capitulum. *Sap.* 7.

MIhi dedit Deus dic[...] ex senténtia, & præ[...] mere digna horum quæ [...] dantur; quóniam ipse dux [...] & sapiéntium emendát[...] in manu enim illíus & [...] & sermónes nostri.

℟. *br.* Deus docuísti me [...] A juventúte mea. ℟. Deus. [...] Et usque nunc pronunti[...] mirabília tua, * A juvent[...] Glória. ℟. Deus. *Ps.* 70.

℣. Da mihi intelléctum Dó-
e, ℟. Et scrutábor legem
m. Ps. 118.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a.* Dóminus.

pitulum. 1. Tim. 6. 20.

Epósitum custódi, de-
vitans profánas vocum
átes, & oppositiónes fal-
óminis sciéntiæ; quam
dam promitténtes, circa
n excidérunt.

℟. br. Narravérunt iní-
* Fabulatiónes. ℟. Nar-
érunt. ℣. Sed non ut lex
* Fabulatiónes. Glória.
Narravérunt.

℣. Pérmane in iis quæ
ita sunt tibi: ℟. Sciens à
didíceris. Ps. 118. & 2.
. 3.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Dedit mihi Dó-
nus.

apitulum. 2. Tim. 2.

Confortáre in grátia quæ
est in Christo Jesu, &
audísti à me per multos
es, hæc comménda fidéli-
homínibus qui idónei e-
t & álios docére.

℟. br. Annuntiávi justítiam
n * In ecclésia magna; ℟.
unntiávi. ℣. Veritátem
n & salutáre tuum dixi *
Glória. ℟. Annuntiávi.
39.

℣. Narrábo nomen tuum
tibus meis, ℟. In médio
lésiæ laudábo te. Ps. 21.

AD VESPERAS

Antiphonæ ut in I. Vesperis.

Capitulum 1. Thess. 4.

FRatres Rogámus vos, & obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis à nobis, quómodo opórteat vos ambuláre & placére Deo, sic & ambulétis ut abundétis magis.

Hymn. O qui perpétuus, *ut in I. Vesp.*

℣. Non abscóndi misericórdiam tuam & veritátem tuam ℟. A concílio multo. Ps. 39.

Ad Magníficat, *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti; & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12.

COMMUNE SS. PRESBYTERORUM, & aliorum Clericorum.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ant. 7. c. DIxit Dóminus ad Móysen: Côngrega mihi septuagínta viros de sénibus Israël, quos tu nosti quòd senes pópuli sint ac magístri. *Numer.* 11.

Ant. 4. A. Duces eos ad óstium tabernáculi fœderis, faciésque ibi stare tecum. *Ibid.*

Ant. 8. c. Descéndam, & loquar tibi: & áuferam de spíritu tuo, tradámque eis, ut susténtent tecum onus pópuli, & non tu solus gravéris. *Ibid.*

Ant. 3. c. Venit Móyses, & narrávit pópulo verba Dómini, cóngregans septuagínta viros de sénibus Israël, quos stare fecit circa tabernáculum *Ibid.*

Ant. 8. G. Descéndit Dóminus per nubem, & locútus est ad eum, aúferens de spíritu qui erat in Móyse, & dans septuagínta viris. *Ibid.*

Capitulum. Genes. 35. 2.

MUndámini, ac mutáte vestiménta vestra: súrgite, & ascendámus in Bethel, ut faciámus ibi altáre Deo.

Hymnus.

CÆléstes húmeri quod métuant onus,
Hoc vos terret onus, íntima cónscios
Terret debílitas: tuta siléntia,
Tutum plus juvat ótium.
Nati vos áliis statis inútiles?
Non has ille premi nocte finet faces,
Quas accéndit amor, quas super árdua
Vult splendéscere cúlmina.
Ecquid vos fúgitis, cùm Deus ádvocat?
Vires ille dabit munéribus pares,
Et portábit onus ipse quod áddidit;
Justo nil grave sub Deo.
Ungens ipse sacro chrísmate Spíritus,
Jam fecit púgiles, & médios sui
Et gentis médios constítuit Deus
Terras inter & æthera.
Sordes emáculant sórdibus íntegri.
Sunt iídem médici, sunt quoque júdices.
Nunc ungit píetas, nunc píetas secat,
Uno péctore múltiplex.
Tales Christe tuis semper ovílibus
Ponas ipse duces, dux quibus ipse sis,
Illústret pénitus quos tua Véritas,
Incéndat tua Cáritas.
Amen.

℣. Custódiant vasa tabernáculi, ℟. Serviéntes in ministério ejus. *Num.* 3.

Ad Magnificat, *Ant.* 4. e. Qui bene præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeántur, máximè qui labórant in verbo & doctrína. 1. *Tim.* 5.

Oratio, in Proprio Sanctorum, vel infrà in Laud. Mat.

AD VIGILIAS.

Invit. Dóminum idóneos faciéntem minístros novi Testaménti * Veníte adorémus. 2. *Cor.* 3.

Psalmus, Veníte, *p.* 1.

Hymnus.

TUâ beándos glóriâ
Miris Deus probas modis;
Qui, dum lates, præséntior
Votis amántum pásceris.

Procul remóti, súpplices
ndunt manus; & pátrium
vota, per suspíria,
um salútant éxules.
e sola mors cùm det frui,
necant labóribus,
necant jejúniis;
quà licet, vellent mori.
Quàm morte promptâ fér-
vidi
ere palmam Mártyres,
doctus in dies mori,
go repórtat fúnere.
Ætérne tu Verbi Pater,
érne Fíli, par Patri,
par utríque Spíritus,
bi, Deus, sit glória.
Amen.

In I. Noct.

Ant. 7. d. Tuli Levítas
cunctis primogénitis fi-
rum Israël. *Num.* 8.

Ant. 1. a. Státues Levítas
onspéctu Aaron & filió-
a ejus, & consecrábis o-
tos Dómino. *Ibid.*

Ant. 8. G. Separábis eos
médio filiórum Israël, ut
mei. *Ibid.*

℣. Elevávit eos Aaron in
spéctu Dómini, ℟. Et o-
it pro eis. *Ibid.*

*ectiones de Scriptura oc-
ente cum suis* ℟.

In II. Noct.

Ant. 7. à. Sciétis quia mi-
vos mandátum istud,
sset pactum meum cum
i, dicit Dóminus exercí-
n. *Malach.* 2.

Ant. 5. a. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timórem, & tímuit me, & à fácie nóminis mei pavébat. *Ibid.*

Ant. 4. A. Lex veritátis fuit in ore ejus, & iníquitas non est invénta in lábiis ejus. *Ibid.*

℣. Véritas mea, & misericórdia mea cum ipso, ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Ps.* 88.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio iv. Lib. 3. *de Sacerd. c.* 4.

Sacerdótium ipsum in terra quidem perágitur, sed in rerum cæléstium classem ordinémque referéndum est. Atque id perquàm méritò: quippe non mortális quisquam, non Angelus, non Archángelus, non ália quævis creáta poténtia, sed ipse Paraclétus órdinem hujúsmodi dispósuit: qui mortálibus homínibus etiámnum in carne manéntibus autor fuit, ut Angelórum ministérium ánimo concíperent. Idcírco necésse est Sacerdótem sic esse purum, ut si in ipsis cælis collocátus inter cæléstes illas virtútes médius staret. Terribília namque atque horrífica fuisse ferunt, quæ grátiæ tempus præcessérunt: quod genus fuére tintinnábula, mala púnica, lápides péctori Sacerdótis, itém-

que álii superhumeráli ejúsdem superpósiti, mitra, cídaris, vestis ad pedes usque demíssa, lámina aúrea, sancta sanctórum, ingens intus quies atque siléntium.

℟. iv. Trádidi eos dono Aaron & fíliis ejus de médio pópuli, ut sérviant mihi pro Israël in tabernáculo fœderis, & orent pro eis. * Ne sit in pópulo plaga, si ausi fúerint accédere ad Sanctuárium. ℣. Sacerdótes & Levítæ qui custodiérunt ceremónias Sanctuárii mei, cùm erráren filii Israël à me, ipsi accédent ad me ut minístrent mihi & pópulum meum docébunt, * Ne. *Num.* 8. *Ezech.* 44.

Lectio v.

AT verò si quis ea quæ grátiæ tempus nobis advéxit, exáminet, terribília atque horrífica quæ dixi, judicábit esse ádmodum lévia, ac quod de lege à Paulo dictum est, hic demum verum esse compériet: quandóquidem ne glorificátum quidem fuit, quod glorificátum est in hac parte, propter eminéntem glóriam. Nam dum cónspicis Dóminum immolátum, & illic situm, Sacerdótem sacrificio incumbéntem, ac preces fundéntem, tum verò turbam circumfúsam pretióso illo sánguine intíngi ac rubefieri, etiámne te inter mortáles versari atque in terra consístere censes? An non pótiùs è vestígio in cælos tranférris? an non carnis cogitatiónem omnem abjíciens, nudo ánimo, mente purâ circúmspicis quæ in cælo sunt? O miráculum, ô Dei benignitátem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso témporis artículo ómnium mánibus pertractátur, ac se ipse tradit voléntibus ipsum excípere ac compléctì.

℟. v. Mundámini qui fertis vasa Dómini, ac mutáte vestiménta vestra: * Súrgite, & ascendámus ut faciámus altare Deo. ℣. Expoliántes vos véterem hóminem cum áctibus suis, & induéntes novum, * Súrgite. *Is.* 52. *Genes.* 35. *Coloss.* 3.

Lectio vj.

SI quis consíderet quantum id sit mystérium, ut is scílicet qui homo ipse sit carne ac sánguine etiámnum constans, iisque involútus, beatæ atque immortáli natúræ illi fieri própior queat: tum probè intélliget quanto Sacerdótes honóre, quantâ dignitáte Spíritûs sancti grátia dignáta fúerit: opéribus enim illis, tum sacra hæc quæ dico initiántur, perficiuntúrque: tum étiam ália his níhilo inferióra, quæ ipsa ad dignitátem salutísque nostræ ratiónem spectant. Etenim qui terram incolunt

ncolunt atque in ea versántur, iis commíssum est, ut quæ in cælis sunt dispénsent: iis datum est ut potestátem hábeant, quam Deus óptimus neque Angelis neque Archángelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est, Quæcúmque alligavéritis in terra, erunt alligáta & in cælo; & quæcúmque solvéritis in terra, erunt solúta & in cælo. Habent quidem & terréstres Príncipes vínculi potestátem, verùm córporum solùm. Id autem quod dico Sacerdótum vínculum, ipsam étiam ánimam contingit, atque ad cælos usque pervádit: usque ádeo ut quæcúmque inférnè Sacerdótes confécerint, illa eadem supérnè Deus rata hábeat, ac servórum senténtiam Dóminus confírmet.

℟. vj. Succíncti lumbos mentis vestræ, sóbrii perfécte speráte in eam, quæ vobis offértur, Dómini grátiam, quasi filii obediéntiæ: secúndum eum, qui vocávit vos sanctum, * Et ipsi in omni conversatióne sancti sitis. ℣. Scriptum est: Sancti éritis, quia ego sanctus sum; * Et. Glória. * Et. 1. *Petr.* 1.

In III. Noct.

Ant. 4. e. In pace & in æquitáte ambulávit mecum, & multos avértit ab iniquitáte *Malach.* 2.

Ant. 6. F. Lábia Sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus: quia Angelus Dómini exercítuum est. *Ibid.*

Ant. 1. g. Ipse est diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis. *Eccli.* 49.

℣. Gubernávit ad Dóminum cor ipsius, ℟. Et in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Ibid.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 20.

In illo témpore, Cùm seró esset die illo, unâ sabbatórum, & fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti propter metum Judæórum: venit Jesus, & stetit in médio, & dixit eis: Pax vobis. Et cùm hoc dixísset, osténdit eis manus & latus. Gavísi sunt ergo discípuli viso Dómino. Dixit ergo eis íterùm: Pax vobis; Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixísset insufflávit; & dixit eis: Accípite Spíritum sanctum; quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis: & quorum retinuéritis, reténta sunt. Et réliqua.

Homília Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lib. 3. de Sacerdotio. c. 5.

QUænam óbsecro potéstas hâc unâ major esse queat? Pater omne judícium Fílio dedit: céterùm vídeo ipsum omne judícium à Deo Fílio illis tráditum. Nam quasi jam in cælum transláti, ac supra humánam natúram pósiti, atque nostris ab affé-ctibus exémpti, sic illi ad principátum istum perdúcti sunt. Quid multa? Rex áliquis si cúi ex súbditis suis honórem hunc detúlerit, ut potestátem hábeat quoscúmque velit in cárcerem conjiciéndi, eosdémque rursùs laxándi, beátus ille & admirándus judício ómnium fúerit. At verò qui à Deo tantò majórem accépit potestátem, quantò cælum terrâ pretiósius est, quanto étiam ánimæ corpóribus præstant, hic vilem eò usque dignitátem accepísse nonnúllis vidéri debet, ut vel in illórum cogitatiónẽ descéndere queat, reperíri quandóque posse unum áliquem ex eórum número, quibus tanta illa quæ paulò antè dixi, fúerint à Deo concrédita, cúi ipsi munus suum sordéscat, quique donum sibi à Deo datum despíciat. Procul, procul hinc facéssat hujúsmodi insánia.

℟. *vij.* Quantò magnus es, humília te in ómnibus, & coram Deo invénies grátiam: * Quia omnis, qui se exáltat, humiliábitur; & qui se humíliat, exaltábitur. ℣. Humiliámini sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis; * Quia. *Eccli. 3. Luc. 14. 1. Petr. 5.*

Lectio viij. *n. 6.*

COrporis lepram purgáre, seu vériùs dicam, haud purgáre quidem, sed purgátos probáre, Judæórum sacerdótibus solis licébat: neque nescis quanta cum ambitióne, quanto cum stúdio ac concertatióne sacerdotális dignitas id témporis acquireré-tur. At verò nostris Sacerdótibus non córporis lepram, verùm ánimæ sordes, non dico purgátas probáre, sed purgáre prorsùs concéssum est. Quare judício quidem meo qui istos despíciunt contemnúntque, multò sceleratióres ac majóri supplício digni fúerint, quàm fúerit Dathan unà cum suis ómnibus. Illi enim tamétsi principátum ad se non spectántem sibi vendicábant, tamen miram quamdam de eo principátu opiniónem ánimo concéperant: id quod declarávit ingens rei concupítæ stúdium.... Equidem ex iis quæ à me dicta sunt, auditórum mentes tantâ puto religióne occupátas, ut non jam eos qui fúgiunt, sed eos qui per se accédunt, honorémque

ſtum ultrò ſibi ámbiunt, contumáciæ, temeritátis, atque audáciæ accúſent.

℟. *viij.* Quis eſt fidélis diſpenſátor & prudens quem conſtítuit Dóminus ſupra famíliam ſuam, ut det illis in témpore trítici menſúram? * Beátus ille ſervus, quem, cùm vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem. ℣. Sic nos exíſtimet homo ut miníſtros Chriſti, & diſpenſatóres myſteriórum Dei: hîc jam quæritur inter diſpenſatóres, ut fidélis quis inveniátur, * Beátus. *Luc.* 12. 1. *Cor.* 4.

Ex Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

De Moribus & Offic. Prælat. n. 27.

O Infiníta ſemper ambítio & inſatiábilis avarítia! Cúrritur in clero paſſim ab omni ætáte & órdine, à doctis páriter & indóctis ad eccleſiáſticas curas, tamquam ſine curis jam quiſque victúrus ſit, cùm ad curas pervénerit. Nec mirum de his qui necdũ in ſemetípſis expérti ſunt. Vidéntes quippe illos qui jam próprios húmeros cupítæ ſárcinæ ſubmíſerint, non ſolùm non gémere tamquam ſub ónere, ſed inſuper appétere plus onerári; non deterréntur perículis, quæ cupiditáte cæcáti non vident; ſed favóribus ámpliùs, quos illis invident provocántur. Cùm primos honórum gradus meruérint in Eccléſia; meruerint autem vel vitæ mérito, vel pecúniæ, ſive étiam carnis & ſánguinis, quæ regnum Dei non poſſidébunt, prærogatívâ; non ídeo corda quiéſcunt, dúplici ſemper æſtuántia deſidério, quo útique magis ac magis & dilaténtur in plura, & ad celſióra ſubliméntur. Verbi grátiâ cum factus quis fúerit in quacúmque Eccléſia Decánus, vel Præpóſitus, Archidiáconus, vel áliquid hujúſmodi, non conténtus uno in una, plures ſibi, immo quotquot valet, conquírere honóres ſátagit, tam in una, quàm in plúribus.

℟. *ix.* Tóllite jugum meum ſuper vos, & díſcite à me quia mitis ſum & húmilis corde; & inveniétis réquiem animábus veſtris: * Jugum enim meum ſuáve eſt, & onus meum leve. ℣. Interrogáte quæ ſit via bona, & ambuláte in ea; & inveniétis refrigérium animábus veſtris: * Jugum. Glória. * Jugum: *Matth.* 11. *Jer.* 6.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Rogáte Dóminum meſſis, ℟. Ut mittat operários in meſſem ſuam. *Matth.* 9.

Ant. 8.*G.* V Ide miniſtérium quod accepíſti in Dómino; tu vígila, in óm-

nibus labóra, ministérium tuum imple. *Coloss.* 4. 2. *Tim.* 4.

Ant. 5. a. Esto vígilans: si non vigiláveris, véniam ad te tamquam fur, & néscies quâ horâ véniam ad te. *Apoc.* 3.

Ant. 8. G. Non sufficiéntes sumus ex nobis, sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui & idóneos nos fecit minístros novi Testaménti. 2. *Cor.* 3.

Ant. 8. d. Grátias ago ei, qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit ponens in ministério. 1. *Tim.* 1.

Ant. 3. c. Si quis minístrat, tamquam ex virtúte quam adminístrat Deus, ut in ómnibus honorificétur Deus per Jesum Christum. 1. *Petr.* 4.

Capitulum. *Coloss.* 1.

AMbulétis dignè Deo per ómnia placéntes; in omni ópere bono fructificántes, & crescéntes in sciéntia Dei, in omni virtúte confortáti secúndùm poténtiam claritátis Dei.

Hymnus.

QUeis ætérna poli crédita clavis est,
Claudunt & réserant, fortis & árbitri
Laxant vincla modò, quæ modò cómprimunt
Suprémi vice Núminis.
Solvant sive ligent, morbus ut ímperat,
Unus solvit amor, unus amor ligat;
Et prudens éadem vulnus inúngere
Prudens úrere cáritas.
Quæ sevére, piis flétibus ínrigant,
Attollúntque manus, ros sitiéntibus
Arvis unde fluat: súrgere tu Pater,
Tu das óptime créscere.
Numen sidéreâ sede poténtibus
Verbis elíciunt: obséquitur Deus
Tractári pátiens, cérnere cælites
Ipsi quem trepidáverint.
Miscent innócuo sánguine lácrymas,
Nec miscére suum, si velit ábnuant:
Pro se, pro pópulis, se simul ófferunt
Duplex únaque víctima.
Sacras assídui vólvere páginas;
Summus queis lóquitur Doctor, & érudit;
Discunt unde docent; quâ bene vívitur
Illis una sciéntia.
Tales Christe tuis semper ovílibus
Ponas ipse duces, Dux quibus ipse sis,
Illústret pénitus quos tua Véritas,
Incéndat tua cáritas. Amen.

℣. Domus Aaron benedícite Dómino; ℟. Domus Levi, qui timétis Dóminum, benedícite Dómino. *Ps.* 134.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. *D.* Nolíte gaudére quia Spíritus nobis subjiciúntur: gaudéte autem quòd nómina vestra scripta sunt in cælis. *Luc.* 10.

Oratio.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. festivitáte deférimus, ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus; ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur.

Alia pro sancto Sacerdote.

OMnípotens sempitérne Deus, cúi cuncta famulántur eleménta, exaúdi propítius, intercedénte pro nobis Sancto Sacerdóte tuo N. oratiónem nostram, & tribue nobis misericórdiam tuam; & quæcúmque præcipis ut agámus, ipse ádjuva ut implére possímus; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 8. *G.* Vide ministérium. *suprà in Laud.*

AD TERTIAM.

Ant. Dicébat. *in.* *II. Vesp.* *Capitulum*, Ambulétis. *ut suprà ad Laudes. Mat.*

℟. *br.* Sancti erunt Deo suo, * Et non pólluent nomen ejus. ℟. Sancti. ℣. Incénsum Dómini & panes Dei sui offerunt, * Et non. Glória. ℟. Sancti.

℣. Sint sancti, quia & ego sanctus sum, ℟. Dóminus, qui sanctífico eos. *Levit.* 21.

AD SEXTAM.

Ant. Ite. *in II. Vesp.*

Capitulum. 2. *Cor.* 6.

IN ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei.

℟. *br.* Lex Dei ejus * In corde ipsíus. ℟. Lex Dei. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. * In. Glória. ℟. Lex.

℣. Qui díligit próximum, legem implévit. ℟. Plenitúdo ergo legis est diléctio. *Ps.* 36. *Rom.* 13.

AD NONAM.

Ant. Si quis minístrat. *suprà in Laud.*

Capitulum. *Tit.* 2.

IN ómnibus teipsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte: verbum sanum, irreprehensíbile; ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis sui, ℟. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos * In innocéntia. Glória, ℟. Pavit.

℣. Sacerdótes tui induántur

justítiam, ℟. Et sancti tui exúltent. *Ps.* 77. & 131.

AD II. VESPERAS.

Ant. 2. to. DEsignávit Dóminus septuagínta duos : & misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem & locum, quò erat ipse ventúrus. *Luc.* 10.

Ant. 3. à. * Dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. *Ibid.*

Ant. 1. f. Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos. *Ibid.*

Ant. 1. *a.* Qui vos audit, me audit : & qui vos spernit, me spernit. *Ibid.*

Ant. 8. G. Revérsi sunt septuagínta duo cum gáudio, dicéntes : Dómine étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. *Ibid.*

Capitulum. 1. *Petr.* 4. 1.

UNusquísque, sicut accépit grátiam, in altérutrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multifórmis grátiæ Dei.

Hymnus, Cæléstes húmeri. *ut in I. Vesp.*

℣. Dóminus pars hereditátis meæ & cálicis mei, ℟. Tu es qui restítues hereditátem meam mihi. *Ps.* 15.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. 2. Qui bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, & multam fidúciam in fide quæ est in Christo Jesu. 1. *Tim.* 3.

COMMUNE SS. MONACHORUM, SEU COENOBITARUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ant. 1. D. REgnum cælórum vim pátitur, & violénti rápiunt illud. *Matth.* 11.

Ant. 2. Intráte per angústam portam : quia lata porta & spatiósa via est quæ ducit ad perditiónem, & multi sunt qui intrant per eam. *Matth.* 7.

Ant. 3. b. Si vis perféctus esse, váde, vende quæ habes, & da paupéribus. *Matth.* 19.

Ant. 4. A. Veni, & séquere me ; & habébis thesáurum in cælo. *Ibid.*

Ant. 5. a. Salva ánimam tuam, noli respícere post tergum, nec stes ; salvum te fac, ne péreas. *Genes.* 19.

Capitulum. *Genes.* 12. 1.

EGrédere de terra tua, & de cognatióne tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrábo tibi : faciámque te in gentem magnam, & benedícam tibi, & magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus.

Hymnus. *Santol. V.*

FElíces némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ab-

didit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.
Ut te possídeant quem sitiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cæléstia cógitant.
Ludi, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles ócyùs ádvolant:
Ut vastum mare tranent,
Prudéntes onus éxuunt.
Ætérnas ut opes, cértaque gaúdia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confísi melióribus.
Illis summa fuit glória, déspici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis summa volúptas,
Longo supplício mori.
Fac nos, summe Deus, quæ pátimur mala
In pœnam scélerum ferre libéntiùs,
Et tellúre relíctâ,
Immortália quærere.
Ætérnus sit honos ingénito Patri,
Sit par unígenæ glória Fílio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. In umbra alárum tuárum sperábo, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit. *Matth.* 19.

Oratio infrà in Laud. Matut.

AD VIGILIAS.

Invitatorium, Dóminum qui ponit suos in abscóndito faciéi suæ, * Veníte, adorémus. *Ps.* 30.

Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

Hymnus. *Santol. V.*

O Pulcras ácies, cástraque fórtia!
Quæ spes, una fides, unus amor regit;
Omnes lege sub una,
Uno sub duce mílitant.
Heu! quantis rápiunt astra labóribus!
Pulsant perpétuis quéstibus æthera;
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.
Votis unánimes, vi quoque flétuum
Instant, & sócias ingéminant preces;
Et concórdibus armis
Vim cælo simul ínferunt.
Hæc vis grata Deo; sic amat óptimus
Vinci per lácrymas, per gémitus Pater:
Sic duris referátur
Cælum conditiónibus.
Fervent quando die cuncta tu-

múltibus,
Altum turba silet; cétera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa siléntia.
Exércet vígiles contínuus labor;
Incúmbunt óperi non résides manus;
Tellus culta colónis
Victum suppéditat suis.
Quin regína sui mens quoque súbditur,
Rectorísque studet nútibus óbsequi,
Nil servat sibi juris,
Capto libérior jugo.
Ætérnus sit honos, ingénito Patri,
Sit par unígenæ glória Fílio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 3. g. Fúgite de terra Aquilónis, dicit Dóminus; ô Sion fuge, quæ hábitas apud fíliam Babylónis. *Zachar.* 2.

Ant. 4. f. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte? aut quæ socíetas luci ad ténebras? Exíte de médio eórum. 2. *Cor.* 6.

Ant. 8. G. Nescítis quia amicítia hujus mundi inimíca est Dei? Quicúmque volúerit amícus esse séculi hujus, inimícus Dei constitúitur. *Jac.* 4

℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus; ℟. Pópulus quem elégit in hereditátem sibi. *Ps.* 32.

Lectiones de Script. occurr. cum suis Responsoriis.

IN II. NOCT.

Ant. 8. G. Ne témerè quid loquáris, neque cor tuum sit velox ad proferéndum sermónem coram Deo. *Eccle.* 5.

Ant. 5. a. Si quis virórum votum Dómino vóverit, aut se constrínxerit juraménto: non fáciet írritum verbum suum, sed omne quod promísit implébit. *Num.* 30.

Ant. 4. E. Multo mélius est non vovére, quàm post votum promíssa non réddere. *Eccle.* 5.

℣. Excóxi te, sed non quasi argéntum, ℟. Elégi te in camíno paupertátis. *Is.* 48.

Ex libro Sancti Augustíni Epíscopi de Móribus Ecclésiæ Cathólicæ.

Lectio iv. *Cap.* 31.

Quis nésciat summæ continéntiæ hóminum Christianórum multitúdinem per totum orbem in dies magis magísque diffúndi, & in Oriénte máximè atque Ægypto. Nihil de iis dicam qui secretíssimi pénitùs ab omni hóminum conspéctu, pane solo, qui eis per certa interválla témporum affértur, & aquâ conténti, desertíssimas terras íncolunt, perfruéntes collóquio Dei, cui puris méntibus inhæsérunt, & ejus pulcritúdinis contemplatióne beatíssimi, quæ

nisi sanctórum intelléctu pércipi non potest... Sed si hoc excédit nostram tolerántiam, quis non illos mirétur & prædicet, qui contémptis atque desértis mundi hujus illécebris, in commúnem vitam castíssimam sanctissimámque congregáti, simul ætátem agunt, vivéntes in oratiónibus, in lectiónibus, in disputatiónibus; nullâ supérbiâ túmidi, nullâ pervicáciâ turbulénti; nullâ invídiâ lívidi: sed modésti, verecúndi, pacáti, concordíssimam vitam & intentíssimam in Deum, gratíssimum munus ipsi ófferunt, à quo ista posse meruérunt. Nemo quidquam póssidet próprium, nemo cuíquam oneróſus est.

℟. iv. Ecce congregábo eos, & habitáre eos fáciam confidénter, & dabo eis cor unum & viam unam ut tímeant me;* ut non désinam eis benefácere, & lætábor super eis. ℣. Ubi sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórum; * Et. Jer. 32. Matth. 18.

Lectio v.

Operántur mánibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impedíri non possit. Opus autem suum tradunt eis quos Decános vocant, eo quòd sint denis præpósiti; ut néminem illórum cura sui córporis tangat, neque in cibo, neque in vestiménto, neque si quid áliud opus est, vel quotidiánæ necessitáti, vel mutátæ (ut ádsolet) valetúdini. Illi autem Decáni cum magna sollicitúdine ómnia disponéntes, & præstò faciéntes quidquid illa vita propter imbecillitátem córporis póstulat; ratiónem tamen ipsi reddunt uni, quem Patrem appéllant. Hi verò Patres non solùm sanctíssimi móribus, sed étiam divínâ doctrínâ excellentíssimi, ómnibus rebus excélsi, nullâ supérbiâ cónsulunt iis quos fílios vocant, magnâ suâ in jubéndo autoritáte, magnâ illórum in obtemperándo voluntáte.

℟. v. Omnes erant páriter: * Nec quisquam eórum áliquid suum esse dicébat, sed erant illis ómnia commúnia. ℣. Afferébant prétia eórum quæ vendébant: dividebátur autem síngulis, proüt cuíque opus erat; * Nec. Act. 2. & 4.

Lectio vj.

Corpus verò reficitur, quantùm salúti & salubritáti satis est, coërcénte unoquóque concupiscéntiam, ne se profúndat vel in ea ipsa quæ præstò sunt parca & vilíssima. Ita non solùm à cárnibus & vino se ábstinent pro sufficiéntia domandárum libídinum, sed ab iis étiam quæ tantò concitátiùs ventris

& gútturis próvocant appetítum. Sanè quidquid necessário víctui redúndat (nam redúndat plúrimum ex opéribus mánuum & epulárum restrictióne) tantâ curâ egéntibus distribúitur; quantâ non ab ipsis qui distríbuunt, comparátum est. Nullo modo namque fátagunt ut hæc sibi abúndent, sed omni modo agunt, ut non remáneat apud se quod abundáverit, usque-ádeo ut onerátas étiam naves in ea loca mittant quæ ínopes íncolunt. Cáritas præcípuè custodítur; caritáti victus, caritáti sermo, caritáti hábitus, caritáti vultus aptátur.

℟. vj. Nos stulti propter Christum esurímus & sitímus, & laborámus operántes mánibus nostris: * Spectáculum facti sumus mundo, & ángelis, & homínibus. ℣. In labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte; quasi tristes, semper autem gaudéntes; tamquam nihil habéntes, & ómnia possidéntes, * Spectáculum. Glória. * Spectáculum. 1. *Cor.* 4. 2. *Cor.* 6.

IN III. NOCT.

Ant. 1. f. Perféctio tua Dómine, & doctrína tua viro sancto tuo, qui dixit patri suo & matri suæ, Néscio vos; & frátribus tuis, Ignóro vos. *Deut.* 33.

Ant. 6. F. Invéntâ unâ pretiósâ margarítâ, ábiit, & véndidit ómnia quæ hábuit, & emit eam. *Matth.* 13.

Ant. 1. a. Fide relíquit Ægyptum, majóres divítias æstimans thesáuro Ægyptiórum, impropérium Christi. *Hebr.* 11.

℣. Dómine, tu es spes mea, ℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Ps.* 141.

Léctio S. Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 9.

IN illo témpore; Dixit cuídam Jesus: Vulpes fóveas habent, & vólucres cæli nidos: Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclínet. Ait autem ad álterum: Séquere me; ille autem dixit: Dómine permítte mihi primùm ire, & sepelíre patrem meum. Dixítque ei Jesus: Sine ut mórtui sepéliant mórtuos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te Dómine, sed permítte mihi primùm renuntiáre his quæ domi sunt. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad arátrum, & respíciens retrò aptus est regno Dei. Et réliqua.

Homília S. Antónii Abbátis.

Apud Athanasium in Vita S. Anton. n. 20.

RETrò respícere, nihil áliud est quàm pœnitére, ac rursum mundá-

a sápere. Ne timéte de virtute audiéntes, neve de nómine stupeátis. Non enim procul nobis est, neque extra nos consistit: in nobis ipsis res est; & perfácilis sanè, si modò voluérimus. Græci peregrinántur, & mare trajíciunt, ut litteras edíscant; nobis verò peregrinatióne opus non est propter regnum cælórum, neque ut virtútis causâ mare trajiciámus. Jam olim quippe Dóminus dixit: Regnum Dei intra vos est... Si extra nos perquiréndares esset, difficilis sanè foret; quòd si in nobis ipsis sit, fórdidas caveámus cogitatiónes, Dominóque ánimam servémus, tamquam accéptum ab eo depósitum; ut opus ipse suum agnóscat, cùm talis ipsa fúerit, qualis ab eó cóndita est. Hoc item pugnémus, ne tyránnidem in nos óccupet ira, nec dominétur nobis concupiscéntia; scriptum est enim: Ira viri justítiam Dei non operátur; concupiscéntia autem cùm concéperit, parit peccátum; peccátum verò cùm consummátum fúerit, génerat mortem. Hac institútâ vitæ ratióne sédulò vigilémus, & (ut scriptum est) omni custódiâ servémus cor nostrum.

℟. *vij*. Lícet is qui foris est noster homo corrumpátur; tamen is qui intus est renovátur de die in diem. *Non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. ℣. Mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut & vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris, non defícimus, *Non. 2. *Cor.* 4.

Lectio viij.

SI ígitur víderint illi Christiános quóslibet, maximéque Mónachos laboráre atque profícere, primùm aggréssi tentant, & offendícula ponunt in via: quæ scílicet offendícula sunt malæ cogitatiónes. Non est autem quòd eórum suggestiónibus terreámur; nam précibus, jejúniis & fide in Dóminum statim illi labúntur. Sed lapsi mínimè quiéscunt, vafrè quippe & cállidè rursum accédunt. Ubi enim palam per obscœnas voluptátes cor decípere néqueunt, aliâ aggrediúntur viâ, vanísque speciébus pertérrére nitúntur váriis assúmptis formis mulíerum, ferárum, reptílium, prægrándium córporum, militárium turmárum. Sed neque hæ illórum phantásiæ nobis sunt pertimescéndæ: nihil enim cùm sint, súbitò evanéscunt, si máximè fide & signo crucis se quis muníerit.

℟. *viij*. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me quia mitis sum & húmilis corde, & inveniétis réquiem animábus

vestris; * Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. ℣. Interrogáte quæ sit via bona, & ambuláte in ea; & inveniétis refrigérium animábus vestris; * Jugum. *Matt.* 11. *Jerem.* 6.

Ex Homília S. Basílii Epíscopi
Lectio ix. *Reg. fus. quæst.* 8.

IS cúi propter Christum mundus totus crucifixus est, & ipse mundo, quómodo adhuc potest curárum mundanárum párticeps esse, cùm Dóminus noster Jesus Christus & ánimæ ódium, & sui ipsíus abnegatiónem ad summum perdúcat his verbis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam; tumque subjúngit, Et sequátur me. Et rursùs: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxórem, & filios, & fratres, & soróres, adhuc autem & ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Quamóbrem in eo sita est perfécta renuntiátio, si quem non ipsíus vitæ amor móveat, sed hábeat senténtiam mortis, sic ut nihil sibi confidat. Inde autem inítium sumit, si videlicèt alienémur à rebus extérnis, exémpli causâ à possessiónibus, ab ináni glória, à vitæ consuetúdine, à rerum inutílium stúdio, uti docuérunt nos sancti Dómini discípuli. Paulo totus mundus crucifixus erat, & ipse mundo. Sic qui veheménter Christum sequi desíderat, nihil quod ad hanc vitam attíneat, curáre ámpliùs potest, non ipsum paréntum aut propinquórum amórem, si Dómini adversétur præcéptis.

℟. ix. Omnes unánimes, compatiéntes, fraternitátis amatóres, misericórdes, modésti, húmiles, * Quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hereditáte possideátis. ℣. Caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, spíritu ferventes, Dómino serviéntes, oratióni instántes; * Quia. Gloria. * Quia. 1. *Petr.* 3. *Rom.* 12.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Exhibeámus córpora nostra Deo ℟. Hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem. *Rom.* 12.

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Ant. 4. *E.* Secéssit in desértum locum, ibíque demorabátur, ne párticeps esset coinquinatiónis. 2. *Machab.* 5

Ant. 2. Erat sicut vir qui abscónditur à vento, & celat se à tempestáte in terra desérta. *Is.* 32.

Ant. 4. A. Protegebátur sub tégmine sapiéntiæ, & in glória ejus requiescébat. *Eccli.* 14

Ant. 8. G. Amplificátus est in mirabílibus suis, in vita

[m]ira fecit monstra, & in morte mirabília operátus est. *Eccli.* 48.

Ant. 8. G. Circa illum coróna fratrum, quasi plantátio cedri in Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ. *Eccli* 50.

Capitulum. 1. *Cor*, 9. 25.

Omnis qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet: & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorrúptam.

Hymnus, Felíces némorum. ut in I. *Vesp.*

℣. Elégi abjectus esse in domo Dei mei, ℟. Magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. *Ps.* 83.

Ad Benedíctus, *Ant.* 1. f. Reliquísti paréntes tuos: reddat tibi Dóminus pro ópere tuo, & plenam mercédem recípias à Dómino Deo, ad quem venísti, & sub cujus alas confugísti. *Ruth.* 2.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exémplo & intercessióne beáti N. cujus festivitátem celebrámus, temporália ómnia despícere, & ad ætérna totâ mentis intentióne festináre; Per Dóminum.

Si sit Abbas, Oratio.

Deus cujus múnere beátus N. Abbas, ut Christum Fílium tuum alácriùs sequerétur, ómnia relíquit, da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis, ut nec retrò respíciant, nec in via hæreant; sed ad te sine offensióne curréntes, vitam ætérnam, ad quam vocáti sunt, apprehéndant; Per eúmdem Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 4. *E.* Secéssit. *suprà in Laud.*

AD TERTIAM.

Ant. Pars mea, Dóminus. *in II. Vesp.*

Capitulum. 1. *Joan.* 2.

Nolíte dilígere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo: quóniam omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est & concupiscéntia oculórum & supérbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.

℟. *br.* Ecce elongávi fúgiens, * Mansi in solitúdine. ℟. Ecce elongávi. ℣. Quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte, * Mansi. Glória. ℟. Ecce. ℣. Humiliábam in jejúnio ánimam meam, ℟. Et induébar cilício. *Ps.* 54. & 33.

AD SEXTAM.

Ant. Bonum est præstolári. *in II. Vesp.*

Capitulum. *Coloss.* 3.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter in

omni sapiéntia; docéntes & commonéntes, vosmetípsos psalmis, hymnis & cánticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo.

℟. br. Vota mea * Dómino reddam. ℟. Vota. ℣. In conspéctu omnis pópuli ejus * Dómino. Glória. ℟. Vota. ℣. In lege Dómini volúntas ejus, ℟. Et in lege ejus meditábitur die ac nocte. *Ps.* 115. & 1.

Ad Nonam.

Ant. 4. *E.* Sedébit solitárius. *in II. Vesp.*

Capitulum. *Coloss.* 3.

MOrtui estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo: cùm Christus apparúerit, vita vestra, tunc & vos apparébitis cum ipso in glória. Mortificáte ergo membra vestra quæ sunt super terram.

℟. br. Dóminus Deus * In loco sancto suo. ℟. Dóminus. ℣. Deus qui inhabitáre facit unánimes in domo, * In loco. Glória. ℟. Dóminus. ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucúndum ℟. Habitáre fratres in unum. *Ps.* 67. & 132.

Ad II. Vesperas.

Ant. 1. a. PArs mea Dóminus; dixit ánima mea: proptérea exspectábo eum. *Thren.* 3.

Ant. 2. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum. *Ibid.*

Ant. 3. a. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. *Ibid.*

Ant. 8. c. Bonum est viro cùm portáverit jugum ab adolescéntia sua. *Ibid.*

Ant. 4. *E.* Sedébit solitárius, & tacébit: quia levávit super se. *Ibid.*

Capitulum. 2. *Cor.* 5.

ÆDificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cælo est, superíndui cupiéntes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur.

Hymnus, O pulcras ácies, *ut ad Vigilias.*

℣. Plantáti in domo Dómini, ℟. In átriis domûs Dei nostri florébunt. *Ps.* 91.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. *f.* Qui sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vitiis & concupiscéntiis. *Galat.* 5. *Oratio ut suprà in Laud. Mat.*

COMMUNE SS. LAICORUM.

Ad primas Vesperas.

Ant. 7. *f.* SImplícitas justórum díriget eos: justítia rectórum liberábit eos. *Prov.* 11.

Ant. 6. F. Opus justi ad vitam: exspectátio justórum,

etítia. *Prov.* 10.

Ant. 4. d. Timénti Dóminum bene erit, & in diébus onsummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1.

Ant. 5. a. Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætíam & longitúdinem diérum. *Ibid.*

Ant. 3. à *. In innocéntia mea ingréssus sum, & in Dómino sperans non infirmábor. *Psal.* 25.

Capitulum. Coloss. 2. 6.

Sicut accepístis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti & superædificáti in ipso, & confirmáti fide, abundántes in illo in gratiárum actióne.

Hymnus. Santol. V.

Non parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruénta quæ suos
Habent triúmphos prælia.

Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines:
Crudélis & durus sibi
Se morte lentâ cónficit.

Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ:
Paráta pro Christo mori,
Hoc supplet omne cáritas.

Córpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides;
Amor supérnis ígnibus
Totam litávit hóstiam.

Venis apértis ómnibus,
Qui vellet ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ
It fusus in fletum cruor.

Da Christe sic nos vívere,
Discámus ut semper mori;
Da post brevis vitæ dies
Vitæ perénnis gaúdia.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. Justus ut palma florébit,
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Ps.* 91.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Misericórdia Dómini à progénie in progénies timéntibus eum: dispérsit supérbos, & exaltávit húmiles. *Luc.* 1.

Oratio infrà in Laud. Matut.

AD VIGILIAS.

Invitatorium, Dóminum qui díligit justos, * Veníte adorémus. *Ps.* 145.

Psalmus, Veníte. *p.* 1.

Hymnus. Santol. V.

Tuâ beándos glóriâ
Miris Deus probas modis;
Qui, dum lates, præséntior
Votis amántum pásceris.

Procul remóti, súpplices
Tendunt manus; & pátrium
Per vota, per suspíria,
Cælum salútant éxules.

Te sola mors cùm det frui,
Sese necant labóribus,
Sese necant jejúniis;
Et, quà licet, vellent mori.

Quam morte promptâ férvidi

Emére palmam Mártyres,
Hic doctus in dies mori,
Longo repórtat fúnere.

Ætérne, *&c. ut in I. Vesp.*

In I. Noct.

Ant. 1. D. Qui timétis Dóminum, crédite illi; & non evacuábitur merces véstra. *Eccli.* 2.

Ant. 2. Qui timétis Dóminum, speráte in illum; & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. *Ibid.*

Ant. 5. a. Qui timétis Dóminum dilígite illum; & illuminabúntur corda vestra. *Ibid.*

℣. Beátus vir qui timet Dóminum ℟. In mandátis ejus volet nimis. *Ps.* 111.

Léctiones de Scriptura occurrente cum suis Responsoriis.

In II. Noct.

Ant. 8. G. Dicébat Jesus ad omnes: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam quotídie, & sequátur me. *Luc.* 9.

Ant. 7. a. Nisi convérsi fuéritis, & efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. *Matth.* 18.

Ant. 3. e. Conténdite intráre per angústam portam, quia multi (dico vobis) quærent intráre, & non póterunt. *Luc.* 13.

℣. Custodívi vias Dómini, ℟. Nec ímpiè gessi à Deo meo. *Ps.* 17.

Ex Epístola S. Augustíni Epíscopi ad Macedónium.

Lectio iv. Ep. 155. *Ben. n.* 13. *& seqq.*

In hac vita virtus non est, nisi dilígere quod diligéndum est. Id elígere, prudéntia est; nullis inde avérti moléstiis, fortitúdo est; nullis illécebris, temperántia est; nullâ supérbiâ, justítia est. Quid autem eligámus quod præcípuè diligámus, nisi quo nihil mélius invenímus? Hoc Deus est, cui si diligéndo áliquid vel præpónimus, vel æquámus, nos ipsos dilígere nescímus. Tantò enim nobis mélius est, quantò magis in illum imus, quo nihil mélius est. Imus autem non ambulándo, sed amándo. Quem tantò habébimus præsentiórem, quantò eúmdem amórem quo in eum téndimus, potuérimus habére puriórem: nec enim locis corporálibus vel exténditur, vel inclúditur. Ad eum ergo qui ubíque præsens est, & ubíque totus, non pédibus ire licet, sed móribus. Mores autem nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod díligit, dijudicári solent. Nec fáciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amóres.

℟. *iv.* Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem di-

igátis; qui enim díligit próximum, legem implévit: * Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cáritas ejus in nobis perfécta est. ℣. Qui díligit fratrem suum, in lúmine manet, ex Deo natus est, & cognóscit Deum; quóniam Deus cáritas est: * Si. Rom. 13. 1. Joan. 4. & 2.

Lectio v.

AD Deum ergo quantâ óperâ póssumus, étiam illi ut pervéniant agámus, quos tamquam nosmetípsos diligimus, si nosmetípsos dilígere illum diligéndo jam nóvimus. Qui enim áliter se díligit, pótiùs se odísse dicéndus est. Fit quippe iníquus privatúrque luce justítiæ, cùm à potióre ac præstantióre bono avérsus, atque inde vel ad seipsum convérsus, ad inferióra & egéna útique convértitur. Debet ergo & próximum dilígere tamquam seipsum, ut quem potúerit hóminem vel beneficéntiæ consolatióne, vel informatióne doctrínæ, vel disciplínæ coercitióne addúcat ad coléndum Deum, sciens in his duóbus præcéptis totam legem prophetásque pendére. Hoc qui sóbriâ discretióne éligit, prudens est: qui hinc nullâ afflictióne avértitur, fortis est; qui nullâ áliâ delectatióne, temperans est; qui nullâ elatióne, justus est.

℟. v. Estóte misericórdes, sicut & Pater vester miséricors est; dimíttite, & dimittémini; * Date, & dábitur vobis; & erit merces vestra multa, & éritis fílii Altíssimi. ℣. Non diligámus verbo, neque linguâ, sed ópere & veritáte: * Date. Luc. 6. 1. Joan. 3.

Lectio vj.

HIs virtútibus divínitùs impertítis per grátiam mediatóris Dei cum Patre, & nobíscum hóminis Jesu Christi, per quem post inimicítias iniquitátis reconciliámur Deo in Spíritu caritatis: his (inquam) virtútibus divínitùs impertítis, & bona vita nunc ágitur, & póstea præmium ejus, quæ nisi ætérna esse non potest, beáta vita persólvitur. Hîc enim sunt eædem virtútes in actu, ibi in efféctu; hîc in opere, ibi in mercéde; hîc in officio, ibi in fine. Itaque omnes boni & sancti, étiam in torméntis quibúslibet divíno fulti adjutório, spe illíus finis beáti vocántur, quo fine beáti erunt. Nam si in eísdem torméntis & atrocíssimis dolóribus semper essent cum quibúslibet virtútibus, eos esse míseros nulla sana rátio dubitáret.

℟. vj. Máxima & pretiósa nobis promíssa donávit Deus, ut per hæc efficiámini divínæ

consórtes natúræ; fugiéntes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem, * Quóniam ex Deo sumus, & mundus totus in malígno pósitus est. ℣. Nolíte diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo: * Quóniam. Glória. * Quóniam. 2. *Petr.* 1. 1. *Joan.* 5. *&* 2.

IN III. NOCT.

Ant. 1. f. Quasi à fácie cólubri fuge peccáta: si quis emundáverit se ab iniquitáte, erit vas in honórem sanctificátum, & útile Dómino; ad omne opus bonum parátum. *Eccli.* 21. 2. *Tim.* 2.

Ant. 7. b. Omni vitâ tuâ dílige Deum, & ínvoca illum in salúte tua. *Eccli.* 13.

Ant. 8. G. Qui servat verbum Christi, verè in hoc cáritas Dei perfécta est. 1. *Joan.* 2

℣. Díligam te, Dómine fortitúdo mea: ℟. Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. *Ps.* 17.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore; Dixit Jesus: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli & terræ, quia abscondísti hæc à sapiéntibus, & prudéntibus, & revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt à Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, & cúi volúerit Fílius revelá re. Veníte ad me omnes, qui laborátis, & oneráti estis, & ego refíciam vos. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi

Serm. 69. *de verbis Evang.*

QUare omnes laborámus, nisi quia sumus hómines mortáles, frágiles, infírmi, lútea vasa portántes, quæ fáciunt ínvicem angústias? Sed si angústantur vasa carnis, dilaténtur spátia caritátis. Quid ergo dicit, Veníte ad me omnes qui laborátis, nisi ut non laborétis? Dénique promíssio ejus in promptu est: quóniam laborántes vocávit, quærerent fortè quâ mercéde vocáti sunt: Et ego vos (inquit) refíciam. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me, non mundum fabricáre, non cuncta visibília & invisibília creáre, non in ipso mundo mirácula fácere, mórtuos suscitáre: sed, quóniam mitis sum & húmilis corde. Magnus esse vis, à mínimo íncipe. Cógitas magnam fábricam constrúere celsitúdinis, de fundaménto priùs cógita humilitátis. Et quantam quisque vult & dispónit superimpónere molem ædifi-

, quanto erit majus ædifi-
um, tanto áltiùs fodit fun-
méntum. Et fábrica qui-
m cùm constrúitur, in su-
rna consúrgit; qui autem
dit fundaméntum ad ima
prímitur. Ergo & fábrica
te celsitúdinem humiliátur,
fastígium post humiliatió-
m erígitur.

℟. viij. Quantò magnus es,
umília te in ómnibus, & co-
am Deo invénies grátiam: *
Quia omnis qui se exáltat,
umiliábitur; & qui se hu-
míliat, exaltábitur. ℣. Hu-
miliámini sub poténti manu
Dei, ut vos exáltet in témpo-
e visitatiónis, * Quia. *Eccli.*
. *Luc.* 14. 1. *Petr.* 5.

Lectio viij. *Cap.* 3.

QUod est fastígium con-
strúendæ fábricæ, quā
nolimur? Quò perventum
est cacúmen ædificii? Citò
lico, usque ad conspéctum
Dei. Vidétis quàm excélsum
est, quanta res est conspícere
Deum. Qui desíderat, & quod
lico, & quod audit intélligit.
Promíttitur nobis conspéctus
Dei, veri Dei, summi Dei.
Hoc enim bonum est. vidén-
tem vidére. Nam qui colunt
falsos deos, fácilè illos vi-
dent: sed eos vident qui ócu-
los habent, & non vident. No-
bis autem promíttitur vísio
Dei vivéntis & vidéntis, ut
illum Deum vidére concupis-
cámus de quo dicit Scriptúra:
Qui plantávit aurem, nonne
aúdiet? qui finxit óculum,
nonne consíderat? Non ergo
audit, qui tibi fecit unde aú-
dias? & non videt, qui creá-
vit unde vídeas? Bene in ip-
so Psalmo prælóquitur, & di-
cit: Intellígite ergo qui insi-
piéntes estis in pópulo, &
stulti aliquándo sápite. Multi
enim proptérea mala fáciunt,
dum putant quòd non videán-
tur à Deo. Et difficile est qui-
dem, ut eum credant vidére
non posse: sed putant nolle.
Pauci inveniántur tantæ im-
pietátis, ut impleátur in eis
quod scriptum est, Dixit stul-
tus in corde suo, non est Deus.
Insánia ista paucórum est. Si-
cut enim magna píetas, pau-
córum est: ita & magna im-
piétas, nihilominus paucó-
rum est.

℟. viij. Obsecro vos tam-
quam ádvenas & peregrínos
abstinére vos à carnálibus de-
sidériis, quæ mílitant advér-
sùs ánimam; nam prudentia
carnis, mors est: * Qui au-
tem Christi sunt, carnem
suam crucifixérunt cum vítiis
& concupiscéntiis. ℣. Qui in
carne sunt, Deo placére non
possunt; quóniam sapiéntia
carnis inimíca est Deo; legi
enim Dei non est subjécta: *
Qui autem. 1. *Petr.* 2. *Rom.*
8. *Gal.* 5.

Lectio ix. *Serm.* 70.

MIrum quibúsdam vidétur, Fratres mei, cùm aúdiunt Dóminum dicéntem: Veníte ad me omnes qui laborátis, & oneráti estis, & ego refíciam vos; Tóllite jugum meum super vos, díscite à me quóniam mitis sum & húmilis corde, & inveniétis réquiem animábus vestris, jugum enim meum lene est & sárcina mea levis est; & consíderant eos qui jugum ipsum intrépidâ cervíce subiérunt, & illam sárcinam mansuetíssimis húmeris accepérunt, tantis agitári & exercéri difficultátibus hujus sǽculi, ut non à labóribus ad quiétem, sed à quiéte ad labórem vocáti videántur, cùm & Apóstolus dicat, Omnes qui volunt in Christo piè vívere, persecutiónem patiéntur... Omnia ergo illa, quæ [in secúnda ad Corínthios epístola Apóstolus] commemorávit áspera & grávia, frequéntiùs & abundántiùs sustinébat: sed profectò áderat ei Spíritus sanctus, qui in exterióris hóminis corruptióne interiórem renováret de die in diem, & gustátâ réquie spirituáli in affluéntia deliciárum Dei, in spe beatitúdinis futúræ ómnia præséntia deliníret áspera, & ómnia grávia releváret. Ecce quàm suáve jugum Christi portábat, & quàm levem sárcinam, ut ómnia dura & immánia quæ omnis audítor horréscit, levem tribulatiónem díceret; íntuens interióribus & fidélibus óculis, quanto prétio temporálium eménda sit futúra vita, non pati ætérnos labóres impiórum, & sine ulla sollicitúdine pérfrui ætérnâ felicitáte justórum.

℟. *ix.* Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia * In nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo & Patri per ipsum. ℣. Vigiláte, state in fide, viríliter ágite, & confortámini: ómnia vestra in caritáte fiant, * In. Glória. * In. *Coloss.* 3. 1. *Cor.* 16.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Benedíctio Dómini super caput justi, ℟. Memória ejus cum láudibus. *Prov.* 10.

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Ant. 8. c. EXércuit seípsum ad pietátem, quæ ad ómnia útilis est, promissiónem habens vitæ quæ nunc est, & futúræ. 1. *Tim.* 4.

Ant. 6. F. Non prætériit de univérsis mandátis. *Josue* 11.

Ant. 4. d. Beátus vir qui invéntus est sine mácula, & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris. *Eccli.* 31.

Ant. 2. De omni corde suo

ndávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum. Eccli. 47.

Ant. 3. a.* Benedícite spíritus & ánimæ justórum Dómino, benedícite sancti & húmiles corde Dómino. Dan. 3.

Capitulum. Eccli. 39.

Justus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum: in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

Hymnus. Santol. V.

Qui te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus suî.

Quid ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retárdas exules,
Cives polo quos déstinas.

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti défluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna, vita lóngior.

Vix iste tardi córporis
Pondus moléstum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.

Ætérne, &c. ut in I. Vesp.

℣. Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætítia. Ps. 96.

Ad Benedíctus, Ant. 4. E. Justum dedúxit sapiéntia per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei, & dedit illi sciéntiam Sanctórum, honestávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus. Sap. 10.

Oratio.

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. festivitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur; Per.

Alia.

Omnípotens sempitérne Deus, exaúdi propítius, intercedénte pro nobis beáto N. oratiónem nostram, & tríbue nobis misericórdiam tuam; & quæcúmque præcipis ut agámus, ipse ádjuva ut adimplére possímus; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Exércuit seipsum. in Laud.

AD TERTIAM.

Ant. 7. c. Simplícitas justórum. suprà in I. Vesp.

Capitulum. Eccli 14. 22.

Beátus vir qui in sapiéntia morábitur, & qui in justítia sua meditábitur, & in sensu cogitábit circumspectiónem Dei.

℟. br. In justificatiónibus tuis,* Dómine meditábor. ℟. In. ℣. Et considerábo mirabília de lege tua. * Dómine. Glória. ℟. In. ℣. Meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi, ℟. Et exercébar in justificatiónibus tuis. Ps. 118.

AD SEXTAM.

Ant. 4. d. Timenti Dóminum. *suprà in I. Vesp.*

Capitulum. *Eccli.* 15. 1.

QUi timet Deum, fáciet bona; & qui cóntinens est justítiæ, apprehéndet illam: & obviábit illi quasi mater honorificáta.

℟. *br.* Beáti omnes * Qui timent Dóminum. ℟. Beáti. ℣. Qui ámbulant in viis ejus, *Qui timent. Glória. ℟. Beáti. ℣. Ambulans in via immaculáta ℟. Hic mihi ministrábat. *Ps.* 127. & 100.

AD NONAM.

Ant. 3. *d.* * In innocéntia. *suprà in I. Vesp.*

Capitulum. *Coloss.* 1.

AMbulétis dignè Deo per ómnia placéntes, in omni ópere bono fructificántes, & crescéntes in sciéntia Dei, in omni virtúte confortáti secúndùm poténtiam claritátis ejus.

℟. *br.* Lucérna pédibus meis, * Verbum tuum, Dómine, ℟. Lucérna. ℣. Et lumen sémitis meis, * Verbum. Glória. ℟. Lucérna. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus; ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus. *Ps.* 118. & 36.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ, Capitulum & Hymnus ut in primis Vesp.

℣. Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus, ℟. Et non respéxit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Ut filii lucis ambuláte, probántes quid sit beneplácitum Deo; fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia & veritáte. *Ephes.* 5.

Oratio, suprà in Laudibus Matut.

COMMUNE SS. VIRGINUM.

AD I. VESPERAS.

Ant. 1. D. AUdi fília, & vide, & inclína aurem tuam; & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui. *Ps.* 44.

Ant. 6. F. Concupíscet Rex decórem tuum; quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ibid.*

Ant. 3. E. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei quia amóre lángueo. *Cant.* 5.

Ant. 5. C. Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam. *Cant.* 3.

Ant. 2. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio. *Cant.* 8.

Capitulum 1. *Cor.* 7. 25.

DE Virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam con-

cútus à Dómino, ut sim fi-
:lis.

Hymnus.

[Esu coróna Vírginum,
Quem mater illa cóncipit,
uæ sola Virgo párturit,
:æc vota clemens áccipe.
Qui pascis inter lília,
:ptus choréis Vírginum:
onsus decórus glóriâ,
ponsísque reddens præmia.
Quocúmque pergis, Vírgines
equúntur, atque laúdibus
ost te canéntes cúrsitant,
Iymnósque dulces pérsonant.
Te deprecámur súpplices,
Iostris ut addas sénsibus,
Iescíre prorsus ómnia
:orruptiónis vúlnera.
Ætérne sponse Vírginum,
esu, tibi sit glória,
:um Patre & almo Spíritu
n sempitérna secula.
Amen.

Si sit Martyr.

Hymnus. Santol. V.

C Æléstes púeri, dulce sonántibus
)mnes nunc cítharis dícite Vírginem;
Iunc aptáte tubas, súmite tympana,
Christi dícite Mártyrem.
Vestris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Jt vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.
Sed quid cogis amor? fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem;
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præclárae sítiens necis.
Sic quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna suî, fórtiùs íntegram
Testári Dómino fidem.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ambórúmque sacro máxima Flámini,
Quorum præsídio prælia sústinent
Spreto fúnere Vírgines.
Amen.

℣. Júvenes & Vírgines laudent nomen Dómini, ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solius. *Ps.* 148.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Vírgines sunt; sequúntur Agnum quocúmque íerit; sine mácula enim sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14.

Oratio, infrà ad Laudes Matut.

AD VIGILIAS.

Invit. Agnum, quem sequúntur Vírgines, * Veníte adorémus. *Apoc.* 14.

Psalmus, Veníte. *p.* 1.

Hymnus. Santol. V.

CÆléstis aula pánditur;
En Sponsus; omnes óbviæ
Exíte sponso Vírgini,
Exíte sponsæ Vírgines.
Hæc nuptiális est dies,
Quæ longa post suspíria,
Dat ómnibus, dat síngulis,
Jam pléniùs frui Deo.
Quæ casta vobis gaúdia,
Quos afflet ignes, dícite,
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit.
Hunc propter unum vílúit
Et ipsa regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?
O virgináles núptiæ;
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
Ætérne Sponse Vírginum,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In sempitérna sécula.
Amen.

Si sit Martyr.

Hymnus. Santol. V.

VIrginum robur, Deus, atque custos,
Sexus imbéllis médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!
Pro tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non suos sentit, memor ô tuórum,
Christe, dolórum.
Non graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem;
Quin sacri crescit magis obstinátus
Ardor amóris.
Sponsa diléćto placitúra Sponso
Mútilum ridet laniáta corpus:
Est suus truncis honor, & venustas
Est sua membris.
Omnis à Recto fluit ille splendor:
Christe, sic olim cruce tensus altâ,
Obsequens Patri, láceros placébas
Hórridus artus.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar utriúsque nexus,
Da tibi pulcris placeámus & nos
Móribus uni. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 1. f. Oleum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. *Cant.* 1.

Ant. 3. a. Trahe me post te, currémus in odórem unguentórum tuórum. *Ibid.*

Ant. 8. G. Exultábimus & lætábimur in te; recti dilígunt te. *Ibid.*

℣. Delectá

℣. Delectavérunt te filiæ regum ℟. In honóre tuo. ſ. 44.

Lectiones de Scriptura occurrente cum ſuis Reſponſoriis.

IN II. NOCT.

Ant. 7. b. Felix ſtérilis, & incoinquináta, quæ neſcívit thorum in delícto. *Sap.* 3.

Ant. 3.c. Habébit fructum in reſpectióne animárum ſanctárum. *Ibid.*

Ant. 7. d. Dábitur illi fidei donum eléctum, & ſors in templo Dei acceptíſſima. *Ibid.*

℣. Secúndùm puritátem mánuum meárum ℟. Retríbuet mihi Dóminus. *Pſ.* 17.

Ex Libro S. Auguſtini Epíſcopi de ſancta Virginitáte.

Lectio iv. *Cap.* 1.

VIrgines monémus, ne propter excelléntiam múneris amplióris quod divínitùs accepérunt, contémnant in ſuî comparatióne patres & matres pópuli Dei, hominéſque illos quos tamquam olívam commendat Apóſtolus, ne ſupérbiat inſértus oleáſter, qui ventúro Chriſto étiam filiórum propagatióne serviébant, ídeò méritì inferióris eſſe arbitréntur; quia jure divíno continéntia connúbio, & núptiis pia virgínitas antepónitur. In illis quippe præparabántur & parturiebántur futúra, quæ nunc impléri mirabíliter & efficáciter cérnimus, quorum étiam vita conjugális prophética fuit: unde non conſuetúdine humanórum votórum atque gaudiórum, ſed valde profúndo consílio Dei, in quibúſdam eórum fecúnditas honorári, in quibúſdam étiam fecundári ſterílitas méruit. Hoc verò témpore quibus dictum eſt, Si ſe non cóntinent, nubant; non adhibénda eſt exhortátio, ſed conſolátio.

℟. iv. Qui elégerint quæ ego vólui, & tenúerint fœdus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis locum, * Et nomen mélius à filiis & filiábus. ℣. Non dicant, Ecce ego lignum áridum; quia nomen ſempitérnum dabo eis, quod non períbit, * Et. *Iſai.* 56.

Lectio v. *Cap.* 27.

PErgite Vírgines, pérgite perſeveránter in finem. Laudáte Dóminum dúlciùs, quem cogitátis ubériùs. Speráte felíciùs, cúi ſervítis inſtántiùs. Amáte ardéntiùs, cúi placétis atténtiùs. Lumbis accínctis, & lucérnis ardéntibus, exſpectáte Dóminum quando véniat à núptiis. Vos afferétis ad núptias Agni cánticum novum, quod cantábitis cítharis veſtris. Non útique tale, quale cantat univérſa terra, cúi dícitur; Cantáte Dómino cánticum novum, cantáte Dómino univérſa ter-

ra; sed tale quale nemo póterit dícere, nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ céteris diléctus Agno, qui discúmbere super pectus ejus sólitus erat & bíberat, & eructábat mirabília super Dei Verbo. Ipse vos vidit duodécies duodénamíllia sanctórum citharœdórum illibátæ virginitátis in córpore, inviolátæ veritátis in corde: & quia sequímini Agnum quocúmque íerit, scripsit ille de vobis.

℟. v. Córpora vestra membra sunt Christi: *Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. ℣. Incorrúptio facit esse próximum Deo: * Qui. 1. *Cor.* 6. *Sap.* 6.

Lectio vj.

QUò ire putámus hunc Agnum, quò nemo eum sequi vel aúdeat vel váleat, nisi vos? Quò putámus eum ire? in quos saltus & prata? Ubi credo sunt grámina gaúdia, non gaúdia séculi hujus vana, insániæ mendáces, nec gaúdia quália in ipso regno Dei céteris non-virgínibus erunt, sed à ceterórum ómnium gaudiórum sorte distíncta. Gaúdium vírginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaúdia própria vírginum Christi, non sunt éadem vírginū, quamvis non Christi. Nam sunt áliis ália, sed nullis tália. Ite in hæc, sequímini Agnum, quía & Agni caro útique virgo. Hoc enim in se retínuit auctus, quòd matri non ábstulit concéptus & natus. Méritò eum sequímini virginitáte cordis & carnis, quocúmque íerit. Quid enim est sequi, nisi imitári?.. Vos ítaque sequímini eum tenéndo perseveránter, quod vovístis ardénter. Fácite cùm potéstis, ne virginitátis bonum à vobis péreat, cúi fácere nihil potéstis ut rédeat... Præsúmite ítaque, fídite, roborámini, permanéte qui vovétis, & rédditis Dómino Deo vestro vota perpétuæ continéntiæ, non propter præsens séculum, sed propter regnum cælórum.

℟. vj. Médiâ nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Expergiscímini, & laudáte, ecce enim Dóminus egrediétur de loco suo. * Ecce. Glória. * Ecce. *Matth.* 25. *Isa.* 26.

IN III. NOCT.

Ant. 7. d. Vírgines accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso & sponsæ. *Matth.* 25.

Ant. 4. A. Prudéntes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. *Ibid.*

Ant. 6. F. Venit sponsus, & quæ parátæ erant, intravé-

...unt cum eo ad núptias. *Ibid.*
℣. Secúndùm puritátem mánuum meárum ℟. Retríbuet mihi Dóminus. *Ps.* 17.
...ctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.
Lectio vij. *Cap.* 19.
In illo témpore; Dixit Jesus Pharisæis: Quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, & áliam dúxerit, mœchátur: & qui dimíssam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt: & sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus: & sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum. Qui potest cápere, cápiat. Et réliqua.
Homília S. Augustíni Epíscopi lib. de sancta Virginit. Cap. 1. & 11.
Quibus dictum est, Qui potest cápere, cápiat; exhortándi sunt ne terreántur, & terréndi ne extolántur. Non solùm ergo prædicánda est Virgínitas, ut amétur; verùm étiam monénda, ne inflétur... Nec nos hoc in Virgínibus prædicámus, quòd vírgines sunt; sed quòd Deo dicátæ piâ continéntiâ vírgines. Nam (quod non témerè díxerim) felícior mihi vidétur nupta múlier, quàm virgo nuptúra: habet enim jam illa quod ista adhuc cupit, præséttim si nondum vel sponsa cujúsquam sit. Illa uni studet placére cúi data est: hæc multis, incérta cúi danda est; hoc uno pudicítiam cogitatiónis defendit à turba, quòd non adúlterum, sed marítum quærit in turba. Illa ígitur Virgo conjugátæ méritò præpónitur, quæ nec multitúdini se amándam propónit, cùm amórem uníus ex multitúdine inquírit; nec se uni jam compónit invénto, cógitans quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro; sed speciósum formâ præ fíliis hóminum sic amávit, ut quia eum sicut María concípere carne non posset, ei corde concépto étiam carnem íntegram custodíret.)
℟. vij. Ornávi te ornaménto, & dedi corónam decóris in cápite tuo, & decóra facta es veheménter nimis, *Et profecísti in regnum. ℣. Egréssum est nomen tuum in gentes propter spéciem tuam, quia perfécta eras in decóre meo, * Et profecísti. *Ezech.* 16.
Lectio viij. *c.* 13. & 14.
Mirabíliter desípiunt, qui putant hujus continéntiæ bonum non esse necessárium propter regnum cælórum

rum, sed propter præsens séculum; quòd scílicet conjúgia terrénis curis plúribus atque arctióribus distendúntur, quâ moléstiâ vírgines atque continéntes carent: quasi ob hoc tantùm mélius sit non conjugári, ut hujus témporis relaxéntur angústiæ, non quod in futúrum séculum áliquid prosit. Hanc vanam senténtiam ne cordis próprii vanitáte protulísse videántur, ádhibent ex Apóstolo testimónium, ubi ait: De virgínibus autem præcéptum Dómini non hábeo... Sed quóniam devitátis remissísve peccátis, adeúnda est vita ætérna, in qua est quædam egrégia glória, non ómnibus in ætérnum victúris, sed quibúsdam ibi tribuénda, cui consequéndæ parum est liberátum esse à peccátis, nisi áliquid ipsi liberatóri voveátur, quod non sit crímінis non vovísse, sed vovísse ac reddidísse sit laudis; Consílium (inquit) do, tamquam misericórdiam consecútus à Deo ut fidélis essem. Neque enim invidére débeo fidéle consílium, qui non meis méritis, sed Dei misericórdiâ sum fidélis. Exístimo ítaque hoc bonum esse propter præséntem necessitátem. Hoc (inquit) unde præcéptum Dómini non hábeo, sed consílium do, hoc est de virgínibus, exístimo bonum esse propter præséntem necessitátem.

℟. viij. Surrexérunt Vírgines, & ornavérunt lámpades suas: & quæ parátæ erant, intravérunt * Cum sponso ad núptias. ℣. Introdúces eas in monte hereditátis tuæ, firmíssimo habitáculo tuo, quod operátus es Dómine * Cum. *Matth. 25. Exod. 15.*

Lectio ix. c. 18.

Sectatóres & sectatríces perpétuæ continéntiæ & sacræ virginitátis admóneo, ut bonum suum ita præferant núptiis: ne malum júdicent núptias: neque fallácitér, sed planè veráciter ab Apóstolo dictum nóverint: Qui dat nuptum bene facit; & qui non dat nuptum, mélius facit: Et si accéperis uxórem, non peccásti; & si núpserit virgo, non peccat. Et paulo pòst: Beátior autem erit, si sic permánserit, secúndùm meam senténtiam. Et ne humána senténtia putarétur, adjúngit: Puto autem & ego Spíritum Dei hábeo. Hæc Domínica, hæc Apostólica, hæc vera, hæc sana doctrína est, sic elígere dona majóra, ne minóra damnéntur. Mélior est in Scriptúra Dei véritas Dei, quàm in cujúsquam mente aut carne virgínitas hóminis. Quod castum est sic amétur, ut quod verum est non negétur. Nam quid

mali non possunt étiam de sua carne cogitáre, qui credunt Apostólicam linguâ in eo ipso loco ubi virginitátem córporis commendábat, à corruptióne mendácii vírginem non fuisse? Prímitùs ergo ac máximè, qui bonum virginitátis éligunt, Scriptúras sanctas firmíssimè téneant nihil esse mentítas: ac per hoc étiam illud verum esse quod dictum est, Et si accéperis uxórem, non peccásti; & si núpserit virgo, non peccat.

℟. *ix.* Quid mihi est in cælo, & à te quid vólui super terram? * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. ℣. Cor meum & caro mea exultavérunt in Deum vivum: * Deus. Glória. * Deus. *Ps.* 72. *&* 83.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, ℟. Ut non confúndar. *Ps.* 118.

℣. Deus in adjutórium *&c.*

Ant. 3. *a.* TU scis Dómine quia mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntia. *Tob.* 3.

Ant. 6. C. Fíliæ Jerúsalem nuntiáte dilécto quia amóre lángueo. *Cant.* 5.

Ant. 2. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas in merídie. *Cant.* 1.

Ant. 8. G. Diléctus meus mihi, & ego illi qui páscitur inter lília. *Cant.* 2.

Ant. 7. G. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, ut nuntiétis dilécto meo quia amóre lángueo. *Cant.* 5.

Capitulum. 1. *Cor.* 7.

MUlier innúpta, & Virgo, cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu.

Hymn. Jesu coróna Vírginum. *p.* lxxj.

Si sit Martyr,

Hymnus. *Santol. Vict.*

QUid sacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non unum gémino repórtas
Hoste triúmphum.

Móllior fregit neque te volúptas;
Impotens fléxit neque te tyránnus;
Tu graves pœnas paritérque blandos
Vincis amóres.

Líliis Sponsus récubat rosísque;
Tu tuo semper bene fida Sponso,
Et rosas Martyr, simul & dedísti
Lília Virgo.

Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar utriúsque Nexus,

Da tibi pulcris placeámus & nos
Móribus uni. Amen.

℣. Immísit in os meum cánticum novum, ℟. Carmen Deo nostro. *Ps.* 39.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. C. Cantábant Vírgines cánticum novum ante sedem Dei & Agni. *Apoc.* 14.

Oratio.

FIdéles tuos, Dómine quǽsumus, intercedénte beátâ N. Vírgine tuâ, córpore páriter & mente purífica: ut tuâ inspiratióne compúncti, nóxias delectatiónes vitáre prævaleant; atque ut eárum non capiántur illécebris, tuâ semper suavitáte pascántur; Per.

Alia.

DEus qui habitáculum tuum in corde pudíco constituísti, concéde ut qui fidélis sponsæ tuæ N. puritátem húmili venerámur obséquio, piæ devotiónis sequámur exémplo; Per.

De pluribus Virginibus Oratio.

DEus qui nos hódie beatárum Vírginum tuárum N. & N. ánnuâ festivitáte lætíficas; concéde propítius ut eárum adjuvémur précibus, quarum castitátis irradiámur exémplis; Per.

Si sit Martyr, Oratio.

DEus qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti; concéde propítius, ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, tantæ fidei & virtútis proficiámus exemplo, Per Dóminum.

Alia.

OMnipotens sempitérne Deus, cujus múnere beáta N. in virginitátis propósito & in confessióne fidei roboráta, virginitátis ac martyrii palmam adépta est; da nobis ita córporis ac mentis integritátem serváre, ut nec blandítiis carnis nec tormentórum immanitáte vincámur; Per.

Si plures sint Martyres, Orat.

DA nobis quǽsumus Dómine Deus noster sanctárum Vírginum ac Mártyrum N. & N. palmas summâ devotióne venerári; ut quas non póssumus satis digne celebráre, humílibus saltem prosequámur obséquiis; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 3. *a.* Tu scis Dómine *ut in Laud.*

AD TERTIAM.

Ant. 8. F. Concupíscet. *ut in I. Vesp. p.* lxxj.

Capitulum. Zachar. 9.

QUid bonum Dómini est, & quid pulcrum ejus, nisi fruméntum electórum, & vinum gérminans Vírgines?

℟. br. Afferéntur Regi Vírgines * In lætítia & exultatiónes ℟. Afferéntur. ℣. Adducéntur in templum Regis * In. Glória. ℟. Afferéntur. ℣. Omnis glória ejus ℟. Fíliæ Regis ab intus. *Ps.* 44.

AD SEXTAM. *Ant.* 5. C. Invéni. *suprà in I. Vesp.*

Capitulum. I. *Cor.* 7.

MUlier innúpta, & Virgo, cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu.

℟. br. Sitívit in te * Anima mea. ℟. Sitívit. ℣. Quàm multipliciter tibi caro mea;* Anima. Glória. ℟. Sitívit. ℣. Cor meum & caro mea ℟. Exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 62. & 83.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Diléctus meus mihi. *in Laud.*

Capitulum. I. *Cor.* 7. 7.

UNusquísque próprium donum habet ex Deo; dico autem non nuptis & víduis: bonum est illis, si sic permáneant.

℟. br. Pars mea Dóminus, * Dixit ánima mea. ℟. Pars. ℣. Bonus est ánimæ quærénti illum, * Dixit. Glória. ℟. Pars. ℣. Mihi adhærére Deo bonum est, ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Thren.* 3. *Ps.* 72.

AD II. VESPERAS,

Antiphonæ ut in I. Vesperis.

Capitulum. 2. *Cor.* 11.

ÆMulor vos Dei æmulatióne, despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Hymnus, Cæléstis aula. *ut suprà ad Vigilias*, *p.* lxxij.

Si sit Martyr, Hymnus, Cæléstes púeri, *p.* lxxj.

℣. Psallam & intélligam in via immaculáta, ℟. Quando vénies ad me. *Ps.* 100.

Ad Magníficat, *Ant.* I. A. Complácuit Dómino in te. Gaudébit sponsus super sponsam, & gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62.

Oratio, ut suprà in Laud. Mat.

COMMUNE UNIUS, VEL PLURIUM SANCTARUM MARTYRUM.

Omnia de Communi SS. Virginum, vel Martyrum, præter ea quæ hîc habentur propria.

AD I. VESPERAS,

℣. Deus noster refúgium & virtus, ℟. Adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis. *Ps.* 45.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. G. Timor Dómini cum eléctis féminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóscitur. *Eccli.* I.

Oratio, Omnípotens, *infra.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

Lectio iv. 280. *Bened.*

QUid gloriósius his féminis, quas viri mirántur

faciliùs, quàm imitántur? Sed hoc illíus potíssimùm laus est, in quem credéntes, & in cujus nómine fidéli stúdio concurréntes, secúndùm interiórem hóminem, nec másculus nec fémina inveniúntur; ut étiam in his quæ sunt féminæ córpore, virtus mentis sexum carnis abscóndat; & in membris pígeat cogitáre, quod in factis non pótuit apparére. Calcátus est ergo draco pede casto & victóre vestígio, cùm eréctæ demonstraréntur scalæ, per quas beáta Martyr iret ad Deum. Ita caput serpéntis antíqui quod fuit præcipítium féminæ cadénti, gradus factum est ascendénti. Quid hoc spectáculo suávius? quid hoc certámine fórtius? quid hac victória gloriósius? Tunc cùm béstiis sancta objiceréntur córpora, toto amphitheátro fremébant gentes, & pópuli meditabántur inánia. Sed qui hábitat in cælis, irridébat eos, & Dóminus subsannábat eos.

℟. *iv.* Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vínceret, & sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. ℣. In fraude circumveniéntium illam ádfuit illi, * Ut. *Sap.* 10.

Lectio v.

Solemnitátes Mártyrum, sicut fácimus, devotíssimè celebrémus sóbriâ hilaritáte, castâ congregatióne, fidéli cogitatióne, fidénti prædicatióne. Non parva pars imitatiónis est, melióрum congaudére virtútibus. Illi magni, nos parvi: sed benedíxit Dóminus pusíllos cum magnis. Præcessérunt, præminuérunt. Si eos sequi non valémus actu, sequámur afféctu: si non glóriâ, certè lætítiâ: si non méritis, votis: si non passióne, compassióne: si non excelléntiâ, connexióne. Non nobis parùm videátur, quòd ejus córporis membra sumus, cujus & illi, quibus æquiparári non póssumus. Quia si unum membrum pátitur, compatiúntur ómnia membra; ita cum glorificátur unum membrum, congaúdent ómnia membra. Glória cápiti, unde consúlitur & superióribus mánibus, & ínfimis pédibus. Sicut ille unus ánimam suam pro nobis pósuit; ita & imitáti sunt Mártyres, & ánimas suas pro frátribus posuérunt; atque ut ista populórum tamquam gérminum copiosíssima fertílitas súrgeret, terram suo sánguine irrigavérunt. Fructus labóris ergo illórum etiam nos sumus. Mirámur eos, miserántur nos. Gratulámur eis, precántur pro nobis.

℟. *v.* Probátio vestræ fidei pretiósior auro quod per ignem probátur, inveniátur in

laudem * In revelatióne Jesu Christi. ℣. In igne probatur aurum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis, * In revelatióne. 2. *Petr.* 1. *Eccli.* 2.

Lectio vj. *Serm.* 281.

IBi est coróna gloriósior, ubi sexus infírmior; quia profécto virílis ánimus in féminas majus áliquid fecit, quando sub torméntis fragílitas feminea non defécit. Bene inhæsérunt uni viro, cúi virgo casta única exhibétur Ecclésia. Bene (inquam) inhæsérunt illi viro, à quo virtútem tráxerant, quâ resísterent diábolo: ut féminæ prostérnerent inimícum, qui per féminam prostráverat virum. Ille in eis appáruit invíctus, qui pro eis factus est infírmus. Ille eas ad hos honóres laudésque perdúxit, qui pro eis oppróbria & crímina audívit. Ille fecit féminas viríliter & fidéliter mori, qui pro eis dignátus est de fémina misericórditer nasci.

℟. vj. Infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; * Ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. ℣. Ignobília mundi & contemptibília elégit, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret; * Ut non. Glória. * Ut non. 1. *Cor.* 1.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas; da nobis intercedénte beátâ Mártyre tuâ N. ut spíritu tuæ veritátis armáti mundum sive blandiéntem, sive sæviéntem víncere pro tui nóminis amóre valeámus; Per.

Si sint plures, dicitur, intercedéntibus beátis Martyribus tuis.

COMMUNE S.S. MULIERUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ant. 5. a. MUlíerem fortem quis invéniet? procul & de últimis fínibus prétium ejus. *Prov.* 31.

Ant. 7. c. Accínxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum. *Ibid.*

Ant. 3. *a.* Gustávit, & vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus. *Ibid.*

Ant. 4. A. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fusum. *Ibid.*

Ant. 8. G. Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas exténdit ad paúperem. *Ibid.*

Capitulum. 1. *Tim.* 2.

MUlíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia & sobrietáte ornántes se, & non

In tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósa; sed quod decet mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.

Hymnus. Santol. V.

JAm templa cantu pérsonent,
Adéste sanctæ cónjuges,
En illa fortis Fémina
Inter triúmphat Cælites.

Blandos ut hostes vínceret,
Hanc fortitúdo véstiit;
Ut prosit intuéntibus,
Cæléstis ornávit decor.

Non vana pompa séculi
Sensus fefféllit, nec malis
Gliscens volúptas ártibus
Viríle pectus mólliit.

Non illa luxu véstium,
Non crine torto spléndiut:
Cultu nitens sed símplice,
Puris placébat móribus.

Se sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit;
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amíttat decus.

Pascénda cælésti cibo,
Sacris studébat Lítteris
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curám domûs.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Os suum apéruit sapiéntiæ, ℟. Et lex cleméntiæ in lingua ejus. *Prov.* 31.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Infirma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. 1. *Cor.* 1.

Oratio, infrà in Laud. Mat.

AD VIGILIAS.

Invitatorium, Dóminum in quo sperant sanctæ Mulieres, * Veníte adorémus. 1. *Petr.* 3.

Psalmus, Veníte. *pag.* 1.

Hymnus. Santol. V.

ARdet Deo quæ Fémina,
Latére frustra cógitat;
Quot índigos hæc súblevat,
Tot próditur præcónibus.

Prodésse quærit ómnibus,
Curis honéstis ánxia;
Patróna custos Vírginum,
Secúnda mater órphanis.

Pannis laténtem vílibus
Christum fovébat hóspitem;
Quas dura subtráxit sibi,
Opes refúndit pródiga.

Pacem domi, pacem foris,
Alto colit siléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

IN I. NOCT.

Ant. 7. c. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas. *Prov.* 31.

Ant. 4. A. Fallax grátia, & vana est pulcritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. *Ibid.*

Ant. 8. G. Date ei de fructu mánuum suárum : & laudent eam in portis ópera ejus. *Ibid.*

℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei ℟. In médio domûs meæ. *Ps.* 100.

Tres primæ Lect. de Script. occurr. cum suis Responsoriis.

IN II. NOCT.

Ant. 1. f. Mulieris bonæ beátus vir : númerus enim annórum illíus duplex. *Eccli.* 26.

Ant. 5. a. Múlier fortis obléctat virum suum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Ibid.*

Ant. 1. 2. Pars bona, múlier bona : in parte timéntium Deum dábitur viro pro factis bonis. *Ibid.*

℣. Qui invénit mulíerem bonam, invénit bonum, ℟. Et haúriet jucunditátem à Dómino. *Prov.* 18.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

Lectio iv. 196. *Ben. n.* 2.

TRes vitæ sunt in Ecclésia membrórum Christi; conjugális, viduális, virginális. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicítiæ futúræ erant in sanctis membris Christi; éligat sibi quisque de istis tribus quam volúerit. Qui præter istas esse volúerit, in membris Christi esse non dispónit. Non dicant conjugátæ : Nos ad Christum non pertinémus. Habuérunt marítos sanctæ féminæ. Non se extóllant vírgines. Quanto magnæ sunt, humílient se in ómnibus. Omnia exémpla salútis propósita sunt ante óculos nostros. Nemo exórbitet. Nemo præter uxórem; mélius sine uxóre. Si pudicítiam conjugálem quæris, habes Susánnam; si viduálem, habes Annam; si virginálem, habes Maríam.

℟. iv. Erat in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valdè; * Nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. ℣. Non discedébat de templo, jejúniis & obsecratiónibus sérviens die ac nocte, * Nec. *Judith.* 8. *Luc.* 2.

Lectio v. De bono Conjug. c. 11.

QUod ait Apóstolus : Quæ innúpta est, cógitat ea quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore & spíritu, non sic accipiéndum est, ut putémus non esse sanctam córpore Christiánam cónjugem castam. Omnibus quippe fidélibus dictum est : Nescítis quia córpora vestra templum in vobis est Spíritûs sancti, quem habétis à Deo? Sancta sunt ergo étiam córpora conjugatórum, fidem sibi & Dómino servántium. Cui sanctitáti cujúslibet eórum, nec infidélem cónjugem obsístere, sed pótiùs sanctitá-

rem uxóris prodésse infidéli viro, aut sanctitátem viri prodésse infidéli uxóri, idem Apóstolus testis est, dicens: Sanctificátus est enim vir infidélis in uxóre, & sanctificáta est múlier infidélis in fratre. Proínde illud dictum est secúndum ampliórem sanctitátem innuptárum quàm nuptárum, cúi merces étiam debétur ámplior secúndùm quod isto bono illud est mélius; quia & hoc solum cógitat, quómodo pláceat Dómino. Neque enim fémina fidélis servans pudicítiam conjugálem, non cógitat quómodo pláceat Dómino, sed útique minùs; quia cógitat étiam quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Hoc enim de illis dícere vóluit, quòd possunt habére quodam modo de necessitáte connúbii, ut cógitent quæ sunt mundi, quómodo pláceant viris suis.

℟. v. Non fuit illi extrínsecùs capillatúra, aut circumdátio auri, aut vestimentórũ cultus; sed qui abscónditus est cordis homo * In incorruptibilitáte quiéti & modésti spíritûs, qui est in conspéctu Dei lócuples. ℣. Omnis glória ejus, fíliæ Regis, ab intus, * In. 1. *Petr.* 3. *Ps.* 44.

Lectio vj. De bono Vid. c. 3 & 4

QUantum bonum hábeat nuptárum fides, id est christianárum & religiosárum conjugatárum, hinc intélligi potest, quòd cùm de fugiénda fornicatióne præcíperet, ubi útique & conjugátos alloquebátur, Nescítis (inquit) quia córpora vestra membra sunt Christi? Tantum ergo bonum est fidélis conjúgii, ut étiam ipsa membra sint Christi. Hoc autem bono quóniam mélius est bonum continéntiæ viduális, non hac professióne id ágitur, ut áliquid plus sit cathólica Vídua, quàm membrum Christi; sed ut meliórem quàm conjugáta locum hábeat inter membra Christi. ... Vides étiam conjugálem pudicítiam & thori christiáni matrimoniálem fidem donum esse, & hoc à Deo: ut illud quod ultrà liberórum procreandórum necessitátem modum concumbéndi aliquátenùs concupiscéntia carnális excédit, non nuptiárum sit hoc malum, sed veniále sit propter nuptiárum bonum. Non enim de conjúgio quod copulátur liberórum procreandórum causâ, & fide pudicítiæ conjugális, & indissolúbili, quámdiu ambo vivunt, matrimónii sacraménto, quæ ómnia bona sunt; sed de illo immódico carnis usu, qui in infirmitáte cónjugum agnóscitur, & intervéntu boni nuptiális ignóscitur, ait Apósto-

lis; Secúndùm véniam dico, non secúndùm impérium.

℟. vj. In opéribus bonis testimónium habens, sanctórum pedes lávit, tribulatióném patiéntibus subministrávit,* Omne opus bonum subsecúta est. ℣. Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas exténdit ad paúperem :* Omne. Glória. * Omne. 1. *Tim.* 5. *Prov.* 31.

IN III. NOCT.

Ant. 2. Grátia super grátiam, múlier sancta & pudoráta. *Eccli.* 26.

Ant. 6. F. Disciplína mulíeris fédulæ, datum Dei est. *Ib.*

Ant. 3. a*. Múlier sensáta & tácita, non est immutátio erudítæ ánimæ. *Ibid.*

℣. Considerávit sémitas domûs suæ, ℟. Et panem otiósa non comédit. *Prov.* 31. 27.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. c. 18. *v.* 18.

IN illo témpore: Interrogávit Jesum quidam princeps, dicens: Magíster bone, quid fáciens vitam ætérnam possidébo? Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus. Mandáta nosti: Non occídes: Non mœcháberis: Non furtum fácies: Non falsum testimónium dices: Honóra patrem tuum & matrem. Qui ait: Hæc ómnia custodívi à juventúte mea. Quo audíto, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest; ómnia quæcúmque habes, vende, & da paupéribus, & habébis thesaúrum in cælo. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi *Lib. De bono Viduit. c.* 21.

ABsit à vobis Víduis, ut divitiárum cupiditáte capiámini pro cupiditáte nuptiárum, & in córdibus vestris nummus amóri viri succédat. Intuéntes enim hóminũ conversatiónem sæpè expérti sumus, in quibúsdam lascívià compréssâ, crevísse avarítiam. Nam sicut in ipsis sénsibus córporis acútiùs aúdiunt qui non vident, & tangéndo multa discérnunt, nec tantâ vivacitáte tangunt qui óculis utúntur; ubi intellígitur ex uno áditu, id est lúminum, représsâ intentióne sentiéndi, eam se in álios sensus prompcióre dignoscéndi acúmine exsérere, tamquam ex áltero conétur implére quod negátur in áltero: ita étiam sæpè carnális cupíditas à concumbéndi voluptáte cohíbita, majóribus víribus in pecúniæ se pórrigit appetítum; & illinc avérsa, huc se ímpetu ardentióre convértit. In vobis autem divitiárum amor simul frigéscat cum amóre nuptiárum, &

pius usus rerum quas possidétis, ad spirituáles delícias conferátur, ut liberálitas vestra magis férveat adjuvándis egénis, quàm ditándis avaris.

℟. viij. Súscipe me Dómine secúndùm elóquium tuũ, & vivam: * Non confúndas me ab exspectatióne mea. ℣. Defécit in salutáre tuum ánima mea: * Non. *Ps.* 118.

Lectio viij.

IN thesaúrum quippe cæléstem non mittúntur dona cupidórum, sed eleemósynæ paúperum, quæ in imménsum modum oratiónes ádjuvant Viduárum. Jejúnia quoque ac vigíliæ in quantum valetúdinem non pertúrbant, si orándo, psalléndo, legéndo, & in lege Dei meditándo insumántur, in delícias spirituáles étiam ipsa quæ vidéntur laboriósa vertúntur. Nullo modo enim sunt oneróſi labóres amántium, sed étiam ipsi deléctant, sicut venántium, aucupántium, piscántium, vindemiántium, negotiántium, ludo áliquo sese obleĉtántium. Intereſt ergo quid amétur. Nam in eo quod amátur, aut non laborátur, aut & labor amátur. Et vide quàm pudéndum & doléndum sit, si deléctat labor ut fera capiátur, ut cupa & sácculus impleátur, ut pila jaciátur; & non deléctat ut Deus acquirátur!

℟. viij. Roborávit bráchium suum, * Et manum suam misit ad fórtia. ℣. Accínxit fortitúdine lumbos suos, * Et. *Prov.* 31.

Lectio ix. Epist. 45. ad Possid.

NOlo de ornaméntis auri vel vestis præprópĕram hábeas in prohibéndo senténtiam, nisi in eos, qui neque conjugáti, neque conjugári cupiéntes, cogitáre debent quómodo pláceant Deo. Illi autem cógitant quæ sunt mundi, quómodo pláceant vel viri uxóribus, vel mulíeres marítis. Nisi quòd capíllos nudáre féminas, quas étiam caput veláre Apóstolus jubet, nec maritátas decet. Fucári autem pigméntis, quò vel rubicúndior vel candídior appáreat, adulterína fallácia est, quâ non dúbito étiam ipsos marítos se nolle décipi, quibus solis permitténdæ sunt féminæ ornári, secúndùm véniam, non secúndùm impérium. Nam verus ornátus máximè Christianórum & Christianárum, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestísque pompa, sed mores boni sunt.

℣. ix. Dómine qui habes ómnium sciéntiam, nosti quia óderim glóriam iniquórum, & nunquam lætáta sit ancílla tua, nisi in te, * Dómine Deus Abraham. ℣. Adjuva me, mi-

lum aliud auxilium habéntem nisi te, * Dómine. Glória. * Dómine Deus. *Esther* 14.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* O quàm pulcra est casta generátio cum claritate; ℟. Immortális est enim memória illius. *Sap.* 4.

Pro SS. Viduis.

℣. *Sacerd.* Dirupísti Dómine víncula mea, ℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. *Ps.* 115.

℣. Deus in adjutórium &c.

Ant. SApiens múlier ædíficat domum suam. *Proverb.* 14.

Ant. 2. Inítium sapiéntiæ, timor Dómini; cum eléctis féminis gráditur. *Eccli.* 1.

Ant. 3. a. Fecit Dóminus hanc mulíerem sicut Rachel & Liam, ut sit exémplum virtútis. *Ruth.* 4.

Ant. 6. F. Benedícta es tu à Dómino, scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. *Ruth.* 3.

Ant. 1. g. Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt; vir ejus, & laudávit eam. *Prov.* 31.

Capitulum 1. *Tim.* 2.

SAlvábitur múlier per filiórum generatiónem, si permánserit in fide, & dilectióne, & sanctificatióne, cum sobrietáte.

Hymnus. *Santol. V.*

O Jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perenniòribus
Uni Deo conjúngitur.

Per quos gradus cælum petit,
Hàc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ cónjuges.

Felícis & vos Féminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exémplar viris.

Queis arsit illa, fac Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eóque, quo te vis coli,
Amóre fac mens te colat.

Ætérne. &c. ut suprà in I. Vesp.

℣. Ego, sicut olíva fructífera, in domo Dei; ℟. Sperávi in misericórdia Dei in ætérnum. *Ps.* 51.

Ad Benedíctus, *Ant.* 7. a. Eò quòd castitátem amáveris, manus Dómini confortávit te, & ídeo eris benedícta in ætérnum. *Judith.* 15.

Oratio.

DEus in quem sperat omnis ánima, quæ longè adhuc à te pósita se verè víduam sentit ac desolátam; adésto quæsumus intercedénte beátâ N. atque in ómnibus actiónibus nostris & aspirándo nos prævéni, & adjuvándo custódi, ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur; Per.

Alia Oratio.

DEus humílium consolátor, interveniénte beátâ N. propítius réspice súpplicum preces; & præsta ut ánimæ quæ promissiónes tuas sítiunt, de tuæ caritátis abundántia repleántur; Per.

Si sit Martyr, Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti; concéde propítius ut qui beátæ N. Mártyris tuæ natalítia venerámur, per ejus ad te exémpla gradiámur; Per.

Si plures sint Martyres, Oratio.

DA nobis quæsumus Dómine Deus noster sanctárum Mártyrum N. & N. palmas summâ devotióne venerári; ut quas non póssumus satis dignè celebráre, humílibus saltem prosequámur obséquiis; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 3. c. Sápiens múlier.

AD TERTIAM.

Ant. 2. Inítium sapiéntiæ.

Capitulum. 1. *Tim.* 3. 11.

OPórtet mulíeres esse pudícas, non detrahéntes, sóbrias, fidéles in ómnibus.

℟. *br.* Fiat cor meum immaculátum * In justificatiónibus tuis. ℟. Fiat. ℣. Ut non confúndar * In. Glória. ℟. Fiat.

℣. Iníquos ódio hábui, ℟. Et legem tuam diléxi. *Ps.* 118

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Fecit Dóminus.

Capitulum. 1. *Petr.* 3. 1.

MUlíeres súbditæ sint viris suis; ut & si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifíant; considerántes in timóre castam conversatiónem vestram.

℟. *br.* Non sedi * Cum concílio vanitátis, ℟. Non sedi. ℣. Et cum iníqua geréntibus non introívi; * Cum concílio. Glória. ℟. Non. *Ps.* 25.

℣. Anima mea Dómino vivet, ℟. Et semen meum sérviet ipsi. *Ps.* 25. & 21.

AD NONAM.

Ant. 1. g. Surrexérunt.

Capitulum. *Tob.* 10.

MOnébant fíliam suam honoráre sóceros, dilígere maritum, régere famíliam, gubernáre domum, & seípsam irreprehensíbilem exhibére.

℟. *br.* Psallam & intélligam * In via immaculáta. ℟. Psallam. ℣. Quando vénies ad me * In. Glória. ℟. Psallam.

℣. Glorificábo nomen tuum, Dómine, ℟. Quóniam misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 100. & 85.

AD II. VESPERAS,

Antiphonæ ut in I. Vesperis.

Capitulum. *Tit.* 2. 4.

DOceant adolescéntulas ut viros suos ament, fi-

ios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domûs curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis.

Hymn. Jam templa. *p.* lxxxij.

℣. Anima mea exultábit in Dómino, ℞. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Dómine nosti quia óderim glóriam iniquórum, & quòd abóminer signum supérbiæ & glóriæ meæ. *Esther.* 14.

Oratio, suprà in Laud. Mat.

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ IN SABBATO,

Simplex.

In quibuslibet Sabbatis fiet Officium vel saltem Commemoratio de Beata V. exceptis Sabbatis Paschæ & Pentecostes.

IN VESPERIS

Feriæ VI. præcedentis,

Capitulum. Apoc. 12. 1.

Signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole; & luna sub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

Hymnus, Ave maris stella. *ut infrà in Officio parvo B. M.*

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, ℞. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. f. Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus. *Isaï.* 44.

Oratio, infrà ad Laud. Mat.

Deinde Commemoratio de Festo Simplici, si quod occurrat. Denique Commemorationes communes.

AD COMPLETORIUM,

Ut in Psalterio, præter ea quæ sequuntur.

Ad Psalmos Ant. 7. b. Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Hymnus, Virgo Dei génitrix, *ut infrà in Officio parvo.*

Si in Vesperis alicujus Festi facta est tantùm Commemoratio de Beata Maria, dicetur Hymnus, Virgo Dei génitrix, *si Festum non sit Domini.*

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 3. c. Lauda fília Sion, júbila Israël: Dóminus in médio tuî, non timébis malum ultrà. *Sophon.* 3.

AD NOCT.

Invitatorium, Jesum Christum de María natum * Veníte adorémus. *Matth.* 1.

Psalmus, 94. Veníte. *pag.* 1.

Hymnus, Quem terra, pontus, sídera, *ut infrà in Officio parvo. pag.* xcv.

Psalmi de Sabbato super

Ant. 8. c. Ait Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus. *Genes.* 3.

Ad Magníficat, Ant. 1. f, Dóminus fáciens & formans

Ant. 7. d. Ipsa cónteret caput tuum, & tu insidiáberis calcáneo ejus. *Ibid.*

Ant. 4. e. Benedícam ei, & ex illa dabo filium cúi benedictúrus sum, eritque in natiónes. *Genes.* 17.

℣. Dóminus dabit benignitátem, ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* 84.

Pater noster. Et ne nos.

Benedictio, Dóceat nos Dóminus de viis suis, qui per féminam ad níhilum redégit inimícos nostros. *Mich.* 4. *Judith.* 13. ℟. Amen.

Ex tribus Lectionibus de Scriptura occurrente fient duæ cum suis Responsoriis 1. *&* 3.

[¶ *Si occurrat Festum Simplex, è tribus Scripturæ occurrentis Lectionibus fiet una cum suo* ℟. 3. *Lectio ij. erit de B. V. Maria cum suo* ℟. *Lectio iij. de Festo Simplici cum suo* ℟.]

Lectio de B. V. Maria infrà juxta mensem, cum suo Responsorio.

Te Deum Laudámus.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerd.* Benedíctus Deus qui te diréxit in vúlnera cápitis ℟. Príncipis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13.

℣. Deus in adjutórium, *&c.*

Ant. 1. g. INgréssus Angelus ad Maríam, dixit: Ave grátiâ plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

An. 4. d. Quæ cùm audísset, turbáta est in sermóne ejus, & cogitábat qualis esset ista salutátio. *Ibid.*

Ant. 4. f. Ait Angelus ei: Ne tímeas María, invenísti enim grátiam apud Deum. *Ibid.*

Ant. 3. *a.* Ecce concípies in útero, & páries filium, & vocábis nomen ejus Jesum. *Ibid.*

Ant. 8. G. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13.

Capitulum. Jerem. 31. 32.

CReávit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum.

Hymnus, O gloriósa Dómina, *ut infrà in Officio parvo B. Virginis.*

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cælo prospéxit. *Ps.* 84.

Ad Benedíctus, *Ant.* 8. G. In me ancílla sua adimplévit Dóminus Deus noster misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël. *Judith.* 13.

A Nativitate Domini usque ad Purific. B. V. M.

Oratio.

BEáta témpora celebrántes, quæ per temporálem Unigéniti tui nativitátem & partum Maríæ Vírginis consecrásti; quæsumus Dómine ut ejúsdem Dei genitrícis in-

ercessióne & in illo renásci, t tanti mystérii fructum in obis júgiter conserváre meeámur; Per eúmdem Dóminum nostrum. *&c.*

Pro ejus Commemoratione quæ t ad Vesp. Fer. VI. Laud. & Miss. in Sabbato Temp. Pasch.

Oratio.

GRátiam tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infúnde, ut qui Angelo nuntiánte Christi filii tui incarnatiónem cognóvimus; per passiónem ejus & crucem, ad resurrectiónis ejus glóriam perducámur; Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Per annum Oratio.

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium, ut qui sanctæ Dei genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eúmdem Dóminum.

AD HORAS.

Hymni & Psalmi ut in Psalterio: Sed in fine hymnorum dicitur Doxol. Qui natus es de Vírgine, Jesu tibi sit glória.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Ingréssus Angelus.

Capitulum, & reliqua ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Ant. 4. d. Quæ cùm audísset.

Capitulum. Isai. 7. v. 13. & 14

AUdíte domus David: Dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℟. *br.* Ipse tamquam sponsus * Procédens de thálamo suo. ℟. Ipse. ℣. Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * Procédens. Glória. ℟. Ipse. ℣. A summo cælo egréssio ejus, ℟. Et occúrsus ejus usque ad summum ejus. *Ps.* 18.

AD SEXTAM.

Ant. 4. f. Ait Angelus ei.

Capitulum. Eccli. 24.

PRæcépit & dixit mihi Creátor ómnium; & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

℟. *br.* Deus in médio ejus; * Non commovébitur. ℟. Deus ℣. Adjuvábit eam Deus manè dilúculo. * Non. Glória Patri. ℟. Deus. ℣. Homo natus est in ea, ℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 45. & 86.

AD NONAM.

Ant. 8. G. In omni gente.

Capitulum. Cant. 6. 8.

VIdérunt eam fíliæ Sion, & beatíssimam prædicavérunt, & reginæ laudavérunt eam.

℟. *br.* Benedícta tu * Inter mulíeres. ℟. Benedícta. ℣. Et benedíctus fructus ventris tui * Inter. Glória. ℟. Benedícta.

℣. Gloriósa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Luc. 1. Ps. 86*

Officium de Beata terminatur ad Nonam.

LECTIONES SEQUENTES dicuntur singulis mensibus in Officio de B. Maria in Sabbato.

MENSE JANUARIO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Lectio iij. 2. de Nat.

HUmáno usu & consuetúdine, quod crédimus, caret; sed divínâ potestáte subníxum est, quòd Virgo concéperit, quòd Virgo pepérerit, & Virgo permánserit. Non hîc cogitétur patiéntis condítio, sed nascéntis arbítrium, qui sic homo natus est, ut volébat & póterat. Si veritátem quæris natúræ, humánam cognósce matériam: si ratiónem scrutáris oríginis, virtútem confitére divínam. Venit enim Dóminus Jesus Christus contágia nostra auférre, non pérpeti; nec succúmbere vítiis, sed medéri. Venit ut omnem languórem corruptiónis & univérsa úlcera sordéntium curáret animárum, propter quod opórtuit ut novo nascerétur órdine, qui novam impollútæ sinceritátis grátiam humánis corpóribus inferébat.

℟. iij. Impléti sunt dies Maríæ ut páreret, & péperit fílium suum primogénitum, * Et pannis eum invólvit, & reclinávit in præsépio. ℣. Péperit fílium suum másculum, qui rectúrus erat omnes gentes, * Et pannis. Glória. * Et pannis. *Luc. 2. Apoc. 12.*

MENSE FEBRUARIO.

Sermo S. Petri Chrysólogi.

Lectio iij. Serm. 148.

COncépit Virgo, Virgo péperit: non te concéptus turbet, partus te non confúndat audítus, quando virgínitas quidquid est humáni pudóris excúsat. Aut quæ ibi verecúndiæ læsio, ubi init Déitas cum amíca sibi semper integritáte consórtium; ubi est intérpres ángelus; fides prónuba; desponsátio, cástitas; donátio, virtus; judex, consciéntia; causa, Deus; concéptus, intégritas; virgínitas, partus; Virgo, mater? Nemo ergo júdicet humáno modo, quod divíno géritur sacraménto; nemo mystérium cæléste discútiat ratióne terrénâ.

℟. iij. Múlier, cùm expléti fúerint dies purificatiónis suæ, déferet agnum anniculum in holocaústum, & pullum colúmbæ sive túrturem pro peccáto: quòd si non potúerit, sumet * Duos túrtures, vel duos pullos columbárum. ℣. Postquàm impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, dedérunt hó-

...am secúndùm quod dictum in lege Dómini, * Duos. ...ória. * Duos. *Levit.* 12. ... 2.

MENSE MARTIO.

...mo S. Gregórii Nysséni. ... *in Nat. Christi. Lectio iij.*

AUdi pudícam Vírginis vocem. Angelus partum ...iat; at illa virginitáti in...et, & integritátem angé... demonstratióni antepo...dam júdicat, nec ángelo ...m non habet, nec à pro...ito recédit suo. Interdíxi ...quit) mihi consuetúdine ...i: quómodo istud erit mi..., quóniam virum non co...ósco? Hæc Maríæ vox, de...nstrátio est eórum quæ in ...últa história referúntur. Si ...m nuptiárum causâ ducta ...íísset à Joseph, quómodo pa...túram angelo prænuntiánti ...rem novam & aliénam au...re præ se tulísset, cùm ipsa quoque se se obstrinxísset natúræ lege ut aliquándo mater esset. Verùm quia carnem Deo consecratam, tamquam sanctum áliquod oblátum munus, oportébat intáctam integrámque præstáre; idcírco, Licèt (inquit) ángelus sis, licèt è cælo vénias, licèt id quod osténditur, natúram súperet humánam; tamen me virum cognóscere nefas est; quómodo sine viro mater ero? Joseph enim sponsum novi, sed virum non cognósco.

℞. iij. Missus est ángelus Gábriel à Deo ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph de domo David; & ingréssus ad eam ángelus dixit: * Ecce concípies in útero, & páries filium; & Fílius Altíssimi vocábitur. ℣. Quis audívit unquam tale? & quis vidit huic símile? * Ecce. Glória Patri. * Ecce. *Luc.* 1. *Is.* 66.



OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ,

Non dicitur quoties fit Officium Semiduplex, aut suprà, nec b initio Adventûs usque ad Purificationem, nec quando Offi- im diei est de Beata Virgine, nec à Dominica Passionis usque l Festum SS. Trinitatis.

Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur post singulas Horas diei.

AD NOCT.

Dómine lábia mea *&c.*

Invitatorium, Jesum Chri- tum de María natum * Vení- e adorémus. *Matth.* 1.

Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

Hymnus.



Uem terra, pontus, sídera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntē máchinam
Claustrum Maríæ bájulat.

Cui luna, sol, & ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátiâ,
Gestant puéllæ víscera.

Beáta mater múnere,
Cujus supérnus ártifex,
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta cæli núntio,
Fœcúnda sancto Spíritu,
Desiderátus géntibus,
Cujus per alvum fusus est.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu
In sempitérna sécula. Amen.

AD NOCT.

FERIA II. & V.

Dicuntur tres sequentes Psalmi sub unicâ

Ant. 1. *a.* Ecce tu pulcra es.

Psalmus 1.

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit;

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquàm lignum quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo;

Et fólium ejus non défluet; * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum;

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * & iter im-

piórum peribit.

Glória Patri, *&c.*

Psalmus 2.

QUare fremuérunt Gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Adstitérunt Reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * advérsùs Dóminum & advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus vincula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos, * & Dóminus subsannábit eos:

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ex eodem Psalmo 2.

EGo autem constitútus sum rex ab eo * super Sion montem sanctum ejus.

Prædicans præcéptum ejus; * Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus: * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Ecce tu pulcra es, amíca mea, ecce tu pulcra es, óculi tui columbárum. *Cant.* 1

℣. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi; ℟. Justítia & pax osculátæ sunt. *Ps.* 84.

FERIA III. *&* VI.

Dicuntur tres sequentes Psalmi sub unica

Ant. 2. Sicut lílium.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum, * & exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exsúrge Dómine salvum me fac, Deus meus:

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa, * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini

Dómini est salus;* & super pópulũ tuum benedíctio tua.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus;* orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo,

Quia ipse super mária fundávit eum,* & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini,* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde,* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino,* & misericórdiam à Deo salutári suo.

Ex eodem Psalmo 23.

HÆc est generátio quæréntium eum,* quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles,* & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ?* Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles, * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ?* Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. *Cant. 2.*

℣. Véritas de terra orta est,
℟. Et justítia de cælo prospéxit. *Ps. 84.*

FERIA IV. & SABBATO.

Dicuntur tres sequentes Psalmi sub unica

Ant. 2. Páriet María.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum,* cantáte Dómino omnis terra:

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus,* annuntiáte de die in diem salutáre ejus:

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus,* in ómnibus pópulis mirabília ejus,

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis,* terríbilis est super omnes deos;

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia,* Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulcritúdo in conspéctu ejus,* sanctimónia, & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Ex eodem Psalmo 95.

AFférte Dómino pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem,* afférte Dómino glóriam nómini ejus:

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus,* adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra:* dícite in gén-

tibus, quia Dóminus regnavit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur;* judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli & exúltet terra, * commoveátur mare, & plenitúdo ejus.

Gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt, * tunc exultábunt ómnia ligna silvárum

A fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Psalmus III.

BEátus vir, qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus,* generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus, * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis, * miséricors, & miserátor & justus.

Jucúndus homo qui miserétur, & cómmodat, dispónet sermónes suos in judício, * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus, * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus, * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in séculum séculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur, déntibus suis fremet & tabéscet, * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Páriet María fílium, & vocábis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. *Matth.* 1.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israël. *Ps.* 97.

Pater noster. *&c.*

Jube domne benedícere.

Benedictio.

Benedícat nos Dóminus Deus noster, qui in ancílla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël. *Judith.* 13. ℟. Amen.

Lectio j. *Luc.* 1.

MIssus est Angelus Gábriel à Deo, in civitátem Galilææ, cúi nomen Názaret, ad vírginem desponsátam viro, cúi nomen erat Joseph de domo David, & nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátiâ plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus.

℟. j. Ecce Virgo in útero habébit & páriet Fílium, * Et

vocábunt nomen ejus Emmánuel, quod est interpretátum, Nobíscum Deus. ℣. Habitábit cum homínibus, & ipsi pópulus ejus erunt: * Et vocábunt. *Matth.* 1. *Apoc.* 21.

Jube domne benedícere.

℞. Dóceat nos Dóminus de viis suis, qui per féminam ad níhilum redégit inimícos nostros. *Mich.* 4. *Judith.* 15. ℞. Amen.

Lectio ij.

QUæ cùm audísset, turbáta est in sermóne ejus: & cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum. Ecce concípies in útero, & páries Fílium, & vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & fílius Altíssimi vocábitur; & dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus, & regnábit in domo Jacob in ætérnum, & regni ejus non erit finis.

℞. ij. Benedícta es tu fília à Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram, * Quia nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum ℣. Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob; * Quia. *Judith.* 13.

Jube domne benedícere.

Deus det nobis illuminátos óculos cordis, ut sciámus quómodo exáltet húmiles. *Ephes.* 1. *Luc.* 1. ℞. Amen.

Lectio iij.

DIxit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque & quod nascétur ex te sanctũ, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabet cognáta tua, & ipsa concépit fílium in senectúte sua; & hic mensis sextus est illi quæ vocátur stérilis, quia non erit impossíbile apud Deum omne verbũ. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndùm verbum tuum.

℞. iij. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi magna † Qui potens est; & sanctum nomen ejus. ℣. Magnificáte Dóminum mecum, & exaltémus nomen ejus in idípsum. * Quia Glória. † Qui. *Luc.* 1. *Ps.* 33.

AD LAUDES MATUTINAS,

℣. *Sacerd.* Ave grátiâ plena, ℞. Dóminus tecum.

Ant. sola, 4. A. Sicut lux auróræ.

Psalmus 92.

DOminus regnávit, decórem indútus est; * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se.

Etenim firmávit orbem ter-

ræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc; * à século tu es.

Elevavérunt flúmina Dómine, * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris, * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuã decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Psalmus 99.

JUbiláte Deo omnis terra, * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis; * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus; * & usque in generatiónem, & generatiónem véritas ejus.

Psalmus 62.

DEus Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, quàm multiplíciter tibi caro mea * in terra desérta, & ínvia, & inaquósa.

Sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, * in matutínis meditábor in te:

Quia fuísti adjútor meus, * & in velaménto alárum tuárum exultábo.

Adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ; * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo, * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

Canticum. Judith. 13.

APeríte portas, quóniam nobíscum est Deus, * qui fecit virtútem in Israël.

Laudáte Dóminum Deum nostrum, * qui non deséruit sperántes in se;

Et in me ancílla sua adimplévit misericórdiam suam, * quam promísit dómui Israël;

Et interfécit in manu mea *

hostem pópuli sui.

Confitémini illi omnes, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Glória Patri.

Psalmus 148.

LAudáte Dóminum de cælis, * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus, * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol & luna: * laudáte eum omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum cæli cælórum: * & aquæ omnes quæ super cælos sunt.

Laudent nomen Dómini; * quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, & in séculum séculi; * præcéptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes & omnes abyssi,

Ignis, grando, nix, gláciés, * spíritus procellárum, quæ fáciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles, * ligna fructífera & omnes cedri;

Béstiæ & univérsa pécora, * serpéntes, & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli, * príncipes, & omnes júdices terræ.

Júvenes, & vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini, * quia exaltátum est nomen ejus solíus:

Conféssio ejus super cælum & terram, * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus: * fíliis Isräel, pópulo appropinquánti sibi.

Glória Patri.

Ant. Sicut lux auróræ, oriénte sole manè absque núbibus rútilat. 2. *Reg.* 23.

Capitulum. *Cant.* 6.

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens: pulcra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℟. Deo grátias.

Hymnus.

O Glorióſa Dómina,
Excélsa super sídera,
Qui te creávit próvidè,
Lactásti sacro úbere.

Quod Eva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

Tu regis alti jánua:
Et porta lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ plaudite.

María mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et horâ mortis súscipe.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.

℣. Adjuvábit eam Deus ℟. Manè dilúculo. *Pf.* 45.

Ad Benedíctus, *Ant.* 5. a. Benedíctus Dóminus qui te dixéxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum ángelo annuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eúmdem.

AD PRIMAM.

Deus in adjutórium, *&c.*

Hymnus.

MEménto salútis Autor,
Quòd nostri quondam córporis,
Ex illibáta Vírgine
Nascéndo, formam súmpseris.

María mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et horâ mortis súscipe.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu tibi sit glória,
Cum Patre, cúmque Spíritu,
In sempitérna sécula. Amen.

Ant. 1. *f.* In me ancilla sua.

Psalmus 118.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutántur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum;

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ * ad custodiéndas justificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam, * non me derelínquas usquequáque.

Ex eodem Psalmo 118.

IN quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te, * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine, * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis pronuntiávi * ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor, * non oblivíscar sermónes tuos.

Ex eodem Psalmo 118.

RETríbue servo tuo, viví-fica me; * & custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra, * non abscóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpásti supérbos, * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum, * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur: * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis,

Nam & testimónia tua meditátio mea est, * & consílium meũ justificatiónes tuæ.

Glória Patri.

Ant. In me ancílla sua adimplévit Dóminus Deus noster misericórdiam suam, quã promísit dómui Israël. *Judith.* 13.

Capitulum. *Gen.* 3. 15.

INimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus: ipsa cónteret caput tuum.

℟. *br.* Ipse tamquam sponsus * Procédens de thálamo suo, ℟. Ipse. ℣. Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * Procédens. Glória Patri. ℟. Ipse.

℣. A summo cælo egréssio ejus. ℟. Et occúrsus ejus usque ad summum ejus. *Ps.* 18. & 5.

Oratio.

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium, ut qui sanctæ Dei genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eúmdem Dóminum.

AD TERTIAM.

Deus in adjutórium, *&c.*

Hymnus, Meménto salútis Autor. *ut suprà ad Primam.*

Ant. 2. Péperit María.

Ex Psalmo 118.

ADhæsit paviménto ánima mea, * vivífica me secúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudísti me, * doce me justificatiónes tuas:

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me, * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio, * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * & de lege tua miserére meî.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis Dómine, * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatásti cor meum.

Ex eodem Psalmo 118.

LEgem pone mihi Dómine viam justificatiónum tuárum, * & exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, & scrutábor legem tuam, * & custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem, * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod suspicátus sum, * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua, * in æquitáte tua vivífica me.

Ex eodem Psalmo 118.

ET véniat super me misericórdia tua, Dómine, * salutáre tuum secúndùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum, * quia sperávi in sermónibus tuis;

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque, * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper, * in séculum, & in séculum séculi.

Et ambulábam in latitúdine, * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi, * & exercébar in justificatiónibus tuis.

Ant. Péperit María fílium suum primogénitum. *Luc.* 2.

Capitulum. *Galat.* 4.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex muliére, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórũ reciperémus.

℟. *br.* Homo & homo* Natus est in ea, ℟. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam Altíssimus. * Natus. Glória Patri. ℟. Homo.

℣. Sanctimónia & magnificéntia ℟. In sanctificatióne ejus. *Ps.* 86. & 95.

Oratio.

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúndâ, humáno géneri præmia præstitísti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per

quam merúimus Autórem vitæ suscípere Dóminum nostrum JesumChristum Fílium tuum, Qui tecum.

AD SEXTAM.

Deus in adjutórium, *&c.*

Hymnus, Meménto salútis Autor. *ut suprà ad Primam.*

Ant. 2. Dixit mater Jesu.

Ex Psalmo 118.

MEmor esto verbi tui servo tuo,* in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea, * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant usquequáque, * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à século Dómine, * & consolátus sum.

Defáctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam:

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui Dómine, * & custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi, * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Ex eodem Psalmo 118.

POrtio mea Dómine, * dixi, custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo, * miserére meî secúndùm elóquiũ tuum.

Cogitávi vias meas, * & convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus,* ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me, * & legem tuam non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ Dómine plena est terra, * justificatiónes tuas doce me.

Ex eodem Psalmo 118.

BOnitátem fecísti cum servo tuo Dómine, * secúndùm verbum tuum.

Bonitátem & disciplínam, & sciéntiam doce me, * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquàm humiliárer, ego delíqui,* proptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu, * & in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum, * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum, * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me, * ut discam justifica-

tiónes tuas,

Bonum mihi lex oris tui * super míllia auri & argénti.

Ant. Dixit mater Jesu, Quæcúmque díxerit vobis, fácite. *Joan.* 2.

Capitulum. Judith. 13. 31.

Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

℟. *br.* Elégit eam Dóminus * In habitatiónem sibi. ℟. Elégit. ℣. Hîc habitábo quóniam elégi eam * In. Glória. ℟. Elégit. ℣. Deus in médio ejus, ℟. Non commovébitur. *Ps.* 131. & 45.

Oratio.

Cordibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde; & intercedénte sanctíssimâ Dei genitríce María, córpora nostra castitáte, & mentes nostras humilitáte & cáritáte sanctífica; Per eúmdem.

AD NONAM.

Deus in adjutórium. &c.

Hymnus, Meménto salútis Autor. *ut suprà ad Primam.*

Ant. 8. *g.* Beátus venter.

Ex Psalmo 118.

Manus tuæ fecérunt me & plasmavérunt me: * da mihi intelléctum, & discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur, * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me * secúndùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam, * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me, * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Ex eodem Psalmo 118.

Defécit in salutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes: Quando consoláberis me.

Quia factus sum sicut uter in pruína, * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes, * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas, * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me,

Paulò minus consummavérunt me in terra, * ego autem

non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm misericórdiam tuam vivífica me, * & custódiam testimónia oris tui.

Ex eodem Psalmo 118.

IN ætérnum Dómine, * verbum tuũ pérmanet in cælo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundásti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies, * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditátio mea est, * tunc fortè periíssem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíscar justificatiónes tuas, * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac, * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres, ut pérderent me, * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem, * latum mandátum tuum nimis.

Ant. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti! Quin immò beáti qui aúdiunt verbum Dei, & custódiunt illud. *Luc.* 11.

Capitulum. *Cant.* 6.

VIdérunt eam filiæ Sion, & beatíssimam prædicavérunt, & reginæ laudavérunt eam. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Benedícta tu * Inter mulíeres. ℟. Benedícta tu. ℣. Et benedíctus fructus ventris tui * Inter. Glória. * Benedícta.

℣. Gloriósa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Lu.* 1. *Ps.* 86.

Oratio.

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce; & qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur: Per eúmdem.

AD VESPERAS.

Deus in adjutórium. *&c.*

Ant. sola, 4 A. Benedícta tu.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo; * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, * Tu es sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedec.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet, * proptéreà exaltábit caput.

Psalmus 110.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo * in concílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquisita in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus, * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hereditátem géntium, * ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Ex eodem Psalmo 110.

FIdélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo, * mandávit in ætérnũ testaméntum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus; * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum, * laudátio ejus manet in séculum séculi.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum * ex hoc nunc & usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * & super cælos glória ejus.

Ex eodem Psalmo 112.

QUis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in in cælo & in terra?

Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui;

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Capitulum. *Judith.* 13.25

BEnedíctus Dóminus, quia nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Hymnus.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,

Mutans nomen Evæ.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Vultum tuum deprecabúntur ℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Ad Magníficat, *Ant.* 8. *G.* Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

Oratio.

Beátæ & gloriósæ sempérque vírginis Maríæ, quæsumus Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per Dóminum.

Ad Completorium.

Convérte nos Deus, *&c.*

Ant. 7. *b.* Beáta, quæ credidísti.

Psalmus 113.

In éxitu Israël de Ægypto, * domus Jacob de pópulo bárbaro,

Facta est Judæa sanctificátio ejus,* Israël potéstas ejus.

Mare vidit & fugit, * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exultavérunt ut aríetes,*& colles sicut agni óvium.

Quid est tibi mare, quod fugísti? * & tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum!

Montes exultástis sicut aríetes,* & colles sicut agni óviũ.

A fácie Dómini mota est terra, à fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Ex eodem Psalmo 113.

Non nobis Dómine, non nobis, * sed nómini tuo da glóriam super misericórdia tua, & veritáte tua;

Nequándo dicant gentes,* Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cælo: * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium, argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient; * nares habent, & non odorábunt.

Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Ex eodem Psalmo 113.

Domus Israël sperávit in Dómino, * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Domus Aáron sperávit in Dómino, * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostrî, * & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Israël, * benedíxit dómui Aáron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos, & super fílios vestros.

Benedícti vos à Dómino, * qui fecit cælum & terram.

Cælum cæli Dómino, * terram autẽ dedit fíliis hóminũ.

Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui descéndunt in inférnum.

Sed qui nos vívimus, benedícimus Dómino * ex hoc nunc & usque in séculum.

Ant. Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Capitulum. *Apoc.* 12.

Peperit Múlier fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea, & raptus est fílius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.

Hymnus.

Virgo Dei génitrix,
Quem totus non capit orbis,
In tua se clausit
Víscera, factus homo.

Vera fides géniti
Purgávit crímina mundi;
Et tibi virgínitas
Invioláta manet.

Te matrem pietátis,
Opem te flágitat orbis;
Subvénias fámulis,
O benedícta, tuis.

Glória magna Patri;
Compar tibi glória, Nate;
Compar Spirítui;
Glória magna Deo. Amen.

℣. Surge Dómine in réquiem tuam, ℟. Tu & arca sanctificatiónis tuæ. *Ps.* 131.

Ad Nunc dimíttis *Ant.* 1. *g.* Intulérunt arcam fœderis Dómini in locum suum, in Sanctum Sanctórum subter alas Chérubim. 3. *Reg.* 8.

Orémus. *Oratio.*

Omnípotens sempitérne Deus, nos fámulos tuos déxterâ poténtiæ tuæ à cunctis prótege perículis; & beátâ Maríâ semper Vírgine intercedénte, fac nos præsénti gaudére prosperitáte, & futúrâ; Per Dóminum.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

AD VESPERAS,

Absolutè incipitur ab Antiphona 3. to. c. Placébo.

Psalmus 114.

DIlexi, * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni; * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam; * miséricors Dóminus & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus, * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Réquiem ætérnam dona eis Dómine, * & lux perpétua lúceat eis.

Et sic in fine omnium Psalmor.

Ant. Placébo Dómino in regióne vivórum. *Ibid.*

Ant. 2. Tu formásti me.

Psalmus 138.

DOmine probásti me, & cognovísti me; * tu cognovísti sessiónem meam, & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè, * sémitam meam & funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia novíssima, & antíqua, * tu formásti me, & posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es; * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris.

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Ant. Tu formásti me, & posuísti super me manum tuã. *Ibi.*

Ant. 8. d. Substántia mea.

Ex eodem Psalmo 138.

ET dixi, Fórsitan ténebræ conculcábunt me, * & nox illuminátio mea in delíciis meis,

Quia ténebræ non obscurabúntur à te, & nox sicut dies illuminábitur; * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos, * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occúlto,* & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui :*& in libro tuo omnes scribéntur; dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui Deus; * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur: * exsurréxi, & adhuc sum tecum.

Ant. Substántia mea in inferióribus terræ. *Ibid.*

Ant. 8. G. Deduc me Dómine.

Ex eodem Psalmo 138.

SI occíderis Deus peccatóres; * viri sánguinum declináte à me,

Quia dícitis in cogitatióne, * Accípient in vanitáte civitátes suas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos; * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum;* intérroga me, & cognósce sémitas meas.

Et vide si via iniquitátis in me est, * & deduc me in via ætérna.

Ant. Deduc me Dómine in via ætérna. *Ibid.*

Ant. 2. Tu es spes mea.

Psalmus 141.

VOce mea ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam: * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio

In deficiéndo ex me spíritum meum: * & tu cognovísti sémitas meas.

In via hac qua ambulábam, *abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, & vidébam, * & non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me, * & non est qui requírat ánimam meã.

Clamávi ad te Dómine, * dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem

meam, * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me, * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo : * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium. *Ibid.*

℣. Educ de custódia ánimã meam ℟. Ad confitendum nómini tuo, Dómine. *Ps.* 141.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. a. Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; & eum qui venit ad me, non ejíciam foras. *Joan.* 6.

Deinde dicitur Pater noster. ℣. *& Oratio vel Orationes infrà in Laud. Matut.*

Et in fine repetitur Dóminus vobíscum. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD VIGILIAS,

Invitat. Deum, cúi omnes vivunt, * Veníte adorémus. *Luc.* 20.

Psalmus 94. Veníte. *p.* 1.

In fine Psalmorum loco Gloria Patri dicitur Réquiem ætérnam. *&c. ut suprà in Vesperis.*

IN I. NOCT.

pro Feria II. & V.

Ant. 7. ç. Miríſica.

Psalm 16.

EXaúdi Dómine justítiam meam, * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meũ pródeat, * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, & visitásti nocte; * igne me examinásti, & non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum * ópera hóminum :

Propter verba labiórũ tuórum * ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me Deus; * inclina aurem tuam mihi, & exaúdi verba mea.

Miríſica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te à resisténtibus déxteræ tuæ.

Custódi me ut pupíllam óculi, * sub umbra alárũ tuárum prótege me.

A fácie impiórum qui me afflixérunt, * inimíci mei ánimam meam circumdedérunt.

Adipem suũ conclusérunt; * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me, sicut leo parátus ad prædam, * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge Dómine, præveni eum, & supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis: * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cum apparúerit glória tua.

Ant. Mirífica misericórdias tuas Dómine, qui salvos facis sperántes in te.

Ant. 8. G. Delícta.

Psalmus 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam; * Deus meus in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei; * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas Dómine demónstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me, * quia tu es Deus Salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine, * & misericordiárum tuárum, quæ à século sunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto meî tu * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus, * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via;

Díriget mansuétos in judício, * docébit mites vias suas.

Ant. Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris Dómine.

Ant. 8. d. Propter nomen tuum.

Ex eodem Psalmo 24.

UNivérsæ viæ Dómini, misericórdia & véritas, * requiréntibus testaméntum ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum, * & testaméntũ ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére meî, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt, * de neces-

tátibus meis érüe me.

Vide humilitátem meam & labórem meum, * & dimítte univérsa delícta mea;

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me;

Custódi ánimam meam, & érüe me; * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera Deus Israël * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo. *Ibid.*

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; ℟. Et ánimas paúperum tuórum ne oblivíscáris in finem. *Ps.* 73.

Pater noster. *totum secretò.*

[*Lectiones leguntur sine Benedictionibus & sine Titulo.*]

Lectio j. *Job.* 7.

PArce mihi Dómine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum; aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam salívam meam? Peccávi. Quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; & si mánè me quæsíeris, non subsístam.

Non additur, Tu autem, in fine Lectionum.

℟. *j.* Scio quòd Redémptor meus vivit: & in novíssimo die de terra surrectúrus sum; * Et in carne mea vidébo Deum meum. ℣. Quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius; * Et in. *Job.* 19.

Lectio ij. *Job.* 10.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ, dimíttam advérsùm me elóquium meum. Loquar in amaritúdine ánimæ meæ; dicam Deo, Noli me condemnáre. Indica mihi, cur me ita júdices? Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórũ ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt; aut sicut videt homo, & tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis, dies tui; & anni tui sicut humána sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo, qui de manu tua possit erúere.

℟. *ij.* Qui dórmiunt in terræ púlvere, evigilábunt, * Alii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium ut vídeant semper. ℣. Procédent qui bona fe-

cérunt, in resurrectiónem vitæ; qui verò mala egérunt, in resurrectiónem judícii;* Alii.
Dan. 1. *Joan.* 5.

Lectio iij. *Job.* 10.

Manus tuæ, Dómine, fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu, & sic repéntè præcípitas me? Meménto quæso, quòd sicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, & sicut cáseum me coagulásti? Pelle & cárnibus vestísti me, óssibus & nervis compegísti me. Vitam & misericórdiam tribuísti mihi, & visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. iij. Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur: ámodò enim jam dicit Spíritus * Ut requiéscant à labóribus suis. ℣. Sancta ergo & salúbris est cogitátio, pro defúnctis exoráre, * Ut.

In II. Noct.

Pro Fer. III. & VI.

Ant. 2. In médio.

Psalmus 22.

Dominus regit me, & nihil mihi déerit, * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me,* ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ * propter nomen suum.

Nam etsi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus* ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ,

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniam tu mecum es.

Ant. 4. e. Credo vidére.

Psalmus 26.

Dominus illuminátio mea, & salus mea: * Quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ: * A quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt

Si consístant advérsùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsùm me prælium,*in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in

omo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ ;

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malorum protéxit me, in abscóndito tabernáculi mei.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis, * cantábo, & psalmum dicam Dómino.

Exaúdi Dómine vocem meam, quâ clamávi ad te ; * miserére meî, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum, Exquisívit te fácies mea ; * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me : * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelínquas me; * neque despícias me Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, & mater mea dereliquérunt me ; * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua, * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me, * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age, * & confortétur cor tuum ; & sústine Dóminum.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

Ant. 2. Ne simul trahas me.

Psalmus 27.

AD te Dómine clamábo, Deus meus ne síleas à me ; * nequándo táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exaúdi Dómine vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te ;* dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus,* & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo ; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndùm ópera eórum, * & secúndùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tribue illis, * redde retributiónem eórum ipsis,

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus:* déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, &

protéctor meus :* in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum,

Et reflóruit caro mea, * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * & protéctor salvatiónum christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ; * & rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.

Ant. Ne simul trahas me cum peccatóribus, & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

℣. In memória ætérna erit justus, ℟. Ab auditióne mala non timébit. *Ps.* 111.

Pater noster. *totum secretò.*

Lectio iv. Job. 13.

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta: scélera mea & delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, & stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meũ, & observásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meórum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum, & quasi vestiméntum quod coméditur à tinea.

℟. *iv.* Non resúrgent ímpii in judício, neque peccatóres in concílio justórum: * Quóniam novit Dóminus viam justórum, & iter impiórum períbit. ℣. Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur: * Quóniam. *Ps.* 1. *Cor.* 15.

Lectio v. Job. 14.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis mi.sériis. Qui quasi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde paúlulum ab eo, ut quiéscat; donec optáta véniat, sicut mercenárii, dies ejus.

℟. *v.* Non intres in judícium cum servo tuo; * Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. ℣. *Si dixérimus quia peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus, & véritas in nobis non est:* * Quia. *Ps.* 142. 1. *Joan.* 1.

Lectio vj. *Job.* 14.

QUis mihi hoc tribuat,ut in inférno prótegas me, abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, & constítuas mihi tempus, in quo recordéris meì? Putásne mórtuus homo rursum vivat?cunctis diébus, quibus nunc mílito, exspécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego respondébo tibi: óperi mánuum tuarũ pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. *vj.* Omnes nos manifestari opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, * Proüt gessit sive bonum, sive malum.

℣. Servatórem ánimæ nihil fallit, reddétque hómini juxta ópera sua, * Proüt. 2. *Cor.* 5. *Proverb.* 24.

IN III. NOCT.

Pro Feria IV. & Sabbato.

Ant. 2. Amove à me.

Psalmus 38.

DIxi: Custódiã vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cum consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis: * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, & in meditatióne mea exardéscet ignis: * locútus sum in lingua mea:

Notum fac mihi Dómine finem meum, & númerum diérum meórum quis est? * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos: * & substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo; * sed & frustrà conturbátur;

Thesaurízat; * & ignórat cúi congregábit ea.

Et nunc, quæ est exspectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me, * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu fecísti:

Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manûs tuæ egò deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuísti hóminem, & tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam Dómine, * & deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe lácrymas meas, * ne síleas:

Quóniam ádvena ego sum

apud te & peregrinus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi ut refrígerer, priúsquàm ábeam; * & ámpliùs non ero.

Ant. Amove à me plagas tuas; aúribus pércipe lácrymas meas. *Ibid.*

Ant. 2. Numquid qui dormit.

Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & paúperem: * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus; * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine miserére meî, * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur; * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * & loquebátur in idípsum.

Advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei, * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me, * Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére meî, & resúscita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti, * & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël à sǽculo, & usque in sǽculum, * fiat, fiat.

Ant. Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat? Dómine miserére meî, & resúscita me.

Ant. 8. G. Sitívit.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum; * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie, Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam * quóniam,

* quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis * sonus epulántis :

Quare tristis es ánima mea, * & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi ; * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est : * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam ; * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ ; * dicam Deo, Suscéptor meus es ;

Quare oblítus es meî ? & quare contristátus incédo, * dum affligit me inimícus ?

Dum confringúntur ossa mea, exprobravérunt mihi, * qui tribulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies, * Ubi est Deus tuus ?

Quare tristis es ánima mea, * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Sitivit ánima mea ad Deum fortem, vivum : quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ?

℣. Credo vidére bona Dómini ℟. In terra vivéntium. *Ps.* 26.

Pater noster. *totum secretò.*

Lectio vij. *Job.* 17.

SPíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur : & solum mihi súperest sepúlcrum. Non peccávi, & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me Dómine, & pone me juxta te, & cujúsvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquéntes cor meũ. Noctem vertérunt in diem, & rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, & in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, & patiéntiam meam quis consíderat ?

℟. vij. Numquid homo, Dei comparatióne justificábitur, aut Factóre suo púrior erit vir ? * Ecce qui sérviunt ei non sunt stábiles, & in ángelis suis répperit pravitátem. ℣. Quantò magis hi qui hábitant domos lúteas, qui terrénum habent fundaméntum, consuméntur velut à tínea ; & in ætérnũ peribunt ? Ecce. Job 4.

Lectio viij. *Job.* 19.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum, & derelícta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat, ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det, ut exaréntur in libro stylo férreo, & plumbi láminâ, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quod Redémptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum; & rursum circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius. Repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. viij. Non intres in judícium cum servo tuo, Dómine, * Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. ℣. Si iniquitátes observáveris Dómine, Dómine quis sustinébit? * Quia non. *Ps.* 142. *&* 129.

Lectio ix. *Job.* 10.

QUare de vulva Deus eduxísti me? Qui útinam consúmptus essem, ne óculus me vidéret. Fuíssem, quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non paucitas dierum meórum finiétur brevi? Dimítte ergo me, ut plangam páululùm dolórem meum: ántequàm vadam, & non revértar, ad terram tenebrósam, & opértam mortis calígine: terram misériæ & tenebrárum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

℟. ix. Líbera me Dómine, de morte ætérna, * In die illa treménda, † Quando cæli movéndi sunt, & terra. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitátis & misériæ, dies magna & amára valde, † Quando. ℣. Quid ergo misérrimus, quid dicam, vel quid fáciam? dum nil boni pérferam, ante tantum Júdicem * In die. ℣. Vix justus salvábitur: & ego miser ubi parébo? *Repetitur* ℟. Líbera. *usque ad primum Versum.*

AD LAUDES MATUTINAS,

Absolutè incipitur

Ant. 8. G. Exultábunt.

Psalmus 50.

MIserére meî Deus * secúndùm magnam misericórdiam tuam;

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me,

Quóniam iniquitátem meá ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci, * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti, * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor; * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam, * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, * & spíritum rectum innova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua, * & Spíritum sanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui, * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluíisses sacrifícium, dedíssem útique: * holocaústis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus; * cor contrítum & humiliátum Deus non despícies.

Benígnè fac Dómine in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrificiũ justítiæ, oblatiónes & holocaústa; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Exultábunt Dómino ossa humiliáta. *Ps.* 50.

Ant. 8. d. Dóminus.

Psalmus 117.

CONfitémini Dómino quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aáron; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor, * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor, * & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in prin-

cipibus.

Omnes gentes circuiérunt me, * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me: * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis, * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Impúlsus, evérsus sum ut cáderem, * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea, Dóminus, * & factus est mihi in salútem,

Ant. Dóminus factus est mihi in salútem. *Ps.* 117.

Ant. 2. Aperíte.

Ex eodem Psalmo 117.

Vox exultatiónis & salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam, * & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus, * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ, * ingréssus in eas, confitébor Dómino.

Hæc porta Dómini, * justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factũ est istud, * & est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dóminus, * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine salvum me fac, ô Dómine bene prosperáre, * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini, * Deus Dóminus & illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi, * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Ant. Aperíte mihi portas justítiæ; & ingréssus in eas, confitébor Dómino. *Ps.* 117.

Ant. 4. ℟. Eruísti.

Canticum. Ezechiæ. Is. 38.

Ego dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi, * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi, Non vidébo Dóminum Deum in terra vivea,

tium, * non aspíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, * & convolúta est à me, quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut à texénte vita mea: dum adhuc ordírer, succídit me: * de manè usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad manè, quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea; * de manè usque ad vésperam fínies me.

Sicut pullus hirúndinis sic clamábo, * meditábor ut colúmba.

Attenuáti sunt óculi mei suspiciéntes in excélsum: * Dómine vim pátior, respónde pro me.

Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit? * recogitábo tibi omnes annos meos in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei, * corrípies me, & vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima; * tu autem eruísti ánimam meam ut non períret, projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te: * non exspectábunt, qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine salvum me fac, * & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Eruísti Dómine ánimam meam ut non períret. *Is.* 38.

Ant. 7. b. Ad te omnis caro véniet.

Psalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaúdi oratiónem meam; * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, & assumpsísti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaúdi nos Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt, qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus

matutíni & véspere delectábis.

Visitásti terram, & inebriásti eam; * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum: * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti, * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Ad te omnis caro véniet: beátus quem elegísti & assumpsísti, inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

℣. Oculi Dómini super metuéntes eum, ℟. Ut éruat à morte ánimas eórum. *Ps.* 32.

Ad Benedíctus, *Ant.* 2. Ego sum Resurréctio, & Vita: qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætérnum. *Joan.* 11.

Pater noster. *secretò; deinde mediocri voce,* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui inter Apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos Pontificáli, [*seu* Sacerdotáli] fecísti dignitáte vigére; præsta quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

Deus véniæ largítor & humánæ salútis amátor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, & benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beátâ Maríâ semper Vírgine intercedénte cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtiū perveníre concédas.

Fidélium Deus ómnium Cónditor & Redémptor, animábus ómnium fidelium defunctórum remissiónē cunctórum tríbue peccatórum, ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur; Qui vivis & regnas Deus per ómnia sǽcula seculórum.

℟. Amen.

[*In die Depositionis Defuncti dicitur*

Oratio.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimam fámuli tui N. ut defúnctus século, sibi vivat: & quæ per fragilitátem carnis humánâ conversatióne peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Dóminum.

Pro uno Defuncto *Oratio.*

INclína Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui N. quam de hoc século migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & sanctórum tuórum júbeas esse consórtem; Per Dóminum.

Pro una Defuncta *Oratio.*

QUæsumus Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ N. & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ salvatiónis partem restítue; Per Dóminum.

In Anniversario Die. *Oratio.*

DEus indulgentiárum Dómine, da [animábus famulórum famularúmque tuárum quorum] anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum.

Si pro uno tantùm fit Anniversarium, dicatur in singulari numero [Animæ fámuli tui, *vel* fámulæ tuæ cujus] *&c.*

Similiter in Orat. Deus qui qui inter Apostólicos Sacerdótes, *si fuerit Episcopus, omittitur* seu Sacerdotáli; *Si tantùm Sacerdos, omittititur* Pontificáli, *seu.*

Pro fratribus verò & familiaribus, vel benefactoribus dicitur Oratio Deus véniæ largítor. *ut suprà.*

Privatim pro patre & matre defunctis

Oratio.

DEus qui nos patrem & matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter animábus patris ac matris meæ, eorúmque peccáta dimítte: méque eos in ætérnæ claritátis gaúdio fac vidére; Per Dóminum.

Si fit pro pluribus; dicatur, Animábus paréntum nostrórum. *& ubi dicitur* méque, *dicatur* nósque. *Si pro patre tantùm*: ánimæ patris mei, *vel*, nostri. *Si pro matre tantùm, dicatur*, ánimæ matris meæ, *vel*, nostræ.

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

PSALMI GRADUALES.

Dicuntur quinque primi Psalmi sine Gloria Patri; sed in fine

ultimi dicitur, Réquiem ætérnam, *&c.*

Incipitur absolutè, sine Antiphona.

Psalmus.

AD Dóminum cùm tribulárer. *pag.* 56.

Ps. Levávi óculos meos. *Ib.*

Ps. Lætátus sum. *pag.* 77.

Ps. Ad te levávi. *Ibid.*

Ps. Nisi quia Dóminus. *p.* 78

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Deinde dicitur flexis genibus Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. A porta ínferi ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória inter sanctos & eléctos tuos resuscitáti respírent; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Dictâ Oratione, statim dicuntur sequentes quinque Psalmi absolutè: & in fine cujuslibet Psalmi dicitur, Glória Patri.

Ps. Qui confídunt. *p.* 78.

Ps. In convertendo. *Ibid.*

Ps. Nisi Dóminus. *pag.* 96.

Ps. Beáti omnes. *Ibid.*

Ps. Sæpe expugnavérunt. *Ib.*

Finito ultimo Psalmo, dicitur flexis genibus, Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster. *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Meménto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEus, cúi proprium est miseréri semper & párcere, súscipe deprecatiónem nostram; ut nos & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat; Per Christum.

℟. Amen.

Deinde absolutè ut suprà dicuntur quinque Psalmi.

Et in fine cujuslibet Psalmi dicitur Glória Patri.

Ps. De profúndis. *p.* 97.

Ps. Dómine, non est exaltátum. *Ibid.*

℣. Meménto Dómine. *p.* 114.
℣. Ecce quàm bonum. *p.* 115.
℣. Ecce nunc benedícite Dóminum. *p.* 31.

Finito ultimo Psalmo dicitur flexis genibus Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster. *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus sperántes in te.

℣. Dómine exaúdi.

℣. Dóminus vobíscum.

Oratio.

PRæténde, quæsumus Dómine fámulis, & famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii: ut te toto corde perquírant, & quæ dignè póstulant, cónsequi mereántur; Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ
ante decessum.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Sancta María, Ora pro eo, [*vel* ea.]
Omnes sancti Angeli & Archángeli Dei, oráte.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórũ, oráte.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriárchæ & Prophétæ Dei, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelístæ Dómini, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocẽtes, oráte
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Ciryce, ora.
Sancte Lauréntì, ora.
Omnes sancti Mártyres Dómini, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Agrícola, ora.
Omnes sancti Pontífices, oráte
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Mónachi, & Anachorétæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora.
Sancta Thecla, ora.
Sancta Julítta, ora.
Omnes sanctæ Vírgines, & Víduæ, oráte.
Omnes sancti, & sanctæ Dei, Intercédite pro eo, [*vel* ea.]
Propítius esto, Parce ei Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, [*vel* eam,] Dómine.
Ab ira tua, Líbera.
A mala morte, Líbera.
A perículo mortis, Líbera.
A pœnis inférni, Líbera.

Ab omni malo, Líbera.
A potestáte diáboli, Líbera.
Per Nativitátem tuam, Líbera.
Per Crucem & Passiónem tuam, Líbera.
Per Mortem & sepultúram tuam, Líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, Líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, Líbera.
Per grátiam Spíritûs sancti Paracléti, Líbera.
In die judícii, Líbera.
Peccatóres, Te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, Te rogámus audi nos.
Kyrie eléison. Christe eléison.
Kyrie eléison.

Deinde cum in agone sui exitûs anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes;

Oratio.

PRoficíscere ánima Christiána de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit; in nómine Jesu Christi filii Dei vivi, qui pro te passus est; in nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est; in nómine Angelórum & Archangelórum; in nómine Thronórum & Dominatiónum; in nómine Principátuum, & Potestátum; in nómine Chérubim & Séraphim; in nómine Patriarchárum & Prophetárum; in nómine Sanctórum Apostolórum & Evangelistárum; in nómine Sanctórum Mártyrum, Confessórum, & Pontíficum; in nómine sanctórum Clericórum, Eremitárum & Monachórum; in nómine Sanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, & habitátio tua sit in sancta Sion; Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.
℞. Amen.

Oratio. Orémus.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus qui secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remissiónis evácuas: réspice propítius super hunc fámulum tuum [*vel* hanc fámulam tuam] N. & remissiónem ómnium peccatórum suórum totâ cordis confessióne poscéntem deprecátus exaúdi. Rénova in eo, [*vel* ea,] piíssime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum est; & unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére Dómine gemítuum, miserére lacrymárũ ejus: & non habéntem fidúciam nisi in misericórdia tua, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admitte; Per Christum Dóminum nostrum.
℞. Amen.

COmmendo te omnipoténti Deo, caríssime frater [*vel* caríssima soror,] & ei, cujus es creatúra, commítto: ut cùm humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore spléndidus Angelórum cœtus occúrrat; Judex Apostolórum tibi Senátus advéniat; candidatórum tibi Mártyrũ triumphátor exércitus óbviet; liliáta rutilántium te Justórum turma circúmdet; jubilántium te Vírginum chorus excípiat; & beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus adstríngat; mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi teterrimus sátanas cum satellítibus suis, in advéntu tuo te comitántibus Angelis contremíscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exsúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus, & fúgiant, qui odérunt eum, à fácie ejus. Sicut déficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à facie Dei; & justi epuléntur & exúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur & erubéscant omnes tartáreæ legiónes, & minístri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifixus est. Líberet te ab ætérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intra paradísi sui semper amœna viréntia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, & præsens semper ei assístens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. Constitútus, [*vel* constitúta] ígitur inter ágmina beatórũ, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sécula seculórum. ℟. Amen.

Oratio. Orémus.

SUscipe Dómine servum tuum [*vel* ancíllam tuam] in locum sperándæ sibi salvatiónis à misericórdia tua.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui ex ómnibus perículis inferni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimã servi tui, sicut liberásti Enoch & Eliam de commúni morte

mundi. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimã servi tui, sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimã servi tui, sicut liberásti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Isaac de hóstia, & de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Lot de Sódomis & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis Regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimã servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Susánnã de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti David de manu regis Saül, & de manu Góliæ. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimã servi tui, sicut liberásti Petrum & Paulũ de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam Vírginem & Mártyrem tuam, de atrocíssimis torméntis liberásti: sic liberáre dignéris ánimam servi hujus, & tecum fácias in bonis congaudére cæléstibus. ℟. Amen.

Oratio.

Commendámus tibi Dómine ánimam fámuli tui, [*vel* fámulæ tuæ] N. precamúrque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce Dómine creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo, & vero: quia non est álius deus præter te, & non est secúndùm ópera tua. Lætífica Dómine ánimam ejus in conspéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, & ebrietátum, quas suscitávit furor sive fervor mali desidérii. Licèt enim peccáverit, te tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum sanctum non negávit; sed crédidit, & zelum Dei in se hábuit, & eum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Oratio. Orémus.

Delícta juventútis, & ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris Dómine, sed secúndùm magnam misericórdiam tuam memor esto

illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cæli, collætén-tur illi Angeli. In regnum tuum Dómine servum tuum, [*vel* ancíllam tuam] súscipe. Suscípiat eum [*vel* eam] sanctus Míchaël Archángelus Dei, qui milítiæ cæléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant eum [*vel* eam] in civitátem cæléstem Jerúsalem. Suscípiat eum [*vel* eam] beátus Petrus Apóstolus, cúi à Deo claves regni cæléstis trá-ditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cúi reveláta sunt secréta cæléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes sancti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc século sustinuérunt: ut vínculis carnis exútus, [*vel* exúta] pervenire mereátur ad glóriam regni cæléstis: præstánte eódem Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sécula seculórum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicantur Psalmi; videlicet

Confitémini Dómino. *p.* 14. *& totus Psalmus*, Beáti immaculáti. *p.* 15. *per Horas distributus.*

Egressâ autem animâ, dicitur

℟. Subveníte Sancti Dei; occúrrite Angeli Dómini, suscipiéntes ánimam ejus, & * Offeréntes in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus, qui vocávit te, & in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te * Offeréntes. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine, & lux perpétua lúceat ei. ℟. Subveníte.

Deinde, Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Posteà, Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

TIbi Dómine commendámus ánimam fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] N. ut defúnctus [*vel* defúncta] século, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ

misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES

Flexis genibus dicuntur in Ecclesiis Parochialibus Feriâ IV. Cinerum, & Feriâ V. in Cœna Domini ante Absolutionem; Litaniæ verò dicuntur in die S. Marci, & tribus diebus Rogationum.

Ant. Ne reminiscáris.

Psalmi

Domine ne in furóre tuo. *pag. 94.*

Beáti quorum *p. 82.*

Dómine ne in furóre. *p. 82.*

Miserére meî Deus. *p. 91.*

Dómine exaúdi oratiónem meam,* & clamor meus. *p. 98*

De profúndis. *p. 97.*

Dómine exaúdi oratiónem meam: aúribus pércipe. *p. 88*

Et in fine cujuslibet Psalmi dicitur Glória Patri.

Dictis septem Psalmis, dicitur Ant. Ne reminiscáris Dómine delícta nostra & paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris. *Tob. 3*

LITANIÆ.

Kyrie eléison,
Christe eléison,
Kyrie eléison.
Christe audi nos,
Christe exaúdi nos.
Pater de cælis Deus, Miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, Miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, Miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sáncta Dei Génitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchaël, Ora pro nobis.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes sancti Angeli & Archángeli Dei, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte pro nobis.
Sáncte Joánnes Baptísta, ora.
Omnes sancti Patriárchæ & Prophétæ Dei, oráte.
Sancte Petre, Ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (Zeb.) ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Matthía, ora.
Omnes sancti Apóstoli Dómini, oráte.
Sancte Joánnes, Ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Marce, ora.

Sancte Luca, ora.
Omnes sancti Evangelistæ Dómini, oráte.
Sancte Bárnaba. ora.
Sancte Cléopha, ora.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Ciryce, ora.
Sancti Gervási & Protási, oráte pro nobis.
Sancte Timóthee, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Ignáti, ora.
Sancte Polycárpe, ora.
Sancte Justíne, ora.
Sancte Pothíne cum sóciis tuis, ora.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancte Bábyla, ora.
Sancti Saviniáne & Potentiáne, oráte.
Sancte Cornéli, ora.
Sancte Cypriáne, ora.
Sancte Lauréntì, ora.
Sancte Génesi, ora.
Sancte Mauríci cum sóciis tuis, ora.
Sancte Dionysi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Sebastiáne, ora.
Sancte Victor, ora.
Sancte Románe, ora.
Sancte Petrúsi, ora.
Sancti Cosma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Adriáne, ora.
Sancte Desidéri, ora.
Sancte Leodegári, ora.
Sancte Marcélle, ora.
Sancte Felix, ora.
Sancte Paulíne, ora.
Omnes Sancti Mártyres & Confessóres Dómini, oráte.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Athánasi, ora.
Sancte Básili, ora.
Sancte Gregóri Nazianzéne, ora pro nobis.
Sancte Joánnes Chrysóstome, ora pro nobis.
Sancte Hilári, ora.
Omnes sancti Doctóres Ecclésiæ Dei, oráte.
Sancte Silvéster, Ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Tite, ora.
Sancte Arígi, ora.
Sancte Euládi, ora.
Sancte Deódate, ora.
Sancte Agrícola, ora.
Sancte Ithéri, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Maximíne, ora.
Sancte Eusebi, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Exúperi, ora.
Sancte Paulíne, ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Aniáne, ora.
Sancte Veráne, ora.
Sancte Mamérte, ora.
Sancte Lupe, ora.

Sancte Remígi, ora.
Sancte Fulgénti, ora.
Sancte Cæſari, ora.
Sancte Medárde, ora.
Sancte Claudi, ora.
Sancte Elígi, ora.
Sancte Prudénti, ora.
Sancte Cárole, ora.
Sancte Francíſce Saléſi, ora.
Omnes ſancti Pontífices Ecclésiæ Dei, oráte.
Sancte Gildárde, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Aderálde, ora.
Sancte Ivo, ora.
Sancte Philíppe, (*Diac.*) ora.
Sancte Mauríne, (*Diac.*) ora.
Omnes ſancti Presbyteri, Levítæ, & Clérici Dómini, oráte pro nobis.
Sancte Paule, ora.
Sancte Pachómi, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Symeon, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Columbáne, ora.
Sancte Troéſi, ora.
Sancte Patríci, ora.
Sancte Francóvee, ora.
Sancte Salvi, ora.
Sancte Honoráte, ora.
Sancte Himbérte, ora.
Sancte Leonárde, ora.
Sancte Fiácri, ora.
Sancte Sigiránne, ora.
Sancte Bruno, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francíſce, ora.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancte Joſeph, Ora.
Sancte Lázare, ora.
Sancte Aquila, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes ſancti Juſti & Elécti Dei, oráte.
Sancta Thecla, Ora.
Sancta Julítta, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Valéria, ora.
Ssncta Euphémia, ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta Anaſtáſia, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines, & Mulíeres Mártyres Dómini, oráte.
Sancta María Magdaléne, Ora.
Sanctæ María & Martha, oráte.
Sancta Euſtóchium, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Sancta Scholáſtica, ora.
Sancta Clara, ora.
Sancta Theréſia, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines Dei, oráte pro nobis.
Sancta Anna, Ora.
Sancta Eliſabet, ora.
Sancta Priſcílla, ora.
Sancta Hélena, ora.
Sancta Mónnica, ora.
Sancta Paula, ora.
Sancta Marcélla, ora.
Sancta Clothíldis, ora.
Sancta Radegúndis, ora.
Sancta Bathíldis, ora.

Omnes sanctæ Mulíeres & Víduæ, oráte pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, oráte pro nobis.
Propítius esto, Parce nobis Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos Dómine.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A morte subitánea, líbera.
A peste & clade, líbera.
A senténtia damnatiónis, líb.
A pœnis inférni, líbera.
A láqueis diáboli, líbera.
A ventúra ira, líbera.
Per Advéntum tuum, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera.
Per Circumcisiónem tuam, líb.
Per Baptísmum tuum, líbera.
Per Jejúnium tuum, líbera.
Per Passiónem & Crucem tuam, líbera.
Per piíssimam Mortem tuam, líbera nos Dómine.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
In hora mortis, Succúrre nobis Dómine.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut pacem nobis dones, te rog.
Ut misericórdia & píetas tua nos custódiat, te rogámus.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere & defensáre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut Domnum Apostólicum, Pontíficem nostrum, & omnes Ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus.
Ut cunctum pópulum Christiánum pretióso sánguine tuo redémptum sanctificáre dignéris, te rogámus.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus.
Ut spátium pœniténtiæ, & emendatiónem vitæ nobis dones, te rogámus.
Ut óculos misericórdiæ tuæ super nos redúcere dignéris, te rogámus.
Ut remissiónem ómnium peccatórum nostrórum nobis dones, te rogámus.
Ut sanitátem mentis & córporis nobis dones, te rog.
Ut mentes nostras ad cæléstia regna érigas, te rogámus.
Ut grátiam sancti Spíritûs Parácleti nobis concédere dignéris, te rogámus.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris, te rog.
Ut ómnibus fidélibus vivis & defúnctis réquiem ætérnam donáre digneris, te rog.
Ut nos exaudíre dignéris, Te rogámus, audi nos.
Fili Dei, Te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaúdi nos Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta

mundi, Dona nobis pacem.
Kyrie eléison, Christe eléison, Kyrie eléison. Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem,

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Véniat super nos misericórdia tua, Dómine,

℟. Et salutáre tuum secúndùm elóquium tuum.

℣. Orémus pro Pastóre nostro N.

℟. Dóminus vivíficet eum, & consérvet eum.

℣. Memor esto, Dómine, congregatiónis tuæ,

℟. Quam possedísti ab inítio.

℣. Dómine salvum fac Regem,

℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te.

℣. Salvum fac pópulum tuũ Dómine, & bénedic hereditáti tuæ;

℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.

℣. Orémus pro pace.

℟. Convértat Dóminus vultum suum ad nos, & det nobis pacem.

℣. Salvos fac servos tuos, & ancíllas tuas,

℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto,

℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis

℟. A fácie inimíci.

℣. Orémus pro cunctis fidélibus defúnctis; ℟. Réquiem ætérnam dona eis *Dómine*, & lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus, cúi próprium est miseréri semper & párcere, súscipe deprecatiónem nostram; ut quos delictórum caténa constríngit, *miserátio* tuæ pietátis absólvat.

INeffábilem misericórdiam tuam Dómine nobis cleménter osténde; ut simul nos & à peccátis éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

OMnípotens sempitérne Deus, cujus Spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur & régitur; exaúdi nos pro univérsis ordínibus supplicántes, ut grátiæ tuæ múnere ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur;

Pro Papa.

DEus ómnium fidélium pastor & rector, fámulum tuum N. quem Pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quæsumus, verbo & exémplo qui

bus præest proficere, ut ad vitam unà cum grege sibi crédito pervéniat sempitérnam.

Pro Antistite nostro.

OMnípotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Antístiti nostro N. & dírige eum secúndùm tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæsumus omnípotens Deus ut fámulus tuus N. Rex noster, qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta: quibus decénter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre; & ad te, qui via, véritas, & vita es, gratiósus váleat perveníre.

DEus à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera; da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem: ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquílla.

PRæténde Dómine, fámulis & famulábus tuis, dexteram cæléstis auxílii, ut te toto corde perquírant, & quæ digna póstulant, cónsequi mereántur.

ACtiónes nostras quæsumus Dómine, aspirándo præveni, & adjuvándo proséquere, ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

PIetáte tuâ, quæsumus Dómine, nostrórum solve víncula delictórum; & intercedénte beáta & glorióse semper Vírgine Dei genitríce María cum ómnibus Sanctis, nos fámulos tuos, & omnem pópulum Cathólicum in omni sanctitáte & religióne custódi: omnésque consanguinitáte ac familiaritáte, confessióne, oratióne & eleemósynâ nobis conjúnctos à vítiis ómnibus purga, virtútibus illústra; pacem & salútem nobis tríbue; hostes visíbiles & invisíbiles rémove; pestem repélle, äërem salúbrem & fertilitátem indúlge; amícis & inimícis nostris veram caritátem largíre; & ómnibus fidélibus vivis ac defúnctis in terra vivéntium vitam & réquiem ætérnam concéde; Per Dóminum.



BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM.

Qui benedicit mensam, incipit, Benedícite, *Alii respondent*, Dóminus. *Deinde dicit*, ℣. Oculi ómnium, *& alii prosequuntur*, in te sperant Dómine, & tu das escam illis in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144.

℣. Glória Patri *&* Sicut erat. Kyrie éléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas. *Posteà Sacerdos dicit*, Orémus.

BEnedic Dómine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum. Amen.

Deinde Lector, Jube domne benedícere.

Benedictio. Mensæ cæléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. Amen.

Post Prandium, dicto à Lectore, Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias; *omnes surgunt*.

ET PRO GRATIARUM ACTIONE

Qui benedixit mensam, incipit ℣. Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua; ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144.

℣. Glória Patri, *&* Sicut erat.

Posteà Sacerdos absolutè dicit

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis beneficiis tuis; *Qui* vivis & regnas in sécula seculórum. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus Miserére. *p.* 91. *vel Ps.* Laudáte Dóminum omnes gentes. *p.* 56. *In fine*, Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Sacerdos dicit, Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea; ℟. Aúdiant mansuéti, & læténtur. *Ibid.*

℣. Magnificáte Dóminum mecum; ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum. *Ibid.*

℣. Sit nomen Dómini benedíctum ℟. Ex hoc nunc & usque in séculum. *Ps.* 112.

REtribúere dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Secretò, Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ANTE COENAM.

Qui benedicit mensam, incipit, Benedícite, *& alii respondent*, Dóminus.

Deinde incipit ℣. *& alii prosequuntur.*

EDent paúperes, & saturabúntur, & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21.

Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Orémus. Bénedic Dómine. *ut suprà ad Prandium.* Jube domne. *Benedictio*, Ad cœnam vitæ perpétuæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. Amen.

Pro GRATIARUM ACTIONE *dicitur* ℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Glória Patri, *&* Sicut erat.

Sacerdos dicit,

BEnedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit & regnat in sécula seculórum. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus, Laudáte Dóminum omnes gentes. *p.* 56. *cum reliquis, ut suprà.*

IN JEJUNIIS, *Quando semel comeditur, omnia dicuntur ut in Cœna.*

ITINERARIUM.

VIator in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari; si cum sociis, in plurali, ut sequitur, *Ant.* In viam pacis.

Canticum, Benedíctus Dóminus Deus Israël. *p.* 13.

In fine Glória Patri.

Posteà dicitur Antiph. In viã pacis, & prosperitátis dírigat nos omnípotens & miséricors Dóminus: & Angelus Ráphaël comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte, & gaúdio revertámur ad própria *Ex Tob.* 5.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos ℟. Deus meus sperántes in te. *Ps.* 85.

℣. Mitte nobis Dómine auxílium de sancto, ℟. Et de Sion tuére nos. *Ps.* 19.

℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis; ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie. ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67.

℣. Vias tuas Dómine demónstra nobis, ℟. Et sémitas

tuas édoce nos. *Ps.* 24.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas. *Ps.* 118.

℣. Erunt prava in diréċta, ℟. Et áspera in vias planas. *Is.* 40.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te, ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui fílios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quíque Magis iter ad te stellâ duce pandísti: tríbue nobis quæsumus iter prósperum, tempúsque tranquíllum, ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum perveníre felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúċtum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti: quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis Dómine in procínċtu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculũ, in plúvia & frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus: ut te duce, quò téndimus, próspere perveniámus, & demum incólumes ad própria redeámus.

ADésto, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris: & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne: ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; & beáti Joánnis Præcursóris hortaménta seċtándo, ad eum, quem prædíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit, &c.

℣. Procedámus in pace, ℟. In nómine Dómini. Amen.



PRÆPARATIO AD MISSAM AD LIBITUM SACERDOTIS.

AD Ecclesiæ ingressum Sacerdos dicit:

Introíbo in domum tuam in holocaústis; reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Deinde ante Altare, vel in alio competenti loco dicit sequentes Psalmos

Quàm diléćta. *p.* 103.
Benedixísti. *p.* 92.
Inclína. *p.* 118.
Crédidi. *p.* 56.
De profúndis. *p.* 97.

Postea Ant.

NE reminiscáris Dómine delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris. *Tob.* 3.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera.

℣. Ego dixi; Dómine miserére mei;

℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere Dómine aliquántulum,

℟. Et deprecáre super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos,

℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam,

℟. Et sancti tui exúltent. *Ps.* 131.

℣. Ab occúltis meis munda me,

℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine exaúdi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orationes.

AUres tuæ pietátis mitíssime Deus inclína précibus nostris, & grátiâ sancti Spíritûs illúmina cor nostrū: ut tuis mystériis dignè ministráre, téque ætérnâ caritáte dilígere mereámur.

DEus, cúi omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri: ut te perféctè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum Dómine, ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes nostras, quæsumus Dómine Paraclétus, qui à te procédit illúminet: & indúcat in omnem sicut tuus promísit Fílius veritátem.

ADsit nobis, quæsumus Dómine, virtus Spíritûs sancti, quæ & corda nostra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérsis.

DEus, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére.

COnsciéntias nostras, quæsumus Dómine, visitándo purífica: ut véniens Dóminus noster Jesus Christus, fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem; Qui tecum vivit.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Canticum, Benedícite ómnia ópera. *p.* 11. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *p.* 41.

Ant. Trium puerórum cantémus hymnum: quem cantábant sancti in camíno ignis benedicéntes Dóminum.

Deinde Sacerdos dicit.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;

℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144.

℣. Exultábunt sancti in glória;

℟. Lætabúntur in cubílibus suis. *Ps.* 149.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis;

℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam;

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orationes.

DEus, qui tribus púeris mitigásti flammas ignium: concéde propítius: ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACtiónes nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni: & adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæsumus, Dómine, vitiórum nostrórum flammas extínguere, qui beato Lauréntio mártyri tuo tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.



ORDO

ORDO CANONUM
QUI SINGULIS DIEBUS DICENDI SUNT AD FINEM PRIMÆ,
Tam in Choro, quàm privatim.

PARS HIEMALIS.

DOMINICA I. ADVENTUS.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. de Reform. Matrim. Cap. 10.

AB Advéntu Dómini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & à Féria quarta Cínerum usque in Octávam Páschatis inclusívè, antíquas solémnium nuptiárum prohibitiónes diligénter ab ómnibus observári sancta Synodus præcipit.

Feria II.

CANON

Ex Synodo Trecénsi.

An. 1459. lac. 3. fol. 98.

In Advéntu Dómini est multùm commendábile jejúnium illis diébus, quibus Dóminus déderit voluntátem páriter & facultátem, & máximè Cléricis.

Feria III.

CANON

Ex Synodo Aurelianénsi.

An. 871. C. 23.

Sacros Cánones nulli Sacerdótum ignoráre permíttitur, nec quidquàm fácere, quod Patrum régulis possit esse contrárium.

Ferià IV.

CANON

Ex Concílio Meldénsi.

An. 845. c. 34.

Cánonum statúta ab ómnibus custodiántur; & nemo in actiónibus vel judíciis Ecclesiásticis suo sensu, sed eórum autoritáte ducátur. In exponéndis étiam vel prædicándis divínis Scriptúris sanctórum Catholicórum & probatissimórum Patrum sensum quisque sequátur.

Ferià V.

CANON

Ex Concílio Cabilonénsi.

II, an. 813. Can. 37.

Cum ómnia Concília Cánonum qui recipiúntur, sint à Sacerdótibus legénda & intelligénda, & per ea sit eis vivéndum & prædicándum: necessárium dúximus, ut ea quæ ad fidem pértinent; & ubi de extirpándis vítiis & plantán-

dis virtútibus scríbitur, hoc ab eis crebrò legátur, & bene intelligátur, & pópulo prædicétur.

Feriâ VI.

CANON

Ex Concílio Arelaténsi.

An. 813. *Can.* 3.

Ignorántia mater cunctórum est errórum, & máximè in Sacerdótibus Dei vitánda est, qui docéndi offícium in pópulis suscepérunt...Sciant ígitur Sacerdótes Scriptúras sanctas & Cánones, ut omne opus eórum in prædicatióne & doctrínâ consístat, atque ædíficent cunctos tam fídei sciéntiâ, quàm óperum disciplínâ.

Sabbato.

CANON

Ex Concílio Mediolanénsi.

IV. An. 1576. *p.* 2.

Si quis unâ áliquâ culpâ, impedimentóve ut infrà irretítus tenétur, ne ad sacram Ordinatiónem contra sacrórum Cánonum & Conciliórum præscríptum accédat. Impediménto irretíti hi sunt: Minóres natu, sacraménto Chrísmatis non confirmáti, rudes & ignári, criminósi, solémniter pœniténtes, neóphyti, ebrietáti & gulæ déditi, impudíci, lapsi post Ordinem suscéptum, perjúri, usurárii manifésti, infámes, ratiocíniis obligáti, servi, córpore vitiáti, insígniter defórmes, illegítimè nati, peregríni & ignóti, bígami, irreguláres quovis álio modo, suspénsi, interdícti, excommunicáti, améntes, morbo cadúco laborántes, energúmeni, non examináti, & non probáti.

Dominicâ II. Adventûs.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 23. *de Reform. Cap.* 4.

Primâ Tonsúrâ non initiéntur, qui Sacraméntum Confirmatiónis non suscéperint, & fídei rudiménta edócti non fúerint, quíque légere & scríbere nésciant; & de quibus probábilis conjectúra non sit eos non seculáris judícii fugiéndi fraude, sed ut Deo fidélem cultum præstent, hoc vitæ genus elegísse.

Feria II.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 23. *de Reform. Cap.* 5.

Ad minóres Ordines promovéndi bonum à Párocho, & à Magístro scholæ in qua educántur, testimónium hábeant.

Feria III.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 23. *de Reform. Cap.* 6.

Nullus primâ tonsúrâ initiátus, aut étiam in minóribus Ordínibus constitútus, ante décimum quartum a-

num beneficium possit obtinére. Is étiam fori privilégio non gaúdeat, nisi beneficium Ecclesiásticum hábeat; aut clericálem hábitum & Tonsúram déferens alicúi Ecclésiæ ex mandáto Epíscopi insérviat; vel in Seminário Clericórum, aut in áliqua schola vel Universitáte, de licéntia Epíscopi, quasi in via ad majóres Ordines suscipiéndos versétur.

Feria IV.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 23. *Cap.* 11.

Minóres Ordines iis qui saltem Latínam linguam intélligant, per témporum interstítia (nisi áliud Epíscopo expedíre magis viderétur) conferántur; ut eo accurátiùs, quantum sit hujus disciplínæ pondus, possint edocéri, ac in unoquóque múnere, juxta præscríptum Epíscopi se exérceant, idque in eâ cúi adscrípti erunt ecclésiâ.

Feria V.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 23. *Cap.* 11.

De gradu in gradum ascéndant Clérici, ita ut in eis cum ætáte vitæ méritum & doctrína major accréscat, quod & bonórum morum exémplum, & assíduum in Ecclésia ministérium, atque major erga Presbyteros & superióres Ordines reveréntia, & crebrior quàm ánteà Córporis Christi Commúnio máximè comprobábunt.

Feria VI.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 23. *de Reform. Cap.* 11.

Cùm à minóribus Ordínibus ad altióres gradus & sacratíssima mystéria sit ingréssus; nemo iis initiétur, quem non sciéntiæ spes majóribus Ordínibus dignum osténdat.

Sabbato.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 23. *de Reform. Cap.* 12.

Nullus in pósterum ad Subdiaconátûs Ordinem ante vigésimum secúndum, ad Diaconátûs ante vigésimum tértium, ad Presbyterátûs ante vigésimum quintum ætátis suæ annum promoveátur.

Dominicâ III. Adventûs.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 23. *de Reform. Cap.* 12.

Sciant Epíscopi non singulos in ea ætáte constitútos debére ad hos Ordines assúmi, sed dignos dumtáxat, & quorum probáta vita senéctus sit. Reguláres quoque nec in minóri ætate, nec sine diligénti Epíscopi exámine ordinéntur: privilégiis quibuscúmque quoad hoc pénitùs exclúsis.

Feria II.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. Cap. 16. de Ref.

Sacra Synodus veſtígiis ſexti cánonis Concílii Calchedonénſis inhæréndo, ſtátuit ut nullus in pósterum ordinétur, qui illi Eccléſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitáte aut utilitáte aſſúmitur, non adſcribátur; ubi ſuis fungátur munéribus, nec incértis vagétur ſédibus. Quòd ſi locum inconſúlto Epíſcopo deſerúerit, ei ſacrórum exercítium interdicátur.

Feria III.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi.

An. 1536. p. 1. c. 35.

Mélius eſt Epíſcopo paucos habére Sacerdótes ac Eccléſiæ miníſtros qui poſſint dignè opus Dei exercére, quàm multos inútiles qui onus grave ordinatóri addúcant.

Feria IV.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi.

IV. an. 1573. p. 1. de Sacris 4 Temp.

Sacra quátuor Jejuniórum Témpora ex doctrína ſancti Spíritûs ſalutáriter inſtitúta, ſicut olim & frequénti fidélium convéntu, & ſolémni celebritáte, & religióſo ſupplicatiónum offício colebántur: ita ad illórum cultum, paſtorali curâ erudítis fidélium méntibus, in uſum antíquæ pietátis revocánda ſunt. Et concionatóres hortabúntur pópulum, ut ſtatis illis quátuor anni tempóribus, & privátim in ſuis quiſque ædibus, & públicè in Eccléſia oret, ad Litánias convéniat, Deum precatúrus pro iis qui Ordinis Sacraménto initiántur.

Feria V.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. Cap. 14.

Qui piè & fidéliter in miniſtériis antè actis ſe géſſerint, & ad Presbyterátûs Ordinem aſſumúntur, bonum hábeant teſtimónium. Et hi ſint qui in Diaconátu ad minus annum íntegrum (niſi ob Eccléſiæ utilitátem ac neceſſitátē áliud Epíſcopo viderétur) miniſtráverint.

Feriâ VI.

CANON

Ex Concílio Calchuténſi.

An. 787. Cap. 6.

Nullus Epiſcopórum Presbyterum aut Diáconum ordináre præſúmat, niſi probátæ vitæ fúerint, & officium ſuum rectè implére poſſint: & in illo título perſevérent ad quem conſecráti ſunt; ita ut nullus de altérius título Presbyterum aut Diáconum ſuſcípere præſúmat, abſque cauſa rationábili & lítteris commendatítiis.

Sabbato.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seʃʃ. 23. Cap. 8.

Ordinatiónes ſacrórum Ordinum ſtatútis à jure tempóribus ac in cathedráli Eccléſia, vocátis præſentibúſque ad id Eccléſiæ Canónicis, públicè celebréntur.

Dominicâ IV. Adventûs.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seʃʃ. 23. de Ref. Cap. 15.

Quamvis Presbyteri in ſua ordinatióne à peccátis abſolvéndi poteſtátem accipiant; decérnit tamen ſancta Synodus, nullum étiam Regulárem poſſe confeſſiónes ſeculárium, étiam Sacerdotum audíre, nec ad id idóneum reputári; niſi aut parochiále benefícium, aut ab Epíſcopis per exámen, ſi illis vidébitur eſſe neceſſárium, aut aliàs idóneus judicétur, approbatiónem quæ gratìs detur, obtíneat: privilégiis & conſuetúdine quacúmque, étiam immemorábili, non óbſtántibus.

Feria II.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seʃʃ. 23. Cap. 16.

Nullus Cléricus peregrínus ſine commendatítiis ſui Ordinárii lítteris ab ullo Epíſcopo ad divína celebránda & Sacraménta adminiſtránda admittátur.

Feria III.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seʃʃ. 23. Cap. 16.

Subdiáconi & Diáconi ordinéntur habéntes bonum teſtimónium, & in minóribus Ordínibus jam probáti, ac lítteris, & his quæ ad Ordinem exercéndum pértinent, inſtrúcti; qui ſperent Deo autóre ſe continére poſſe; eccléſiis quibus adſcribéntur inſérviant; ſciántque máximè decére, ſi ſaltem diébus Domínicis & ſolémnibus cùm altári miniſtráverint, ſacram Communiónem percéperint.

Feria IV.

CANON

Ex Concílio Calchedonénſi.

An. 451. C. 8.

Clérici qui præficiúntur paróchiis, vel qui ordinántur in monaſtériis, & basílicis Mártyrum, ſub Epiſcopórum, qui in unaquáque civitáte ſunt, ſecúndùm ſanctórum Patrum traditiónes, poteſtáte permáneant, nec per contumáciam ab Epíſcopo ſuo diſsíliant: qui verò audent evértere hujuſcémodi formã quocúmque modo, nec próprio ſubjiciúntur Epíſcopo; ſi quidem clérici ſunt, Cánonum correptiónibus ſubjáceant: ſi verò láïci vel mónachi fúerint, communióne priventur.

Feria V.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 23. c. 11. de Ref.

Nisi post annum à susceptióne postrémi gradûs minórum Ordinum, ad sacros Ordines nulli promoveántur; nisi necéssitas aut Ecclésiæ utílitas judício Epíscopi áliud expóscat.

Feria VI.

CANON

Ex Concílio Bracarénsi.

An. 563. can. 38.

Ex láïco ad gradum sacerdótii nemo véniat, nisi priùs anno íntegro in officio Lectórum vel Diaconátûs, disciplínam ecclesiásticam díscat; & sic per síngulos gradus erudítus ad sacerdótium véniat. Nam satis reprehensíbile est, ut qui nondum dídicit, jam docére præsúmat: dum & antíquis hoc Patrum institutiónibus interdíctum sit.

In Vigilia Nat. Domini.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 836. Cap. 2. Can. 4.

Cónvenit Sacerdotáli ministério scire formam Evangélicam, documénta Apostólica, Cánonum institúta, normam Régulæ Pastorális à Sanctíssimo Pontífice Gregório éditæ; ne juxta eúmdem sanctíssimum virum abimpe rítis, quod absit, Pastorále magistérium áliquâ temeritáte usurpétur aut viléscat.

In Nativitate Domini.

CANON

Ex Concílio Toletáno

An 684. C. 10.

Si quis Jesu Christo Dei Fílio, ex útero Maríæ Vírginis nato, áliquid aut divinitátis immínuit, aut de suscépta humanitáte subdúcit, excéptâ solâ lege peccáti, & non eùm verum Deum, hóminémque perféctum, in una persóna subsisténtem sinceríssimè credit, anáthema sit.

26. Decembris.

CANON

Ex Concílio Matisconénsi.

An 581. Can. 1.

Epíscopi, vel Presbyteri, atque Diáconi, ita sanctæ consciéntiæ luce resplendeant, ut effúgiant improbitátem áctuú, maledicórum oblóquia, ac testimónium in se divínum implére conténdant, quod Dóminus ait: Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant vestra bona ópera, & magníficent Patrem vestrum qui est in cælis.

27. Decembris.

CANON

Ex Concílio Tridentímo

Seff. 23. C. 14 de Reform.

Qui ad Presbyterátum assuméntur, sint ita pietáte & castis moribus conspícui, ut præclárum bonórum óperum ex-

émplum & vitæ mónita ab eis possint exspectári.

28. *Decembris.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

An 1563. *Sess.* 23. *de Refor. c.* 18

Cùm adolescéntium ætas, nisi rectè instituátur, prona sit ad mundi voluptátes sequéndas; & nisi à téneris annis ad pietátem informétur, nunquam perféctè in disciplína Ecclesiástica persevéret: sancta Synodus státuit, ut síngulæ cathedráles metropolitánæ, atque his majóres Ecclésiæ pro modo facultátum certum puerórum ipsíus civitátis & diœcésis númerum in collégio ad hoc prope ipsas Ecclésias, vel álio in loco conveniénti ab Epíscopo eligéndo, álere, ac religiósè educáre, & Ecclesiásticis disciplínis instítuere teneántur.

29 *Decembris.*

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *cap.* 20.

Tam doctrínâ quàm vitâ clarére debet Ecclesiásticus doctor. Nam doctrína sine vita arrogántem reddit; vita sine doctrína inútilem facit. Sacerdótis prædicátio opéribus confirmánda est, ita ut quod docet verbo, ínstruat exémplo.

30. *Decembris.*

CANON

Ex Concílio Mediolanénsi.

I. an. 1565. *p.* 11.

Clérici postquàm décimum quartum annum attígerint, ut legem Dómini, in cujus sorte sunt, dies noctésque meditári possint, hábeant sacrórum librórum si non cópiam, certè necessárium deléctum; omnìno verò Testaméntum vetus & novum, Catechísmum Románum, sacrum Tridentínum Concílium, Constitutiónes diœcesánas próprii Epíscopi.

31. *Decembris.*

CANON

Ex Concílio Mediolanénsi.

An. 1576. *p.* 3. *tit.* 2.

Ne Clérici apud se libros hábeant aut legant, quorum lectióne bene agéndi stúdium, morum disciplína, & timor caritásque Dei languéscere possit, quales libri sunt, qui res vel inánes, vel jocósas, vel scurríles, ridiculásve, vel impúras cóntinent.

In Circumcisione Domini.

CANON

Ex Concílio Lateranénsi.

An. 649. *can.* 3.

Si quis secúndùm sanctos Patres non confitétur própriè & secúndùm veritátem Dei genitrícem sanctam sempérque vírginem & immaculátam Maríam, útpote ipsum Deum Verbum speciáliter & verácìter, qui à Deo Patre ante ómnia sécula natus est, in últi-

mis seculórum absque sémine concepísse ex Spíritu sancto, & incorruptibíliter eam genuísse, indissolúbili permanénte & post partum ejúsdem virginitáte, condemnátus sit.

2. *Januarii.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 5 de pecc. orig. c. 2.

Si quis Adæ prævaricatiónem sibi soli, & non ejus propágini ásserit nocuísse, & accéptam à Deo sanctitátem & justítiam, quam pérdidit, sibi soli, & non nobis étiam eum perdidísse; aut inquinátum illum per inobediéntiæ peccátum mortem & pœnas córporis tantùm in omne genus humánum transfudísse, non autem & peccátum, quod mors est ánimæ; anáthema sit.

3. *Januarii.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 5. de pecc. orig. c. 3.

Si quis hoc Adæ peccátum, quod orígine unum est, & propagatióne, non imitatióne transfúsum ómnibus, inest unicuíque próprium, vel per humánæ natúræ vires, vel per áliud remédium ásserit tolli, quàm per méritum uníus mediatóris Dómini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliávit in sánguine suo, factus nobis justítia, sanctificátio & redémptio; aut negat ipsum Christi Jesu méritum per Baptísmi sacraméntum in forma Ecclésiæ ritè collátum, tam adúltis quàm párvulis applicári; anáthema sit.

4. *Januarii.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 5. de pecc. orig. c. 5.

Si quis per Jesu Christi Dómini nostri grátiam, quæ in Baptísmate confértur, reátum originális peccáti remítti negat; aut étiam ásserit non tolli totum id, quod veram & própriam peccáti ratiónem habet; sed illud dicit tantùm radi, aut non imputári: anáthema sit.

5. *Januarii.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 24. de Ref. Matrim. c. 2.

Státuit sancta Synodus ut unus tantùm sive vir sive múlier juxta sacrórum Cánonum institúta, vel ad summum unus & una baptizátum de baptísmo suscípiant; inter quos ac baptizátum ipsum & illíus patrem & matrem, necnon inter baptizántem & baptizátum, baptizatíque patrem ac matrem tantùm spirituális cognátio contrahátur.

In Epiphania Domini.

CANON

Ex Concílio Aurelianénsi.

IV. an. 541. Can. 1.

Plácuit Deo propítio, ut

sanctum Pascha secúndùm [Ecclésiæ Románæ] usum ab ómnibus Sacerdótibus uno témpore celebrétur. Quæ festívitas annis síngulis Epiphanióрum die in Ecclésia pópulis denuntiétur.

¶ *Si in sequentem diem incidat Dominica I. post Epiphaniam, assumentur Canones qui huic Dominicæ infrà sunt assignati, & deinceps ex ordine dicentur usque ad Dominicam Septuagesimæ.*

7. Januarii.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. de Reform. Matr. C. 2.

Párochus ántequam ad baptísmum conferéndum accédat, diligénter ab iis ad quos spectábit, sciscitétur, quem vel quos elégerint, ut baptizátum de sacro fonte suscípiant; & eum vel eos tantùm ad illum suscipiéndum admíttat, & in libro eórum nómina descríbat, doceátque eos quam cognatiónem contráxerint, ne ignorántiâ ullâ excusári váleant.

8. Januarii.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Ibidem.

Quòd si álii ultra designátos baptizátum tetígerint, cognatiónem spirituálem nullo pacto cóntrahant, constitutiónibus in contrárium faciéntibus non obstántibus. Si Párochi culpâ vel negligéntiâ secùs factum fúerit, arbítrio Ordinárii puniátur.

9. Januarii.

CANON

Ex Concílio Constantinopolitáno

in Trullo an. 692. Can. 53.

Quóniam spiritális necessitúdo seu affínitas, córporum conjunctióne major est; in nonnúllis autem locis cognóvimus quosdam, qui ex sancto & salutári Baptísmate infántes suscípiunt, pósteà quoque cum mátribus illórum víduis matrimónium contráhere; statúimus ut in pósterum nihil fiat ejúsmodi. Si qui autem post præséntem Cánonem hoc fácere deprehénsi fúerint, ii quidem primò ab hoc illícito matrimónio desístant, deínde & fornicatórum pœnis subjiciántur.

10. Januarii.

CANON

Ex Concílio Constantinopolitáno.

in Trullo an. 692. Can. 59.

In æde oratória, quæ est intra domum, Baptísmus nequáquam peragátur: sed qui baptizándi sunt, ad Cathólicas Ecclésias accédant, & hoc illic múnere perfruántur. Si quis autem quæ à nobis constitúta sunt, non serváre convíctus fúerit, si sit quidem clé-

ricus, deponátur; si autem láïcus, segregétur.

11. *Januarii.*

CANON.

Ex Concílio Coloniénsi.

II. an. 1548. *Decret. Can.* 15.

Deteſtánda eſt non minùs laïcórum ſupérbia, quàm paſtórum eis obſequéntium adulátio, qui contémptâ Ecclésiâ proles ſuas volunt in ſuis dómibus baptizári, & eò Baptíſmi aquam deférri. Quem abúſum prorsùs reſcíndere voléntes, ſtatúimus néminem álibi quàm in Ecclésia, quocúmque loco natus ſit, debére baptizári, excéptis Regum fíliis, quibus váleat ſecúndùm Concílium Viennénſe deférri. Paſtóres verò qui ſecus fécerint, ab officio ſuſpéndimus, donec abſolutiónem à nobis obtíneant.

12. *Januarii.*

CANON

Ex Conſtitutiónibus provínciæ Cantuariénſis ex ſancto Edmúndo.

An. 1236. *c.* 12.

De Baptíſmate & Pœniténtia præcípimus, quòd Diáconi pœniténtias dare & baptizáre non præſúmant, niſi in iis cáſibus, cùm Sacérdos non poteſt, vel abſens eſt, vel ſtultè vel indiſcrétè non vult, & mors ímminet púero vel ægróto. Si puer baptizátus fúerit à láïco, præcedéntia & ſubſequéntia immerſiónem compleántur à Sacerdóte.

Die 13. *Januarii, in quam ſeriùs incidere poteſt Dominica I. poſt Epiphaniam*

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

II. An. 836. *Can.* 18.

Jejúnium diébus Domínicis tenére, & canónica interdícit autóritas, & reſurrectiónis Domínicæ tanta ſolémnitas. Et ideo nec plácita illis diébus, neque núptias, pro reveréntia tantæ ſolemnitátis celebrári viſum eſt.

Feriâ II. Hebd. I. poſt Epiph.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. *de Ref. Matrim. c.* 10.

Poſt Epiphániam ſancta Synodus ſolémniter núptias celebrári permíttit: quas Epíſcopi, ut eâ quâ decet modéſtiâ & honeſtáte fiant, curábunt: ſancta enim res eſt matrimónium, & ſanctè tractándum.

Feriâ III.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Ibidem, c. 1.

Tamétſi dubitándum non eſt clandeſtína matrimónia, líbero contrahéntium conſénſu facta, rata & vera eſſe matrimónia, quámdiu Ecclésia ea írrita non fecit, & proínde jure damnándi ſunt illi, ut eos ſancta Synodus anathémate dam-

nat, qui ea vera ac rata esse negant; quique falsò affírmant, matrimónia à filiis famílias sine consénsu paréntum contrácta, írrita esse, & paréntes ea rata vel írrita fácere posse: nihilóminùs sancta Dei Ecclésia ex justíssimis causis illa semper detestáta est atque prohíbuit.

Feriâ IV.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. de Matr. C. 1.

Sacri Lateranénsis Concílii sub Innocéntio tértio celebráti vestígiis inhæréndo, sancta Synodus præcipit ut in pósterum ántequam matrimónium contrahátur, ter à próprio contrahéntium Párocho tribus contínuis diébus festívis in Ecclésia inter Missárum solémnia públicè denuntiétur inter quos matrimónium sit contrahéndum.

Feria V.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Ibidem.

Tribus denuntiatiónibus factis, si nullum legítimum opponátur impediméntum, ad celebratiónem matrimónii in fácie Ecclésiæ procedátur; ubi Párochus, viro & mulíere interrogátis, & eórum mútuo consénsu intelléсto, vel dicat: Ego vos in matrimónium conjúngo in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti; vel áliis utátur verbis juxta recéptum uniuscujúsque Províncíæ ritũ.

Feriâ VI.

CANON

Ex Concílio Tridentíno. *Ibid.*

Quòd si aliquándo probábilis fúerit suspício, matrimónium malitiósè impedíri posse si tot præcésserint denuntiatiónes, tunc vel una tantùm denuntiátio fiat; vel saltem Párocho, & duobus vel tribus téstibus præséntibus matrimónium celebrétur: deínde ante illíus consummatiónem denuntiatiónes in Ecclésia fiant; ut si aliqua subsunt impediménta, facíliùs detegántur: nisi Ordinárius ipse expedíre judicáverit, ut prædíctæ denũtiatiónes remittántur: quod illíus prudéntiæ & judício sancta Synodus relínquit.

Sabbato.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. Cap. 1. de Matr.

Qui áliter quàm præsénte Párocho, vel álio Sacerdóte de ipsíus Párochi seu Ordinárii licéntia, & duóbus vel tribus téstibus matrimóniũ contráhere attentábunt; eos sancta Synodus ad sic contrahéndum omníno inhábiles reddit: & hujúsmodi contráctus írritos & nullos esse decérnit, prout eos præsénti decréto írritos facit, & annúllat.

Dominica II. post Epiphaniam.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seß. 24. de Reform. Matr. C. 1.

Sancta Synodus hortátur, ut cónjuges ante benedictiónem sacerdotálem in templo suscipiéndam in eádem domo non cohábitent; statuítque benedictiónem à próprio Párocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Párocho vel ab Ordinário licéntiam ad prædíctam benedictiónem faciéndam álii Sacerdóti concédi posse, quacúmque consuetúdine, étiam immemorábili, quæ pótiùs corruptéla dicenda est, vel privilégio, non obstánte.

Feria II.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seß. 24. de Ref. Matrim. Cap. 1.

Si quis Párochus, vel álius Sacérdos, sive reguláris, sive seculáris sit, etiámsi id sibi ex privilégio vel immemorábili consuetúdine licére conténdat, altérius Paróchiæ sponsos sine illórum Párochi licéntia matrimónio conjúngere aut benedícere ausus fúerit, ipso jure támdiu suspénsus máneat, quámdiu ab Ordinário ejus Párochi qui matrimónio interésse debébat, seu à quo benedíctio suscipiénda erat, absolvátur.

Feria III.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Ibidem.

Sancta Synodus cónjuges hortátur ut ántequàm contrahant, vel saltem tríduo ante matrimónii consummatiónem sua peccáta diligénter confiteántur, & ad sanctíssimum Eucharístiæ sacraméntum piè accédant.

Feriâ IV.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seß. 24. de Ref. Matr. C. 3.

Justítiæ públicæ honestátis impediméntum, ubi sponsália quacúmque ratióne válida nō erunt, sancta Synodus *prorsùs* tollit; ubi autem *válida* fúerint, primum gradū non excédant; quóniam in ulterióribus grádibus jam non potest hujúsmodi prohibítio absque dispéndio observári.

Feria V.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seß. 24. de Ref. Matrim. C. 4.

Sancta Synodus impediméntum quod propter affinitátem ex fornicatióne contráctam indúcitur, & matrimónium pósteà factum dírimit, ad eos tantùm qui in primo & secúndo gradu conjungúntur, restríngit: in ulterióribus verò grádibus státuit, hujúsmodi affinitátem matrimónium pósteà contráctum non dirímere.

Feria VI. CANON
Ex Concílio Tridentíno.
Sess. 24. de Ref. Matr. C. 5.

Si quis intra gradus prohíbitos sciénter matrimónium contráhere præsúmpserit, separétur, & spe dispensatiónis consequéndæ cáreat; idque in eo multo magis locum hábeat, qui non tantùm matrimónium contráhere, sed étiam consummáre ausus fúerit.

Sabbato. CANON
Ex Concílio Tridentíno.
Ibidem.

Quòd si ignoránter id fécerit, síquidem solemnitátes requisítas in contrahéndo matrimónio negléxerit, eísdem subjiciátur pœnis: non enim dignus est qui Ecclésiæ benignitátem fácilè experiátur, cujus salúbria præcépta témerè contémpsit. Si verò solemnitátibus adhíbitis, impediméntum áliquod pósteà subésse cognoscátur, cujus ille probábilem ignorántiam hábuit; tunc facíliùs cum eo & gratìs dispensétur:

Dominicâ III. post Epiphaniam.
CANON
Ex Concílio Tridentíno.
Ibidem.

In contrahéndis matrimóniis vel nulla omníno detur dispensátio, vel raró: idque ex causa & gratìs concedátur. In secúndo gradu nunquã dispensétur, nisi inter magnos Príncipes, & ob públicam causam.

Feria II. CANON
Ex Concílio Tridentíno.
Ibid. Cap. 6.

Decérnit sancta Synodus, inter raptórem & raptam, quámdiu ipsa in potestáte raptóris mánserit, nullum posse consístere matrimóniũ. Quòd si rapta à raptóre separáta, & in loco tuto & líbero constitúta, illum in virum habére consénserit, eam raptor in uxórem hábeat; & nihilóminus raptor ipse, ac omnes illi consílium, auxílium & favórem præbéntes, sint ipso jure excommunicáti.

Feria III. CANON
Ex Concílio Tridentíno.
Sess. 24. de Reform. Matr. Cap. 7.

Multi sunt qui vagántur & incértas habent sedes, & ut ímprobi sunt ingénii, primâ uxóre relíctâ, áliam & plerúmque plúres illâ vivénte, divérsis in locis ducunt. Cúi morbo cúpiens sancta Synodus occúrrere, omnes ad quos spectat, patérnè monet ne hoc genus hóminum vagántium ad matrimónium fácilè recípiant.

Feria IV. CANON
Ex Concílio Tridentíno.
Ibidem.

Párochis præcipit sancta Synódus ne illórum matrimóniis intérsint, nisi priùs diligéntem inquisitiónẽ fécerint, & re ad Ordináriũ delátâ, ab eo licén-

tiam id faciéndi obtinúerint.

Feria V. CANON
Ex Concílio Senonénsi
An. 1528. *c.* 39.

Cùm matrimónium à Deo ómnium rerum conditóre in paradíso, & in statu innocéntiæ institútum fúerit, sitque, teste Apóstolo, Sacraméntum, proínde cum magna reveréntia ac devotióne suscipiéndū, útpote in quo, sicut & in réliquis Sacraméntis, grátia conferátur; prohibémus ne in sponsálibus aut nuptiáli benedictióne fiant risus, cachinnatiónes, aut ália ridícula verba enuntiéntur.

Feria VI. CANON
Ex Concílio Senonénsi.
An. 1528. *C.* 39.

Moneántur affidáti, quátenus jejúni, contríti, conféssi, ac cum multa reveréntia ad hoc Sacraméntum accédant: illum quoque abúsum qui inválüit in quibúsdam pártibus, ut benedíctio nuptiális & Missa celebréntur statim post médiam noctem, tóllimus & amputámus: statuéntes quòd tália deínceps non fiant, nisi post ortum solem, ac illucéntem diem.

Sabbato. CANON
Ex Concílio Carthaginénsi
IV. An. 398. *Can.* 13.

Sponsus & sponsa cùm benedicéndi sunt à Sacerdóte, à paréntibus suis vel paranymphis offerántur. Qui cùm benedictiónem accéperint, eâdē nocte pro reveréntia ipsíus benedictiónis in virginitáte permáneant.

Dominicâ IV. post Epiphaniam
CANON
Ex Concílio Moguntino
I. An. 847. *C.* 30.

In quarta generatióne nullus conjúgio copulétur: ubi autem post interdíctum factū invéntum fúerit, separétur. Sanè éadem quæ in viri, hæc nimírum in uxóris parentéla, de lege nuptiárum régula custodiénda est.

Feria II. CANON
Ex Concílio Triburiénsi.
An. 895. *Can.* 40.

Non licet, nec Christiánæ Religióni opórtet, ut ullus eâ utátur in matrimónio, cum qua priùs pollútus est adultério

Feria III. CANON
Ex Synodo Turonénsi.
An. 858. *can.* 130.

Nullus occúltè núptias fáciat, nec vírginem vel víduam sacrátam ducat.

Feriâ IV. CANON
Ex Concílio Arvernénsi.
An. 535. *can.* 12.

Si quis relíctam fratris, sorórem uxóris, privígnam, consobrínam, sobrinámve vel relíctam pátrui atque avúnculi, carnális contágii credíderit consórtio violándam, & ausu sacrílego autoritátem di-

vinæ legis ac jura natúræ præ-rúperit, & cúi caritátis ac pii affèctûs solátia exhibére debúerat, suórum hostis ac pudicítiæ expugnátorvim inférre tentáverit, Apostólicæ constitutiónis senténtiâ feriátur; & quándiu in tanto versátur scélere, à Christiáno cœtu atque convívio, simúlque Ecclésiæ matris cõmunióne privábitur.

Feria V. CANON
Ex Concílio Reménsi
An. 1583. *Can.* 8. *de Ref. Matr.*

Dies áliquos infortunátos seu infaústos matrimónio esse putáre, non mínimum superstitiónis genus esse pópulo significétur.

Feria VI.
CANON
Ex Concílio Reménsi.
Ibid. c. 9.

Benedictiónem cónjugum quàm próximè fieri póterit, benedíctio thálami ubi assuéta est sequátur, neque prorogétur in tempus serótinum, propter aliquórum petulántiam, quæ eo máximè témpore effrénis esse conspícitur.

Sabbato.
CANON
Ex Concílio Reménsi.
Ibidem. c. 11.

Núptiis ritè complétis, à Christo conjugiórum præsule putent se conjúnctos, in quem peccátur, quóties fides promíssa sólvitur.

Dominica V. post Epiphaniam.
CANON
Ex Concílio Reménsi.
Ibidem.

Neutri líceat ab áltero discédere, étiam quoad thorum, nisi causâ legítimâ à Superióre approbátâ: concessóque divórtio, neutri licére novum matrimónium iníre diligénter admoneántur.

Feria II. CANON
Ex Concílio Reménsi. *Ibid.*

Si autem concubínam vir álere comperiátur, vel uxor adúlterum, ter móniti, nec resipiscéntes, excommunicatióne percellántur: quam si negléxerint, pœnis severíssimis coerceántur.

Feria III. CANON
Ex Constitutiónibus Provínciæ Cantuariénsis ex sancto Edmúndo.
An. 1236. *c.* 15.

Féminæ commoneántur ut púeros cautè alant, & juxta se de nocte non cóllocent téneros, ne opprimántur: solos in dómibus ubi ignis fúerit, vel solos juxta aquas sine custóde non relínquant. Et hoc omni die Domínicâ eis dicátur.

Feria IV. CANON
Ex Constitutiónibus Provínciæ Cantuariénsis ex sancto Edmúndo.
Ibid. c. 16.

Sæpiùs láicis inculcétur, & præcípuè in majóribus solem-

nitátibus, quòd omnis commíxtio maris & féminæ, nisi per matrimónium excusétur, est mortále peccátum.

Feria V. CANON
Ex Synodo VVigorniénsi.
An. 1240. *c.* 14.

Doceántur conjugáti bona conjúgii, necnon & quómodo débeant suos in timóre Dómini párvulos educáre: provideántque Capelláni ínsuper quòd secúndò nubéntibus benedictiónem solémnem de cétero non impéndant, si pœnas canónicas volúerint evitáre.

Feria VI. CANON
Ex Constitutiónibus Synodálibus Odónis Parisiénsis Epíscopi.
An. 1197. § 7. *c.* 3.

Nullus Sacérdos aúdeat perfícere matrimónium in casu dúbio, inconsúlto Epíscopo; sed ad eum semper réferat omnes matrimónii dubietátes si opus fúerit.

Sabbato. CANON
Ex Constitutiónibus Synodálibus Odónis Parisiénsis Epíscopi.
Ibid. c. 4.

Prohibétur distríctè sub pœna suspensiónis, ne ullus Sacérdos aut Capellánus éxigat áliquid ante benedictiónem nuptiálem, sive pro testimónio ferendo, sive pro matrimónio celebrándo, occasióne ferculórum quæ debéntur pro núptiis.

Dominica VI. post Epiphaniam.
CANON
Ex Constitutiónibus Synodálibus Odónis Parisiénsis Epíscopi.
Ibidem c. 2.

Maléfici & celántes consanguinitátem, & ália impediménta matrimónii, votum, órdinem, consanguinitátem, affinitátem, dísparem cultum, compaternitátem; excommunicáti publicéntur.

Feria II. CANON
Ex Concílio Aurelianénsi.
An. 533. *can.* 11.

Contrácta matrimónia accedénte infirmitáte *nullâ voluntátis* contrarietáte *solvántur*. Quòd si qui ex conjúgibus fécerint, nóverint se communióne privándos.

Feria III. CANON
Ex Concílio Bituricénsi.
An. 1286. *can.* 2.

Distríctè inhibémus ne ante ætátem legítimam máscuculus vel fémina matrimóniũ cóntrahant, & nisi in fácie Ecclésiæ, & ne áliqui in tali matrimónio interésse præsúmant. Quòd si infra ætátem legítimã matrimónium contráhere atténtent: tam contrahéntes, quàm illi qui sciénter & sponte intérerunt, arbítrio Ordinárii puniántur. Sed quantùm ad contrahéntes clandestínè, & cooperatóres & sciénter præséntes, omnes ex-

ommunicatiónis vínculo innodámus, sive sint Clérici, el láïci, vel Religiósi.

Feriâ IV. CANON

Ex Synodo Nemausénsi.

In. 1284. *C. de Sponſ. & mat.*

Ætas ad matrimónium contrahéndũ est in másculo quartus décimus annus complétus, & in puélla duodécimus.

Feria V. CANON

Ex Synodo Nemausénsi.

Ibidem.

Sponsália sunt promíssio futúri matrimónii contrahéndi. Debent autem cóntrahi post septénnium: & si ante séptimum annum complétum contrácta fúerint, non habent áliquam firmitátem. Tamen si adveniénte & compléto séptimo anno, consénserint sponsálibus priùs contráctis: ex tunc ratificári incípiunt & valére.

Feria VI. CANON

Ex Synodo Nemausénsi.

Ibidem.

Inhibémus districtè ne áliqua múlier, abſénte viro suo quantorumcúmque annórum número causâ peregrinatiónis, vel ex quacúmque áliâ causâ abſens fúerit, præsúmat contráhere áliud matrimóniũ, donec ei constet quòd vir ejus decéssit ab hac vita. Et si contráhere volúerit, ejus Parochiális Sacérdos fíeri nullátenus permíttat id: & idem in viro decrévimus obſervándũ.

Sabbato. CANON

Ex Epístola prima Canónica S. Basílii Cæsariénsis Epíscopi.

Can. 42.

Quæ sine iis qui habent potestátem, fiunt matrimónia, sunt fornicatiónes. Nec ergo vivénte patre, nec dómino, ii qui convéniunt sunt ab accusatióne líberi, donec conjúgio domini annúerint: tunc enim áccipit firmitátem conjúgium.

Dominicâ Septuagesimæ.

CANON

Ex Concílio Veneténsi.

An. 465. *Can.* 11.

Presbyteri, Diáconi, atque Subdiáconi, vel deínceps quibus ducéndi uxóres licéntia non est, étiam alienárum nuptiárum evítent convívia. Nec his cœtibus misceántur, ubi amatória cantántur & túrpia, aut obſcœni motus córporum choréis & saltatiónibus efferúntur; ne audítus & obtútus sacris mystériis deputátus, túrpium spectaculórum atque verbórum contágio polluátur.

Feria II. CANON

Ex Concílio Laodicéno.

IV. *Sec. Can.* 53.

Non opórtet Christiános eúntes ad núptias plaúdere, vel saltáre; sed venerabíliter cœnáre vel prándere, sicut Christiános decet.

Feria III. CANON

Ex Concílio Cabilonénsi.



Sabbato. CANON
Ex Synodo Aurelianénſi.
An. 871. *cap.* 16.

Presbyteri, vel réliqui órdinis Clérici in tabérnis non bibant, nec ſcurrilitátibus cachínnum movéntibus aſſuéſcant, ſciéntes quòd de omni verbo otióſo ratiónem reddent, hi máximè quorum ſermo omni témpore ſale debet eſſe condítus; ut verbo & ópere exémplo ſint, & forma cunctis cernéntibus, præſtentque grátiâ audiéntibus.

Dominicâ Quinquageſimæ.
CANON
Ex Capituláribus Theodúlfi Aurelianénſis Epíſcopi.
Ad Preſbyteros.cap. 36.

Hebdómadâ unâ ante inítiū Quadragéſimæ, confeſſiónes Sacerdótibus dandæ ſunt, pœniténtia accipiénda, diſcordántes reconciliándi, & ómnia júrgia ſedánda, & dimíttere debent débita ínvicem de córdibus ſuis, ut libériùs dicant: Dimítte nobis débita noſtra, ſicut & nos dimíttimus debitóribus noſtris. Et ſic ingrediéntes in beátæ Quadragéſimæ tempus, mundis & purificátis méntibus ad ſanctum Paſcha accédant, & per pœniténtiam ſe rénovent, quæ eſt ſecúndus baptíſmus.

Feria II. CANON
Ex Concílio Aquileiénſi.
I. An. 1596. *C.* 11.

Aleárum & taxillórum uſum

An. 813. *Can.* 9.

Ab ómnibus oculórum auriúmque illécebris Sacerdótes abstinére debent; & canum, accípitrum, falcónum, vel ceterárum hujúsmodi rerum curam parvi péndere; & histriónum sive scurrónum, & túrpiũ seu obscœnórũ jocórum insoléntiã non solùm ipsi réspuant, verùm étiã fidélibus respuénda percénseant.

Feria IV. CANON
Ex Concílio Turonénsi.
An. 813. *Can.* 8.

Sacerdótibus non éxpedit, seculáribus & túrpibus quibúslibet interésse jocis: venatiónes quoque ferárum vel ávium mínimè secténtur.

Feria V. CANON
Ex Concílio Carthaginénsi.
An. 398. *Can.* 62.

Cléricum inter épulas cantántem statúimus acérrimè objurgándum; si perstíterit in vítio, excommunicándum

Feria VI. CANON
Ex Concílio Aquisgranénsi
An. 816. *Cap.* 94.

Facíliùs contémnitur Cléricus, qui sæpe vocátur ad prándium, & non recúsat. Nunquã peténtes, raró accipiámus rogáti: beátius enim est magis dare, quàm accípere.

Sabbato. CANON
Ex Concílio Parisiénsi.
An. 1212. *C.* 16.

Ne in dómibus Clericórum vel Religiosórum in claustris, qui præsunt inhonéstas comessatiónes vel ludos taxillórum fieri permíttant.

Dominicâ Sexagesimæ.
CANON
Ex Concílio quarto Lateranénsi œcuménico.
Anno 1215. *C.* 16.

Clérici tabérnas prorsùs evítent, nisi fortè causâ necessitátis in itínere constitúti. Ad áleas vel taxillos non ludant, nec hujúsmodi ludis intérsint.

Feria II. CANON
Ex Concílio Senonénsi.
An. 1528. *C.* 25.

Clérici neque in público ludant pilâ aut áliis ludis, máximè cum láïcis. A ludo aleárum, aliísque qui à sorte pendent, abstíneant; neque ludéntium fautóres, spectatóres aut testes exístant.

Feria III. CANON
Ex Canónibus Apostólicis.
Can. 41. & 42.

Epíscopus, vel Présbyter, vel Diáconus, áleis & ebrietátibus vacans, vel cesset, vel deponátur. Hypodiáconus, vel Lector, vel Cantor simília fáciens, vel cesset, vel segregétur: ítidem & láïcus.

Feria IV. CANON
Ex Concílio Moguntíno.
An. 813. *Can.* 46.

Magnum malum ebrietátis, unde ómnia vítia púllulant, modis ómnibus præcípimus

cavére : & qui hoc vitáre noluérit, excommunicándum eum esse decrévimus usque ad emendatiónem cóngruam.

Feria V. CANON
Ex Concílio Constantinopolitáno.
III. an. 681. *can.* 62.

Ex fidélium universitáte omnínò tolli vólumus públicas mulíerum saltatiónes; quin étiam eas quæ nómine viró-rum ac mulíerum fiunt saltatiónes, ac mystéria more antíquo & à vita Christianórum aliéno, amandámus & expéllimus: statuéntes ut nullus vir deínceps mulíebri veste induátur, vel múlier veste viro conveniénte: sed neque cómicas, vel satyricas, vel trágicas persónas índuat. Eos ergo qui deínceps áliquid eórum quæ scripta sunt, aggrediéntur, ubi ad horum cognitiónem pervénerint, si sint quidem Clérici, depóni jubémus; si verò láici, segregári.

Feria VI. CANON
Ex Concílio Aquileiénsi
I. 1596. *can.* 11.

Ad spectácula comœdiárũ, sive ad bancos circulatórum, & buffónum in platéis, qui áliis exémplum esse debent maturitátis & prudéntiæ, accédere & assístere Cléricos non decet. A choreárum spectatióne item Clérici abstíneant; nisi gravióris corrèctiónis virgã experíri velint.

Sabbato. CANON
Ex Synodo Aurelianénsi.
An. 871. *cap.* 16.

Presbyteri, vel réliqui órdinis Clérici in tabérnis non bibant, nec scurrilitátibus cachínnum movéntibus assuéscant, sciéntes quòd de omni verbo otióso ratiónem reddent, hi máximè quorum sermo omni témpore sale debet esse condítus; ut verbo & ópere exémplo sint, & forma cunctis cernéntibus, præsténtque grátiã audiéntibus.

Dominicâ Quinquagesimæ.
CANON
Ex Capituláribus Theodúlfi Aurelianénsis Epíscopi.
Ad Presbyteros. cap. 36.

Hebdómadâ unâ ante inítiũ Quadragésimæ, confessiónes Sacerdótibus dandæ sunt, pœniténtia accipiénda, discordántes reconciliándi, & ómnia júrgia sedánda, & dimíttere debent débita ínvicem de córdibus suis, ut libériùs dicant: Dimítte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris. Et sic ingrediéntes in beátæ Quadragésimæ tempus, mundis & purificátis méntibus ad sanctum Pascha accédant, & per pœniténtiam se rénovent, quæ est secúndus baptísmus.

Feria II. CANON
Ex Concílio Aquileiénsi.
I. An. 1596. *C.* 11.

Aleárum & taxillórum usum

quo tempus míserâ jucunditáte téritur, Cléricis ómnibus inhibémus: multò verò grávius, si non modò lúserint ipsi, sed áliis ludéndi potestátem fécerint paráto loco, & doméstico divertículo. Episcopórum verò vigilántiâ & prudéntiâ, ac pœnis propósitis opportúnum erit remédium adhibéndum, ut pestis avertátur, quâ miserórũ facultátes suávi morbo exhauriúntur, & ipsa Dei cleméntia assíduè offénditur.

Feria III. CANON
Ex Concílio Lateranénsi.
IV. General. An. 1215. *C.* 16.

Clérici offícia vel commércia seculária non exérceant, máximè inhonésta. Mimis, joculatóribus & histriónibus non inténdant, & tabérnas prorsùs evítent, nisi fortè causâ necessitátis in itínere constitúti. Ad áleas vel taxíllos non ludant, nec hujúsmodi ludis intérsint. Corónam & tonsúrã hábeant congruéntem, & se in Offíciis divínis vel áliis bonis exérceant stúdiis diligénter. Clausa déferant désuper induménta, nímiâ brevitáte vel longitúdine non notánda.

Feria IV. in Capite Jejunii.
CANON
Ex Concílio Avenionénsi.
An. 1594. *c.* 44.

Párochi & Concionatóres in Domínica Quinquagésimæ & Feriâ quartâ Cínerum pópulo demónstrent, néminem absque legítima causâ jejúnium violáre posse absque letáli crímine, simúlque jejúnii modo ac conditiónibus enucleatis, plerósque ab erróre líberent, qui putant illud non violári, si hora definíta præveniátur, aut etiámsi bis more consuéto comedátur, aut cibórum deléctus negligátur.

Feria V. CANON
Ex Concílio Laodicéno.
Can. 49. *&* 52.

Non opórtet in Quadragésima panem offérri nisi Sábbato & Domínicâ, nec núptias aut natalítia celebrári.

Feria VI. CANON
Ex Concílio Toletáno.
An. 653. *C.* 9.

Quisquis absque inevitábili necessitáte, atque fragilitátis evidénti languóre, seu étiam ætátis impossibilitáte, diébus Quadragésimæ esum cárnium præsúmpserit attentáre; non solùm reus erit Resurrectiónis Domínicæ, verùm étiam aliénus ab ejúsdem diéi sancta Communióne.

Sabbato. CANON
Ex Concílio Mediolanénsi.
V. An. 813. *Part.* 3.

Cibórum quadragesimálium suavitátes ac delícias ne exquírat; nec multíplici epulárũ apparátu mensam éxstruat, sed frugálem parcimóniam adhíbeat.

MODI

MODI OCTO
SEU
INTONATIONES, MEDIATIONES, ET TERMINATIONES PSALMORUM & CANTICORUM,

Secundùm cujusque Toni species seu differentias.

Littera sive Majuscula, sive minuscula, designat Toni sui Finalem; Majuscula Completam, Minuscula verò Incompletam.

Completa dicitur, quæ desinit in legitimam Toni sui Finalem; Incompleta verò, quæ non Psalmi versibus, sed in sola Antiphona perfectè terminatur.

Intonatio fit in initio primi Versûs Psalmi vel Cantici; Mediatio in medio cujuslibet Versûs; Terminatio verò in fine omnium Versuum.

Terminationes per litteras Alphabeticas designantur: A B C D E F G. *quæ litteræ Notis cantûs respondent, hoc modo:*


A	B	C	D	E	F	G
La	Si	Ut	Re	Mi	Fa	Sol

Cùm autem plures sint Terminationes; ut clarè distinguantur, diversis distinguuntur caracteribus, Romano & Italico majori vel minori, ut infrà patebit.


I. Tonus.

DIxit Dominus Domino

me o: Se de à dextris me is. I. A.




E u o u a e. I. A .Ma gni fi cat




*a ni ma me a Do mi num.


Clavis ut plurimùm sic transponitur.




Glo ri a Patri & Fi li o,




Seculorum. A men. Di xit Dominus




Domino me o: Eu o u a e. I. D




Magni ficat anima. E u o u a e. I. D.



E u o u a e. 1. f. E u o u a e. 1. a.




E u o u a e. 1. a*. E u o u a e. g.




E u o u a e. 1. g. *Finalis Antiphonæ.*


II. Tonus.




Dixit Dominus Domino me o: Spi-



ri tu i sancto. E u o u a e. 2.




Benedictus Dominus De us If-




ra ël. Ma gni ficat. *Finalis Ant.*


III. Tonus.




Di xit Dominus Domino meo : E u




o u a e. 3. E. Magnificat anima.




Di xit Dominus Domino meo : E u




o u a e. 3. E. Dixit Dominus Do-




mino meo : E u o u a e. 3. a.



E u o u a e. 3. *a*. E u o u a e. 3. à.




E u o u a e. 3 b. E u o u a e. 3. g.




E u o u a e. 3. g. E u o u a e. 3. c. *Fin.*


IV. Tonus.




Di xit Dominus Domino meo : Se de




à dextris me is. 4. E. E u o u



a e. 4 E. E u o u a e. 4. c




Euou a e.4e. Euou a e.4f.




Euou a e.4D. Euou a e.4D



Euou a e.4A. Euou a e.4b.




Euou a e.4c. Euou a e.4d.




Ma gni ficat a ni ma *Finalis Ant.*

V. Tonus.




Dixit Dominus Domino meo: Sede




à dextris meis. E u o u a e. 5 C.


Clavis ut plurimùm sic transponitur.



Glo ri a Patri & Fi li o,




E u o u a e. 5 f. E u o u a e. 5 F.




E u o u a e. 5 a. *Finalis Antiph.*

VI. Tonus.




Dixit Dominus Domino meo :: Sede




à dextris meis. E u o u a e. 6 C.


Clavis ut plurimùm sic transponitur.




Dixit Dominus Domino meo:




E u o u a e. 6 *F*. Bene dictus Do-




minus De us Israël. Magni ficat



a nima mea Do mi num.




Dixit Dominus Domino meo: E u




o u a e. 6 F. E u o u a e. 6 *F**. *Fin.*


VII. Tonus.




Di xit Dominus Domino me o: Sede




à dextris me is. E u o u a e. 7 G.




Magni ficat anima. E u o u a e. 7. a.



E u o u a e. 7. ç. E u o u a e. 7. c.



E u o u a e. 7. b. E u o u a e. 7. d.



E u o u a e. 7. *d* *. *Finalis Antiph.*

VIII. Tonus.

Dixit Dominus Domino meo : E u

o u a e. 8 G, E u o u a e. 8 G.

E u o u a e. 8. c. E u o u a e. 8. d.

Benedi ctus Dominus De us If-

ra el. Magni ficat. *Finalis Ant.*

ANTIPHONA DE B. V. MARIA,

Quæ dicitur in Choro majoris Ecclesiæ post Laudes ex antiqua Fundatione.

FElix namque es sacra Virgo María, & omni laude digníssima, quia ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster.

℣. Benedícta tu in muliéribus, ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Sequentes Orationes, Famulorum, & Deus qui inter Apostolicos, *dicuntur per totum Annum (excepto tempore Paschali) quo tempore, loco* Famulorum, *dicitur*, Gratiam.

Oratio.

FAmulórum tuórum quæsumus Dómine delíctis ignósce, ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus genitrícis fílii tui Dómini nostri Jesu Christi intercessióne salvémur.

Tempore Paschali, Oratio.

GRátiam tuam quæsumus Dómine méntibus nostris infúnde, ut qui Angelo nuntiánte Christi filii tui Incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus & crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur.

Oratio.

DEus qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum pontificáli fecísti dignitáte vigére, præsta quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio; Per Christum. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

ORATIONES

Dicendæ in Processionibus; Primus ℣. à Sacerdote dicitur de Sancto occurrente.

℣. Fiat pax in virtúte tua,

℟. Et abundántia in túrribus tuis.

℣. Miserére nostri Domine.

℟. Domine miserére nostri.

℣. Domine salvum fac Regem. ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hereditáti tuæ; ℟. Et rege eos & extólle illos usque in ætérnum. ℣. Dómine exaúdi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum &c.

Prima Oratio de sancto N.

Pro incolumitate Ecclesiæ Oratio.

ECclésiæ tuæ quæsumus Dómine preces placátus inténde: ut destrúctis adversitátibus & erróribus univérsis, secúrâ tibi serviat libertáte.

Contra Hostes Oratio.

HOstium nostrórum quæsumus Dómine visibi-

ſium & inviſibílium elíde ſu... bis tribue ſup
pro pecc...
gimur, mi
veniénte
...mus.
...andam

...mus.
...plú



...ra
...ná
...um,
...ibus
...brum
...ad re
...ita es
...áre.
...enſi.
...apitérne
...or & cu...
...tátis ſu...
...noctéque
...& locum
...oribus ſuis
...em Beáta
...ginis, & beá...
...s tui, om...
...um, ſit domi...

Pro Aëris ſerenitate Oratio.

AD te nos Dómine clamántes exaúdi, & aëris ...

...cílium incolumitátis & pacis. Per Chriſtum &c. Benedicámus Domino. Deo grátias.